LIBRARY OF PRINCETON
SEP 16 1901
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division SCC
Section 5415
No. V.1 34-36

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/analectahymnicam3436drev

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXIV.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1900.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

Vierte Folge

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1900.

VORWORT.

Der Titel des vorliegenden XXXIV. Bandes der Analecta kennzeichnet denselben als Fortsetzung der Bände VIII bis X, welche die Publication unedierter liturgischer Prosen eröffneten. Schon der VII. Band hatte an Sequenzen durchweg nur Inedita gebracht; dieselben stammten aber alle aus der Abtei St. Martial zu Limoges, und um jene Sammlung zu einem vollständigen Prosarium Lemovicense zu gestalten, war ein Bruchteil schon anderswo publizierter Sequenzen mit aufgenommen. In den sich unmittelbar daran anschliefsenden 3 ersten Folgen der „Sequentiae Ineditae“ erwies sich das Einteilungsprincip nach der Provenienz als weniger zweckentsprechend, und wurden die Sequenzen nach rein sachlichen Gesichtspunkten geordnet; so bildet ein jeder der 3 Bände VIII bis X mit den liturgisch gebräuchlichen Gruppen De Tempore, De Beata, De Sanctis nebst dem Commune Sanctorum ein für sich abgeschlossenes Ganze. Letzterer Einteilungsgrund ist für die vorliegende 4. Folge der Sequenzen beibehalten und wird auch für die weiteren Folgen maſsgebend bleiben.

Dadurch war indessen nicht ausgeschlossen, daſs mehrere liturgische Quellenwerke für diesen Band in der Weise Ausnützung fanden, daſs alle in denselben befindlichen Sequenzen, sofern sie unediert waren, und die sich gröſstenteils eben nur in der betreffenden Quelle vorfanden, unter die eben bezeichneten Gruppen dieses Bandes vollzählig eingereiht wurden, und somit auch die Provenienz der Sequenzen bei der Zusammenstellung in etwa zur Geltung kam. Von diesen Quellenwerken verdienen besondere Beachtung das wohl als Unicum dastehende Missale Petragoricense, gedruckt zu Périgueux 1525, und der durch Alter und Inhalt höchst kostbare Codex Bambergensis Ed V 9. Letzterer ist ein ziemlich reichhaltiges Tropar

von Reichenau, bestehend aus 198 Pergamentblättern von 14,3×19,5 cm, und stammt aus dem 10. Jahrhundert. Dafs die ehemalige berühmte Benedictinerabtei auf der Bodensee-Insel die Ursprungsstätte sei, bezeugen mit Sicherheit das Kalendarium und der Inhalt mehrerer Sequenzen. Schon frühzeitig hatte jene Abtei ganz bedeutende Reliquien der hll. Marcus, Ianuarius, Iohannes und Paulus u. a. erworben. Eben diese Heiligen sind insgesamt durch besondere Sequenzen gerade in dem fraglichen Troparium gefeiert. In der Sequenz „Gaudeant cuncti“ auf den hl. Marcus heifst es ausdrücklich: „Laetetur istis maxime Augia sollemniis, quae sanctum suo evangelistam meruit sinu Marcum fovere.“ In einer anderen Sequenz „Sancti martyris festum“ auf den gleichen Heiligen werden die „Augienses servuli“ erwähnt. Die Georg-Sequenz „Laudes Domino“ schlofs mit der Bitte: „Augiensibus incolis veniam precare apud Deum“; spätere Hand, als die Sequenz auch in anderen Kirchen Verwendung fand, stellte dafür „Babenbergensibus“ oder allgemein „Paenitentibus“ ein.

Das Alter der Handschrift ist durch die Schriftzeichen, welche dem 10. Jahrhundert eigen sind, hinlänglich verbürgt. Dazu kommt, dafs es in der Invocatio auf fol. 46a heifst: „Ottoni, serenissimo imperatori, a Deo coronato, magno et pacifico, vita et victoria.“ Wäre auch der Name der Kaiserin erwähnt, so liefse sich genauer bestimmen, welcher der Ottonen gemeint ist. Leider heifst es aber von der Kaiserin ganz allgemein: „Illi [= N. N.] imperatrici salus et vita.“ Läfst sich daraus folgern, dafs zur Abfassungszeit des Codex das deutsche Reich keine Kaiserin besafs? Das würde nur für die kurze Regierungszeit Ottos III., die bekanntlich bis in den Anfang des 11. Jahrhunderts hinübergreift, Geltung haben; freilich war auch Otto I. nach dem Tode Edithas (946) bis zum Jahre 951 ohne Gemahlin, aber während dieser Zeit führte er noch nicht den Titel „imperator“. Vielleicht aber hat der Schreiber den Namen der Kaiserin einzutragen einfach vergessen, wie es ja auch beim Papste allgemein heifst: „Summo pontifici et universali papae vita.“ Jedenfalls steht nach allem fest, dafs unser kostbares Troparium in der Zeit 965 bis gegen Ende des 10. Jahrhunderts in Reichenau geschrieben ist.

Der Sequenzenbestand desselben beläuft sich auf 98 Nummern, von deren Mitteilung an dieser Stelle füglich Abstand zu nehmen

ist. Von denselben sind 22 Inedita, welche alle im vorliegenden Bande publiziert werden. Leider ist eine weitere Sequenz im Codex (fol. 197) verstümmelt eingetragen; dieselbe lautet:

1. Sancta trinitas,
nostram vocem tempera,

2 a. Ut digne modulemur
martyrum trium proelia,

2 b. Et mentis passioni
linguae concordent organa.

3 a. Ordine suo
cum disponis omnia,

3 b. Facile cedit
tibi vocum regula.

4 a. Tu muto patri
reddidisti
nata prole famina.

Die breit angelegte Einleitung läfst eine längere Prose erwarten; wir erhalten nicht einmal eine Andeutung, welche drei Märtyrer gemeint sein dürften. Auf fol. 53 b werden drei Heilige gemeinsam gefeiert: „Natale sanctorum Hermetis, Augustini et Pelagii“ (letzterer Patron der Constanzer Diöcese); aber das sind nicht drei Märtyrer.

Noch ein Wort über den Utrechter Codex Script. eccl. 375. Obgleich vorwiegend ein Orationale, enthält er eine ziemliche Reihe von Sequenzen, was der Umstand beweist, dafs mehrere der dort verzeichneten Dichtungen thatsächlich in Missalien als Sequenzen sich vorfinden. Bei einigen, weil nur in dieser einen Quelle nachweisbar, liefs sich blofs mit Wahrscheinlichkeit der Sequenzencharakter feststellen; vielleicht gehört die eine oder andere Nummer ins Gebiet der Reimgebete. — Bei manchen Sequenzen ist namentlich der Anfang in dieser Handschrift stark verändert; so z. B. heifst es dort „Salve veri luminis“ statt „Ave novi luminis“; „Vale gaude hymnizantes cum omni laetitia“ statt „Iubilemus collaudantes cum omni laetitia“; „Ave stella mellis stilla“ statt „Mellis stilla maris stella“ u. s. w. Da war es nicht leicht festzustellen, ob nicht mit anderem Anfang dieselbe Sequenz schon anderswo sich vorfinde. Trotz aller Sorgfalt mag so die eine oder andere Sequenz unter falscher Flagge durchgeschlüpft sein, welcher das Prädikat „inedita“ nicht gebührt; die Zahl aber wird sehr gering sein.

Zum Schlusse erübrigt noch eine kurze Erklärung, warum der 3. Folge der Sequenzen erst jetzt nach einem Zeitraume von fast 10 Jahren die 4. Folge sich anschliefst. Schon im Vorworte der 3. Folge (Bd. XI) wurde bemerkt, dafs der Vorrat

ungedruckter Sequenzen noch keineswegs erschöpft sei, eine Unterbrechung aber eintreten solle, „um das Resultat einiger paralleler in nächster Zeit bevorstehender Veröffentlichungen abzuwarten“. Ein grofs angelegtes, viel versprechendes Werk unter dem Titel „Analecta liturgica“ war nämlich im Erscheinen begriffen. Im Vorwort zum 1. Fascikel (Juni 1888) versicherten die Herausgeber: „Nous avons dans nos cartons plusieurs milliers de proses, d'hymnes, de pièces liturgiques inédites, collationnées sur les manuscrits et les incunables de toutes les bibliothèques de l'Europe..... Nous avons le désir de pouvoir, dans une dizaine d'années, donner un Corpus hymnologicum aussi complet, aussi correct que possible.“ Der Anfang der Publikation war mit den Sequenzen gemacht worden, und zunächst auf diesem Felde sollte den Herausgebern der Vortritt gewahrt bleiben. Das „dizaine d'années“ ist längst abgelaufen, aber statt des kompletten Corpus Hymnologicum liegt leider noch nicht einmal das erste der „plusieurs milliers“ vollständig vor: statt eine jährliche Ausgabe von „at least 400 pages“, wie versprochen wurde, begrüfsen zu können, haben wir bis jetzt nur eine Kalendarien-Sammlung von 352 Seiten und eine Collectio von 861 Sequenzen in Händen. Es wird nun wohl niemand leugnen, dafs die Rücksichtnahme, welche einen Vorsprung von 10 Jahren gewährt, eine bei Publikationen nicht gerade gewöhnliche ist, und so dürfte es uns schwerlich jemand verargen, wenn die Ausgabe unserer Sequenzen nunmehr fortgesetzt wird, und den bereits edierten 1400 Sequenzen zunächst weitere 360 nachfolgen. Der Titel „Sequentiae Ineditae“ müfste freilich infolge der Misset-Weale'schen Publikationen streng genommen in „Sequentiae maximam partem ineditae“ umgeändert werden. Aber der Titel lautet nun einmal so bei den 3 ersten Folgen; schon die Gleichmäfsigkeit spricht gegen die Umänderung des Titels bei der 4. und den nächsten Folgen. Das um so mehr, da auch Misset-Weale den Begriff „Inedita“ relativ fassen. Wir adoptieren voll und ganz die auf dem Titelblatt der Analecta Liturgica gegebene Umschreibung und bezeichnen als Inedita: „Quae apud Daniel, Mone, Neale, Gautier, Schubiger, Wackernagel, Morel, et [sic] Kehrein non reperiuntur.“

Wien, den 19. September 1899.

Clemens Blume.

I.

DE TEMPORE.

1. In Nativitate Domini.

1. Quem

2 a. aethera
et terra
atque mare
non praevalent
totum capere,

2 b. Asinae
praesaepe
infans implet,
caelos regens,
ubera sugens.

3 a. Factor matris
factus hodie est
de matre,

3 b. Creans diem
hodie creatus
in die.

4 a. Nascitur mundo oriens,
Gabriel

4 b. Quem vocavit Emanuel,
Nobiscum

5. Deus.

Trop. ms. Sangallense saec. 11. Cod. Sangallen. 381. — Melodie: Et veritate. — Vgl. Roman. Forsch. IV, 494.

2. In Nativitate Domini.

1 a. De sinu patris verbum emicuit,
Verus Emanuel,
Qui Adam exsulem reposuit
Sede patria
Reddens propria.

1 b. Per prophetas olim nos edocuit
Sicut per Samuel,
Nunc autem relevatos eruit
A miseria
Sola gratia.

2 a. Facit Deus,
Per quod reus
Est salvatus;
Vir Hebraeus
Helisaeus,
Dum sanat reum,
Num salvat eum?

2 b. Nazaraeus,
Hoc est Deus,
Fert reatus;
Manichaeus
Ac Iudaeus
Non idoneum
Sic dicit eum.

3 a. Ut vincatur
De re opinata
Adversarius,
Respondeat,
Aut redeat
Ac vereat-
ur scandalum.

3 b. Audiatur
De virga siccata,
Mirabilius
Quod floreat
Et frondeat
Et proferat
Amigdalum.

4 a. Uterus virginis
Repletus seminis
Caelestis numinis
Tumuit,
Sed est causa
Fructus clausa
Virgaeque fructum habuit.

4 b. Exemplo numinis
Nescia criminis
Deum vi flaminis
Genuit;
Non fit ausa
Ficti fraus a-
firmare, quod signum fuit.

5 a. Spiritus caelitus
Micuit,
Sincerus uterus
Maduit
Caelesti rore
Caelo distillante.

5 b. Sol merus et verus
Splenduit,
Dum Deus carneus
Adfuit
Humano more
Manens sicut ante.

Collectan. ms. Voravien. saec. 13. Cod. Voravien. 376 (136). — 1 b, 3 nos eruit. — 2 a, 7 sanat. — 3 a, 6 sq. Ad verum sedem scandalum; offenbar verderbt. Zu vereat-ur vgl. 4 b, 6 sq. a-firmare.

3. In Nativitate Domini.

1 a. Redemptori plebs redempta
Et a morte morte dempta
Laudes laeta personet;

1 b. Haec est Deo laus iucunda,
Cum mens casta, caro munda
Et vox vitae consonet.

2 a. Immortalis fit mortalis,
Sempiternus temporalis,
Natus patri coaequalis
Servi formam induens.

2 b. Terris caelum inclinavit,
Terram caelo sublimavit,
Cum nos sibi sociavit
Sua non diminuens.

3 a. Est accensa tunc lucerna,
Quando venit lux superna,
Quae illustrat omnia;

3 b. Domum mentis tunc evertit,
Quando nos ad se convertit
Dei sapientia.

4 a. Est inventa
dragma, quam perdiderat,
Et ad gregem
ovis, quae abierat,
Reportatur,
Cum salvatur
Homo, qui perierat.

4 b. Redivivo
revertenti osculum
Dedit pater,
saginatum vitulum
Tunc mactavit,
Cum salvavit
Iuniorem populum.

Grad. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 13. in. Cod. Matriten. C. 132. — Das weitere fehlt.

4. Haec sequentia canitur in prima missa Noctis Nativitatis Domini.

1 a. Praeter rerum seriem
Parit Deum hominem
Virgo mater;

1 b. Nec vir tangit virginem,
Nec prolis originem
Novit pater.

2 a. Virtus sancti spiritus
Opus illud caelitus
Operatur;

2 b. Initus aut exitus
Partus tui penitus
Quis scrutatur?

3 a. Dei providentia,
Quae disponit omnia
Tam suave,

3 b. Tua puerperia
Transfert in mysteria,
Mater, ave.

4 a. Paranymphus angelus
Ad te missus caelitus
Salutatum,

4 b. Videns te corpoream
Voce non corporea
Sic adfatur:

5 a. Ave, mundi gaudium,
Regis regum solium
Incarnati,

5 b. Illustrans fidelium
Luce mentes omnium
Ex te nati.

6 a. Iudicis placatio,
Criminum remissio
Tibi plaudat,

6 b. Totus coetus hominum
Et chorus spirituum
Semper laudat.

Grad. ms. Boscoducen. saec. 15. Cod. s. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Officium ms. B. M. V. (Caroli, Regis Siciliae) saec. 14. Cod. Parisin. 1343. B. — 1 b, 3 mater B. — 2 b, 1 Intus autem exitus B. — 2 b, 3 Qui AB. — 4 a sqq. fehlen B. — Mehrere andere Quellen (siehe dieselben Anal. XX, Nr. 53) enthalten ebenfalls nur die 3 ersten Strophenpaare. Die Sequenz in der vorliegenden Form dürfte wohl eine spätere Erweiterung sein. — Aufschrift nach A.

5. In Circumcisione Domini.

1. Laude mirandum digna
prosequamur regem,

2 a. Qui primum frondosa
paradisi
parentem sede miserans

2 b. Expulsum dolosi
virulento
serpentis hausto poculo

3 a. Humano nasci
pro genere voluit,

3 b. Per virginalis
aulae auream portam
mundo veniens perdito.

4 a. Celsa polorum

descendens arce summus
tulit membra
servilia Dominus,

4 b. Ut nos legislator
archos gravi
nexos sarcinarum
ligamento
legalium solveret.

5 a. Masculus hodie

circumciditur typicus,

5 b. Innocens penitus
atque omnium labe
facinorum purissimus,

6 a. Incircumcisam sic
vitiis lucido
instruens exemplo

6 b. Sanctorum praeclaris
animam coetibus
esse proturbandam.

7 a. Hodie ex eulogio
matris angelico
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
Iesu dictatum
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
acceperat vocabulum,

7 b. Qui suum diabolicis
populum vinculis
suae solveret
munere gratiae,
salvator ipse
salutifero purgans
peccamina remedio.

8 a. Te, virgo virginum,
te, stella maris clara,
sancta theotocos,
cernui precamur,

8 b. Ut omni scelerum
zizania pravorum
carnis ac spiritus
simul resecata

9 a. Virtutum ac morum
nitidos floribus
servulos amoenis,

9 b. Maiores cum parvis,
senes ac iuvenes
sexus utriusque

10. Unico filio
precibus commendes
circumcisos.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Trop. ms. saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 107 (100). B. — Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Roman. 1343 (Sessor. 62). C. — Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. D.

1, 1 miranda dignum B. — 2 a, 1 frondo B. — 2 b, 2 virulenti B. — 4 a, 4 vilia C. — 4 b, 2 nexus B. — 5 b, 2 omnium labe C. — 6 a, 2 livido B. — 6 b, 3 perturbandam BC. — 7 a, 5 dicatum A. — 7 a, 7 accepit A. — 7 b, 5 salvator fehlt B. — 8 a, 4 concernui C. — 8 b, 1 Et omnis C. — 8 b, 2 in hamo pravorum A. — 8 b, 4 resecato AB. — 9 a, 1 Ut tutum ac B. — 9 b, 1 Maiores et parvulos B. — 10, 2 commenda B. — 10, 3 Iesu Christo B. — Melodie Captiva. Vgl. die Unregelmäfsigkeiten derselben bei Schubiger Nr. 20. — Betreffs der graphischen Wiedergabe s. den Nachtrag dieses Bandes.

6. De ss. Nomine Iesu.

1 a. Nomen Iesu, mel caelorum,
Pax est in ecclesia,

1 b. Turris fortis viatorum
Terrens infernalia.

2 a. Nomen Iesu idolorum
Confringit fabrilia,

2 b. Sublevamen miserorum
Confortat debilia.

3 a. Iesu bone, literarum
Vera refulgentia,

3 b. Da, collapsum tot errorum
Ne vincat versutia.

4 a. Nomen Iesu, decus morum
Per corda fidelia,

4 b. Certa merces bellatorum
In sacra militia.

5 a. Nomen Iesu, iubar clarum
Illustrans terrestria,

5 b. Te collaudat grex tuorum
Exoptans caelestia.

6 a. Iesu bone, rex caelorum,
Nos tibi concilia,

6 b. Ut perenni beatorum
Perfruamur gloria.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. add. saec. 16. Cod. Turonens. 194.
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~

7. In Epiphania Domini.

1. Nostri promat
chori caterva
laude beata
propria
Deo reddens vota.

2 a. Concinat
ipsa laeta
melodia
sonora
sacra praeconia.

2 b. Gaudeat
omnigena
plebs redempta
per ampla
telluris spatia.

3 a. Laetabunda
dies quia
nunc rutilat
epiphaniae
Christi dedicata,

3 b. In qua plura
Dei sonant
mysteria
trinitatis et
gloria unica.

4 a. Adoratur hic intra
positus cunabula,
salus factus inclita
gentium et rex
imperans omnia.

4 b. Hac quoque die ipsa
sanctificat flumina
lavat et membra sua
diluens nostra
foeda peccamina.

5 a. Hic antiqua
renovatur iam natura,
quam iniqua foedarat
olim sententia.

5 b. Baptizatur
Christus lympha, et humana
condicio a noxa
purgatur dolosa.

6 a. Mox spiritus super aquam
manet sanctus consercratam
veluti columba,
intonat
ac voce paterna:

6 b. Proles mea haec dilecta,
quam genui ante saecla,
credite in ipsa,
est quia
mihi complacita.

7 a. Post nuptialia
inter convivia
in vinum vertitur aqua
huius mira potentia.

7 b. Hac virtute sua
perfrui gloria
faciat nos perpetua
ipse, qui regnat aeterna

8. Semper in saecula.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 6 a. 1 Vox. — Beachtenswert ist die beständig beobachtete Endassonanz in a; vgl. Nr. 25.

8. In Epiphania Domini.

1. Omnes

2 a. ergo laetemur,
quia Dei filiolus
hodie
apparuit,
nostrorum
expurgator facinorum,

2 b. Quem peperit
dignissima puellula,
fecunda
a spiritu,
Maria,
virgo tamen permansura.

3 a. Ipse lavit hominum
crimina,
baptizatus suo
in Iordane fluvio
hodie
a Iohanne praecursore.

3 b. Vox et summi parentis
de polis
natum testatur,
virtus adestque almi
spiritus,
sancti datrix charismatis.

4 a. Christe piissime,
servulis redemptis
pretioso
sanguine tuo
auxiliare digneris.

4 b. Tibi magi tria
munera deferunt
teque Deum
pannis obsitum
et regem regum adorant.

5 a. Quae trinitatis
figurant fidem,
patris atque nati,
pneumatis in
quibus regnat unitas.

5 b. Te venerari,
trinitas, decet,
sancta et veneranda,
nunc et semper
per omnia saecula.

6 a. Te adorant
angeli in caelis
omnesque
virtutes caelorum.

6 b. Nos fragiles
etiam homines
in terris
te Deum nostrum laudamus.

7 a. Et unanimiter
credula te
ecclesia sancta
per orbem
confitetur perennem.

7 b. Nos imploramus omnes
humiliter,
ab omnibus malis
corporis
mentis quoque servare

8. Digneris,
unice omnipotentis
parentis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 3 a, 3 eine Silbe Überschufs. — 5 a, 3 eine Silbe zu wenig; lies vielleicht parentis atque nati? — 6 b, 4 zwei Silben Überschufs, wie immer in dieser Mel. — 7 b, 1 sq. Nos humiliter imploramus omnes. — Melodie: Hypodiaconissa.

9. In Epiphania Domini.

1 a. Lucis orto sidere
Quaeramus summopere
Regem regum omnium,

1 b. Quaeramus humiliter,
Non se pandit aliter
Cordibus quaerentium.

2 a. Iacet in praesaepio
Spreto regum solio,
Degens in infantia,

2 b. Formam dans quaerentibus
Calcatis terrestribus
Amare caelestia.

3 a. Herode postposito
Magos cultu debito
Sequamur celeriter;

3 b. Stella duce cursitant
Ad regem, quem praedicant
Regnare perenniter.

4 a. Offeramus typice,
Quod illi magnifice
Tulerunt realiter:

4 b. Tus superno numini,
Murram vero homini,
Aurum regi pariter.

5 a. His donis, o lilium,
Placa nobis filium
Repletum dulcedine,

5 b. Ut possimus libere
Semper secum vivere
Paradisi culmine.

Prosar. ms. Ambianen. (Guilelmi Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen 132. — Die Schlufsstrophen 4a sqq. finden sich in späterer Zeit als besonderes Motett verwertet mit der Änderung (4a, 2) „Quod reges magnifice".

10. In Inventione Pueri Iesu.

1 a. Innovemus gaudia,
Quorum auctrix est pia
Virgo Dei genetrix,
Vitae nostrae alitrix;
Frequentemus hanc hymnis,
Quae iuvat assiduis
Nos suis suffragiis.

1 b. Recolamus, qualiter
Haec Dei nostri mater
Veterem tristitiam,
Per Evae stultitiam
Introductam, reppulit
Gaudiumque retulit
Suis beneficiis.

2 a. Haec inventrix gratiae,
Reparatrix gloriae,
Vena omnis veniae,
Origo laetitiae,
Levamen maestitiae
A nobis continue
Est laudanda strenue.

2 b. Omne datum virginis
Habet partem hominis,
Qui capax est muneris;
Nam partitur omnia
Virgo beatissima
Nobiscum donaria,
Quam amemus intime.

3 a. Nos conformes virgini
Faciamus cernui;
Sit nobis compassio
Super Iesu perdito,

3 b. Sit et iubilatio
Pro invento puero,
Sic pro nostro modulo
Placeamus Domino.

Brev. ms. Trebonen. saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. A. — Cod. ms. Parisien. 1144. saec. 15. B. — Brev. Misnense imp. (Lipsiae?) 1517. C. — „Ad missam Sequentia" A; „Prosa loco hymni" C. — 1b, 2 Dei tuam matrem A. — Melodie offenbar: Mundi renovatio. — Verfasser wohl Iohann Hoffmann, wozu vgl. Anal. XXIV, Nr. 2.

11. In festo S. Salvatoris.

1 a. Christo, vero salvatori,
Decantent fideles chori
Laudes et praeconia;

1 b. Cuius nomen elevatum
Super caelos est beatum
Per aeterna saecula.

2 a. Canit sponsa cantum suum:
Oleum est nomen tuum
Diffusum per omnia,

2 b. Quia pascit, quia lenit,
Quia cunctis supervenit
Lucens Christi gratia.

3 a. Namque alabastro fracto
Tuae carnis, dire tacto
Spinis, clavis, lancea,

3 b. Tanta spirat vis unguenti,
Ut odore tam recenti
Vitae dentur mortua.

4 a. Clamat sanguis Abel terrae:
Deus Christe, miserere,
Quia hic est salus vere
Et vita mortalium.

4 b. Quod declarat virtus patris
Eius inimicis atris,
Dum in sinu suae matris
Persequuntur filium.

5 a. At, cum nunc regnat in caelis
Mortis superatis telis,
Hunc persequitur crudelis
Et dira insania,

5 b. Formam cuius inhonorant,
Vultum turpi sputo rorant,
Pedes, manus, latus forant,
Sed quid mirabilius?

6 a. Fons cruoris large manat,
Qui aegrorum membra sanat,
Nec tortoris mens profanat,
Sed clamat humilius:

6 b. Parce, Iesu immortalis,
Qui es patri coaequalis,
Fove nos sub tuis alis
Et iunge ecclesiae.

7 a. Iam nos scimus, licet sero,
Quod a patre, Deo vero,
Et de sinu eius mero
Carne sumpta veneris.

7 b. Ne nos iungas cum damnatis
Pro commissis perpetratis,
Sed adunes cum beatis,
Cum nos iudicaveris.

Miss. ms. S. Andreae in Scotia saec. 15. Cod. Arbuthnoten. s. n. (neugedruckt unter dem Titel: Liber ecclesiae Beati Ferreani de Arbuthnott. Burntisland 1864). — 4 a, 1 terae. — 7 a, 1 simus.

12. In Transfiguratione Domini.

1 a. Gratis factus Deus homo,
Quos expulerat pro pomo,
Revocat per gratiam,

1 b. Uiam monstrans, ad quam ducit
Et per quam vocatos ducit
Ad promissam gloriam.

2 a. Tres in via gradus pandit
Tresque duces, quibus scandit
Quis ad caeli bravium;

2 b. Tenet Petrus praecedentem
Iacobusque hunc sequentem
Et Iohannes tertium.

3 a. Ex his primam pone fidem,
Post hanc opus bonum quidem,
Quod datur ex gratia;

3 b. Radix Petro fides datur,
Virtus Iacobo signatur,
Per Iohannem gratia.

4 a. Istis tribus comitatus
Hodie transfiguratus
Est in monte Dominus;

4 b. Unus ternus Deus patet,
Nec propheta nec lex latet,
Omnia sunt comminus.

5 a. Super flumen est audita,
Prope montem repetita,
Nunc auditur tertio;

5 b. Assunt duo Dei testes,
Splendent vultus, albent vestes,
Declaratur passio.

6 a. Bene nubes unitatem,
Tres sub nube trinitatem
Bino dant ternario.

6 b. **B** . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

7 a. Assit ergo fides vera,
Spes in nobis sit sincera
Caritatis glutino.

7 b. Sic configuremur Deo,
Nec pars nostra sit cum reo
Pio dante Domino.

Miss. Abulense imp. Salamantiae 1510. — 2 b, 2 hunc fehlt. — 2 b, 3 Et fehlt. — 4 b, 1 Deus pater. — 4 b, 3 sunt communia. — 6 b scheint zu fehlen: Das Akrostichon verlangt eine mit B beginnende Strophe, und namentlich bildet „glutino“ keinen reinen Reim mit ternario, wohl aber mit Domino. — Den Verfasser nennt uns das Akrostichon: Gutterius abbas.

13. In Transfiguratione Domini.

1. Laetentur in Christo rege
Sion et exsultent filiae.

2 a. In regali Dei nato,
Maiestate declarato,
Se claros exhibeant,

2 b. Qui regnantem in decore
Post eclipsim huius horae
Videre desiderant.

3 a. Haec regnandi prophetia
Dulci canit melodia
De futuro saeculo;

3 b. Exsul nunc a summo bono,
Qualis sit futurus, homo
In hoc discat speculo.

4 a. Gloriose instauratur
Et a Deo illustratur
Haec transfiguratio;

4 b. Vestis, locus, tempus, cuncta
Sacramentis sunt fecunda,
Cuncta probat ratio.

5 a. Verum David Salomonem
Post extinctum Absalonem
In throno iam ordinat,

5 b. In quo pater sibi placens
Et serenum iubar clarens
Christi regnum consecrat.

6 a. Pro spe nostra et salute
Ut sol in sua virtute
Lucet septempliciter,

6 b. Christi vultus enitescit,
Immo sane plus clarescit
Sole multiplicius.

7 a. Albet nix in vestimento,
Ex utroque testamento
Ministri conveniunt;

7 b. His venturum Christum ducem
Duo signant, tres in lucem
Trinitatis prodeunt.

8 a. O beatae viri sortis,
Quibus non gustandae mortis
Crescit repromissio,

8 b. Donec regni venustatem
Cernerent et maiestatem
Hominis in filio.

9 a. In Moyse et Helia
Iesum lex cum prophetia
Messiam glorificant;

9 b. Christus vivens hic viventis,
Alter subdi dormientis
Statu suo indicat.

10 a. Nemo crucem perhorrescat,
Nullus pati pertimescat
Cum divino munere;

10 b. Gloria se sublimandum
Et honore coronandum
Valeat praesumere.

11 a. O paternae splendor lucis,
Da in forma tuae crucis
Nobis tecum commori,

11 b. Ut tuo resuscitatos
Configures conformatos
Claritatis corpori.

Grad. ms. Gelense saec. 15. Cod. Gelen. s. n. — 8a, 1 O beati. — 11b, 1 Ut tui.

14. De Passione Domini.

1 a. Salve, salutare lignum,
Gloriosae crucis signum,
Triumphale signiferum;

1 b. Te sacravit homo-Deus,
Iesus Christus Nazareus,
Redemptionis pretium.

2 a. O Maria, mater pia,
Caritate vulnerata
Per passionis gladium,

2 b. Crucifixum non deplores,
Pro redemptis sed implores
Mori dignantem filium.

3 a. O Iohannes, virgo sancte,
Adoptionis matris tantae
Per amoris signaculum

3 b. Sacramenti conditorem
Placa, sponsum, salvatorem
Ecclesiae fidelium.

4 a. Rex honore coronatus,
Patronus et advocatus
Esto tuorum pauperum;

4 b. Pastor, ovibus intende,
Vitae pascua impende,
Nobis dona praemium.

5 a. Te fontem
gratiarum omnium,

5 b. Te summum
gaudiorum gaudium,

6. Cum Deo patre et spiritu sancto
Confitemur in saeculum.
Alleluia.

Grad. ms. Dusseldorpien. saec. 15. Cod. Dusseldorpien. D 11.

15. De Passione Domini.

1 a. Postquam Iesus sic cenavit,
Oliveti transmeavit
Montem cum discipulis.

1 b. Ter oravit et expavit,
Deum patrem invocavit
Oculis flebilibus.

2 a. Sanguis cutem pertransivit,
Tremefactus et emisit
Sudorem sanguineum.

2 b. Iudas Iesum salutavit,
Ipsum ore osculavit,
Pium malus tradidit.

3 a. Tunc ad terram est prostratus,
Funibus illic ligatus
Et catenis ferreis;

3 b. Hinc ad Annam est translatus,
Alapis colaphizatus;
Poena gravis fuerat.

4 a. Irridentes, exspuentes
In faciem sanctissimam
Coetus hunc condemnaverat.

4 b. Quo Pilato praesentato,
Ab Herode refutato,
Spreto cum cohortibus.

5 a. Cuius vestes doponentes,
Ac ad statuam ligantes,
Flagellis grave caeditur,

5 b. Coronam spineam plectentes,
Crudeli modo trucidantes
Caput eius sanctissimum.

6 a. „Ave, ave, rex“ psallentes
Milites, hunc illudentes
Flexis suis genibus.

6 b. Iesu educto a Pilato
„Ecce homo“ proclamato
Sententiae hic traditur.

7 a. Crucem solus baiulabat,
Crucifigendum corpus dabat
Et emisit spiritum.

7 b. Corpus eius deponitur
Ac sepulturae traditur;
Veritas attestatur.

8 a. O Iesus dulcissimus,
Te summum bonum petimus
Pro munere retributionis:

8 b. Quando corpus morietur,
Tua virtute anima perducetur
Ad regnum cum salute.

Grad. ms. Franciscan. Csiksomlyoen. saec. 15. Cod. Mus. nat. Budapestin. 3. A. — Miss. sec. notulam domin. Theutonic. imp. Nurembergae (Schöchs) s. a. B. — 1a, 3 cum tristitia. B. — 1b, 1 oravit ter expavit B. — 2a, 1 pertransiit A. — 2b, 1 Iesum Iudas B. — 2b, 2 Osculari non expavit (wohl Korrektur der Perfektform osculavit) B. — 3b, 1 est traductus B. — 3b, 3 gravi A. — 4a, 2 In fehlt AB; l. Faciem percutientes? — 4a, 3 Seniorum hic coetus hunc A. Hic coetus B; — 5a, 1 Eius B. — 5a, 3 gravibus B. — 5b, 3 Et caput B. — 6a, 1 Ein Ave fehlt AB. — 6b, 1 Iesu reductu cum Pilato B. — 7a, 2 Ad crucifigendum B. — 7b, 2 datur AB. — 7b, 3 Et resurrexisse die tertia veritas AB. — 8a, 1 Iesu dulcissime AB. — 8a, 2 summum in bonis AB. — 8b, 1 moritur A. — 8b, 2 sq. Tunc in virtute sancta tua perducetur ad regnum B. — A bietet auch die Melodie, welche wegen schrecklicher Verwilderung des Textes unbrauchbar ist.

16. De Tunica Domini.

1 a. Exultando sacras laudes
Corde pio Trevirenses
Promant Christo Domino,

1 b. Cuius habent per Helenam
A supernis ordinatam
Sacrosanctam tunicam.

2 a. Hanc prophetae praedixerunt
Et in scriptis reliquerunt
Profuturam posteris,

2 b. In ovili Trevirorum
Maximilianus horum
Protector et dominus.

3 a. Sanctum nactus propositum
Iubet quaeri depositum
Tunicae dominicae.

3 b. Praesul fide loricatus
Paret Caesari Richardus
Quaerens [hanc] magnifice.

4 a. Tunicae ipse thesauro
Invento offert populo
Contuendum inclite;

4 b. Fidei sinceritatem
Offert cunctis, sanitatem
Languidis a crimine.

5 a. Invisuri tantum pignus
Vitiorum primo limus
Deponatur animae,

5 b. Nam reticulata sacris
Est almae virginitatis
Manibus christiferae.

6 a. Corpus Christi sacrosanctum
Tangit pignus hoc et tantum
Crescens nutu flaminis,

6 b. Sanat aegram per virtutem,
Vi nervorum dissolutam
Fluxum stringens sanguinis.

7 a. Tantam ergo Christi vestem
Morbum carnis atque pestem
Mentis avertentem omnes
Collaudantes veneremur
Sinceris affectibus.

7 b. Ipsa enim exstat vestis,
In qua Christus crucifixus
Et ad mortem usque lassus
Vidit sortem iuxta scripta
Mitti a militibus.

8 a. Per quam sacra conservetur
Ecclesia et laetetur
Pace freta, Deo detur
Honor, Deus et precetur,
Schismata ne irruant.

8 b. Fili Dei, te laudamus,
Confitemur, adoramus,
Tunica nam tua dignos
Nos fecisti, sublimandos
Nunc et in perpetuum.

Miss. Trevirense imp. Confluentiae 1547. — 4 a, 1 thesauro ipse. — 5 b, 1 reticulatam. — 7 a, 1 Tantum. — 7 a, 3 Mentem. — 7 b, 2 in quam. — Verfasser Johannes de Enen, Weihbischof von Trier.

17. Missa de Tunica Inconsutili.

1 a. Plebs pistica, prome laudes
Redemptori, cuius gaudes
Habitu dignissimo,

1 b. Fide firma per quem audes
Hostiles vincere fraudes
Agressu tutissimo.

2 a. Vestis haec est manuale
Matris opus virginale,
Actum sine sutura;

2 b. Corpus tegit filiale,
Donec debitum mortale
Ferret pro creatura.

3 a. O mirandum vestimentum,
Cuius aetas dat augmentum
Ab eius infantia;

3 b. Simul sumunt incrementum,
Nullum vestis nocumentum
Gerens, labis nescia.

4 a. Hanc Iudaei rapuerunt
Et sortem super miserunt
Nolentes partiri;

4 b. Nam, quod vates praedixerunt,
Haec ignari perduxerunt
Effectum sortiri.

5 a. Quam ab oris gentilium
Imperator fidelium
Karolus extraxit,

5 b. Regno gestante lilium
Per virtutis auxilium
Haec famam protraxit.

6 a. Ab argento sumpsit nomen
Oppidum, quo dedit numen
Sacram collocari,

6 b. Ubi gratis dat iuvamen
Christicolis hoc velamen,
Dignum decorari.

7 a. Guerrarum per intervalla
Vestis muro latens illa
Stat nullo sciente;

7 b. Unde fulgent miracula,
Monachorum oracula
Angelo ducente.

8 a. O quam certa probatio,
Indiscreta devotio
Militi frangenti,

8 b. Cui vitae sedatio
Fuit et restauratio
Reatum lugenti.

9 a. Ut fore Christi tunicam,
Quam mater egit unicam,
Fidelis confidat,

9 b. Gratiarum mirificam
Et nostrae precis amicam
Hanc nullus diffidat.

10 a. Quam colentes post mortalem
Stolam Christus immortalem
Det ferre nuptiis,

10 b. Perducens ad triumphalem
Collaetantes Hierusalem
Summis deliciis.

Miss. Parisiense imp. Parisiis 1541. — 6 a, 1 sq. weist auf Argenteuil.

18. De Corona Spinea.

1 a. Ad honorem
Cantemus coronae Christi
Alleluia.

1 b. Hac corona
Mundent sacri flatus dona
Corda nostra.

2 a. De spinis conficitur,
Quibus Christus pungitur,
Diadema.

2 b. Christi sanguis funditur,
Qui nobis efficitur
Medicina.

3 a. Nam, cum caput pungitur
Christi et comprimitur
Hac corona,

3 b. Daemon tunc confunditur,
Synagoga sternitur
Semper caeca.

4 a. Sertum pro supplicio
Fit et pro ludibrio
A profanis;

4 b. Est spinarum punctio
Iucunda devotio
Christianis.

5 a. Crux, corona spinea,
Clavi, simul lancea
Erunt in novissima
Die illa,

5 b. Et Christi tunc varia
Patebunt supplicia
Per vexilla regia
Haec praedicta.

6 a. Tunc erunt vetera
Deiecta scelera,
Et damnabitur
gens misera.

6 b. Nostra sint opera
Sic salutifera,
Ut cantemus in
patris dextera.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 1 b, 2 sacri pneumatis. — Melodie: Laetabundus.

19. De Corona Spinea.

1 a. Speciali gloria
Cunctis in memoria
Christi sit martyrium;

1 b. Dulcis recordatio,
Qualis amicatio
Fuit illud omnium.

2 a. Homo, pensa suaviter,
Pro te Christus graviter
Passus est suspendium.

2 b. Clavi, crux et lancea,
Fel, arundo, spongia
Sint in visu mentium;

3 a. Plus corona spinea,
Rubens et sanguinea,
Sacrum plectens cranium,

3 b. Lotrix nostri criminis,
Victrix Orci liminis,
Sublevans excitium.

4 a. Florum flos egreditur
Spinam, qua flos laeditur
In salutis gaudium.

4 b. Hanc ut crucem Dominus
Tactu sacrat, non minus
Sibi sit praeconium.

5 a. Lex hanc typat Moysi
Sertis Maon Isai
Saul cingens filium.

5 b. Hac divinae gratiae
Supplicemus facie
Frui det caelestium.

Miss. ms. Ultraiectin. saec. 15. Cod. Ultraiectin. 402. A. — Miss. ms. Ultraiectin. saec. 15. Cod. Haagen. V 25. B. — Miss. ms. Ultraiectin. saec. 15. Cod. Bruxellen. 15 073. C. — Miss. ms. Capellae Leprosorum prope Horn. saec. 15. Cod. Weerten. s. n. D. — Grad. ms. anni 1542. Cod. Bruxellen. 4767. E. — Sequent. ms. Campen. anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. F. — Miss. Traiecten. imp. Antwerpiae 1540 (W. Moll. Hymnen en Sequentien). G. — 1 a, 1 Specialis F. — 1 a, 3 Sit Christi CDE. — 2 a, 2 Per te F. — 2 b, 3 in viso CDE. — 3 a, 3 plectens carminum F. — 3 b, 2 Victrix orti luminis F. — 4 a, 1 sq. egreditur | Spinam qua flos fehlt A. — 4 a, 2 Spina B. — 4 b, 3 Sibi sit fehlt F (eine Lücke); Sibi fehlt G. — 5 a, 1 In hanc F. — 5 a, 2 Sertus CDFG. — 5 b, 1 Hanc divinae CDEFG. — Melodie: Veni sancte Spiritus.

20. De Corona Spinea.

1 a. Iam caelorum hierarchia
Dulcisona melodia
Psallat regi gloriae,

1 b. Psallat omnis creatura
Laureato iam praedura
Corona victoriae.

2 a. Sion nata, fac egressum,
Diadema vide pressum
In caput dominicum,

2 b. Quo synagoga crudelis
Mater illud spinae telis
Coronavit caelicum.

3 a. Immundatur sacra cutis,
Maculatur foedis sputis
Clara regis facies,

3 b. Flagellatur dulcis Iesus
A Pilato, ut sic caesus
Zeli cedat rabies.

4 a. Exiit hinc ferens sertum
Diris sentibus refertum
Manibus sacrilegis,

4 b. Exclamavit tunc proterva
„Crucifige hunc“ caterva,
„Hunc perversorem legis.“

5 a. Salve, lignum memoria
Dignum, per quod scoria
Cessavit protoplasti,
Cui gyro orbis fasti
Nullum coaequatur.

5 b. Sit benedicta florida
Corona, quae rorida
Fit virgineo rore,
Christi nobili cruore,
Per quem fecundatur.

6 a. Caelum stupet, terra tremit,
Quod arundo spinam premit
In sacratum lilium,

6 b. Eclipsavit lux solaris,
Ubi sensit in amaris
Poenis Dei filium.

7 a. Telluris apertura
Petrarumque scissura
Hunc Deum est fassa,

7 b. Sed nefanda natio,
Cuius caeca ratio,
Huic non est compassa.

8 a. Haec attende, credula
Gens, et voce sedula
Clama cum propheta:

8 b. Quae reddam vota pia
Deo, qui ludibria
Tulit sine meta?

9 a. Pietas Domini multa,
Nam rogat, ut sit inulta
Tortorum malitia;

9 b. Quis audivit tale donum?
Redditur pro malo bonum,
Pro bono supplicia.

10 a. Fili Dei, mitis agne,
Regum dominator magne,
Peccantes non despice,

10 b. Obscurato pridem velis
Vultu, nunc fulgente caelis
Plasma tuum respice.

11 a. Te precamur, nobis praesta,
Ut coronae tuae festa
Recolamus cernui,

11 b. Recolentes, pater, nosce,
Libro vitae nos deposce
Aureola perfrui.

12 a. O cunctorum causa prima,
Summa gubernans et ima,
Fac nos te diligere

12 b. Fide recta, spe perfecta,
Ut cum turba praeelecta
Semper queamus vivere.

Seq. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Vindobon. 4088. A. — Miss ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 608. B. — Miss. ms. Claustroneoburgense anni 1479. Cod. Claustroneoburgen. 612. C. — Miss. ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 616. D. — 2 b, 2 Nostre illud A; Martyr illa B. — 3 a, 1 Inudatur B, Inundatur C. — 4 b, 1 tunc fehlt BCD, — 4 b, 3 Hunc fehlt BCD. — 5 b, 1 Fit A. — 5 b, 2 quae fehlt BCD. — 6 b, 2 sentivit amaris A. — 7 b, 2 Cuius excaecatio A. — 8 b, 1 reddas A. — 10 b, 2 Vultu fehlt A; fulgens A. — 11 a, 3 Recolentes A. — 11 b, 1 pater noster A.

21. De Corona Spinea.

1 a. Gens Gallorum, iucundare
Te prae cunctis abundare
Sabaoth in vinea;

1 b. Voce pia memorare
Donum Dei singulare
De corona spinea.

2 a. Quam cum turba praelatorum
Ludovicus, rex Francorum
A Philippo tertius,

2 b. Magna cum devotione
Passionis et coronae
Attulit Parisius.

3 a. Quam Venetarum incolis
Praeses Constantinopolis
Obligarat in pignore,

3 b. A Pipinis et Carolis
Honorandam christicolis
Tuo redemit tempore.

4 a. Providit heres . . .,
Quod regis nuntii . .
Non inconsulte precore

4 b. Attulerunt in Franciam
Latriae terrae propriam
A latialis lutore.

5 a. Felix proles Hectorea,
Gens in bello fulminea,
Felix Francorum filius,

5 b. Gens audax, a qua postea
Lutetium urbs antea
Dicta fuit Parisius.

6 a. Sanctis cuius doctoribus
Et invictis militibus
Victrix et doctrix galea,

6 b. His ut praedicatoribus,
Istis tamquam martyribus
Sacra mittitur aurea.

7 a. Plebs gratiae singularis,
Quae propter haec congregaris,
Coronae sollemnia

7 b. Dum canendo gratularis,
Inde ne obliviscaris
Coronae mysteria.

8 a. Christus fuit coronatus,
Sed coronae cruciatus
Pungentis angustia;

8 b. Victor fuit laureatus,
Fuit tamen sociatus
Dolor cum victoria.

9. Honor spinae sociatur,
Ut fidelis habeatur
Mentis in memoria.

10 a. Et attende, plebs devota,
Cui ratio non est nota,
Ex spinis [cur] laurea,

10 b. Et quid per hoc figuretur;
Istud enim, ut videtur,
Factum est propterea:

11 a. Nam corona, quae beatis
Erit, fiet haec damnatis
Ac reprobis spinea,

11 b. Quando Christus iudicabit,
Quando purum separabit
Triticum a palea.

12 a. Nunc devoti supplicamus,
Ut in mundo sic vivamus,
Quod sequantur gaudia;

12 b. Hic coronam celebramus,
Coronati gaudeamus
Aeterna praesentia.

Sequent. ms. sacc. 16. Cod. Ravennaten. 139. 5. S. — 6 a, 3 Victri doctrix. — 6 b, 1 His in. — 11, a 2 Exit. — 12 a, 3 Quod rem que gaudia. — 12 b, 1 Hec coronae celebremus. — Abgesehen von anderen Dunkelheiten des Textes ist zu beachten, dafs die 2 ersten Verse von 2 b mit den entsprechenden von 2 a nicht, wie es sonst durchweg der Fall ist, reimen; ähnlich bei Str. 10 u. 11 nicht gleicher Reim.

22. In Parasceve Domini.

1. Pater, qui commoda
omnia regis
ubique pariter
cum propria subole,

2. Quam pro nostro
admisso scelere
hodie das in escam
pro omnibus populis.

3. Traditur patrator mundi
per manus miseri Iudae
infidis Iudaeis
ad crucifigendum,

4. Ut nos a morte eripi
valeremus gratias
persolventes.

5. Magnus in orbe sacerdos
hodie immolatur
pro salute mundi.

6. Huius in morte
sol tenebrescit,
infernus ac tellus
seminant lacrimas
cum tremore.

7. Latro ipsum agnovit,
dum penderet in cruce,
dicens: Domine
mei memento;
at Iesus ait: pateant
tibi et in me sperantibus
ianuae paradisi.

8. Qui passurus advenisti
propter nos,
prophetice prompsisti:
ero mors tua, o mors.

9. Teque vinciri
voluisti
nosque a nostris
vinculis eripuisti.

10. Vita in ligno
moritur,
infernus et mors
rugiens spoliatur.

11. Sancti, qui tenebantur
in morte capti,
in voce lacrimabili
clamaverunt: advenisti
redemptor noster,
quem exspectabamus.

Trop. ms. Vicense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Capit. Vicen. CXI. — Wie die Neumen erkennen lassen, ohne Parallelismus.

23. De sancto Sepulcro.

1. Victimae paschali laudes
Christo nunc persolvemus.

2 a. Agnus redemit oves
Christus morteque sua
Reconciliavit
peccatores,

2 b. Mors et vita duello
Diro in isto bello,
Dux vitae mortuus
regnat vivus.

3 a. Dic nobis, Maria,
Numquid tumbam vidisti,
Sepulcrum Christi viventis
Et gloriam eius resurgentis?

3 b. Angelicos testes
Produxisti et vestes,
Quod Christus certe surrexit
Praecedens suos et quos dilexit.

4 a. Credendum est magis almae
Mariae his verbis,
Quam Iudaeorum
factis protervis.

4 b. Scimus Christum surrexisse
ab hac tumba vere,
Tu nobis, Christe
rex, miserere.

Miss. Wratislavien. imp. Cracoviae 1505. — Mel. selbstverständlich: Victimae paschali.

24. De sancta Cruce.

Salve crux, salve mundi salvatio, salve.
Arbor ave vitae, fructus vitae viret in te,
Est odor et gustus tuus eximius, pretiosus,
Vitae deliciae sunt in te, vivimus ex te.
Nascitur ex ligno mors, per lignum moritur mors,
Mors moritur per te, nos vita resuscitat in te,
Vivificat vetiti defunctos germine ligni,
Victos per lignum dat per te vincere lignum.
Vicit enim ligno mors, victrix obtinuit nos,
Consuit ex foliis, heu, perizomata nudis,
Ex vitae ligno seclusit traduce ligno,
Mors nos excedit; hanc, crux, tuus esus abegit.
Nos mors evomuit, in te dum vita pependit,
In te, mors mortis, sanguis profluxit erilis.
O lignum vitae, crux, nostra redemptio, salve.
In te Leviathan est captus, Adam reparatus,
Per te chirographum rescinditur evacuatum;
Pondus dulce ferens peccati pondera deles,
Eden es clavis, mundi tutissima navis,
Carbasus et transtrum, remex antemnaque, clavum,
Es via, dux et piratis erebi dominaris,
Provehis et munis nos, adversantia punis,
In portum ducis, sub abyssum mersa reducis
Scylleosque canes a nostris morsibus arces.
Arbor ave σταῦρος, salva, Deus ἀθανατὸς, nos;
Non tradas morti, quos in cruce vivificasti,
Contra quodque malum crucis exsere, Christe, tropaeum,
Non tibi despecti sint, pro quibus occubuisti,
Et quorum pretium tuus est cruor in cruce fusus,
Sed meminisse velis, quod factus es hostia nobis,
Quod pro vulneribus nostris es vulnera passus.
Antidoto vitae contritos corde medere,
Quod placet, id confer, quidquid tibi displicet, aufer,
Iunge tibi tua membra, sit in te sessio nostra.
Victor mortis, ave; crux, vitae gloria, salve.

Grad. ms. Epternacen. saec. 12. Cod. Parisien. 10510. — Aus der gleichen Quelle Reiners (Die Tropen Prosen u. Präfationsgesänge 1884, S. 90), nicht ohne einige störende Lesefehler. Ziemlich mifsglückt ist die Ausgabe von F. X. Kraus (Österreich. Vierteljahrsch. f. kath. Theol. II, 54 sq.) — Als Verfasser möchte Reiners auf Grund der Helenismen den Abt Thiofrid vermuten. — „Titulus: Dulce lignum."

25. In Exaltatione s. Crucis.

1 a. Prodeunt vexilla
nunc regis aeterni
praeclara,

1 b. Fulgent mysteria
crucis vivificae
sacrata.

2 a. Est in qua
praecellentissima hostia

2 b. Immolata
redemptionis gratia,

3 a. Iam pretiosissima
Christi pendent viscera
in cruce celsa,
tenduntur membra,
manus ac vestigia
clavis confixa.

3 b. Vulneratus lancea
nostra lavit crimina,
sanguis et aqua
profluxerunt,
et mundantur maria,
aer et terra.

4 a. O nimis fulgida
et decora
arbor beata
et ornata
regis purpura.

4 b. Tu digno stipite
es electa
tangere membra
gloriosa
ac sanctissima.

5 a. Super universa ligna
cedrorum celsior sola,
pependit in qua
Dominus, mundi vita.

5 b. David fidelis carmina,
quae cecinit, adimpleta
credimus, regnat
Deus de ligno quia.

6 a. Salve, crux pretiosa,
salve, crux veneranda,
quae Christi es
corpore dicata;

6 b. Tu es, crux veneranda,
tu es, crux adoranda,
digna mundi
portare talenta.

7. O crux gloriosissima,
omnium spes unica,
nostra poscit caterva,
veniam reis dona,
ut gaudeamus per saecla.

Miss. Abulense imp. Salmanticae 1510. — 2a, 2 Et in quam. — 3b, 4 scheint verderbt. — 6b, 3 sq. portare mundi.

26. „Philothei monachi Casinensis in sacrosancto resurrectionis die Sequentia.“

1 a. Laudent caeli conditorem,
Laudet terra redemptorem
Mirans eius gloriam;

1 b. Laeta dies sit redemptis,
Lingua promat resurgentis
Domini victoriam.

2 a. Dies namque celebratur,
In qua nostrae praesignatur
Carnis resurrectio;

2 b. Agnus vicit nunc draconem,
Nunc submersit Pharaonem
Rubri maris sectio.

3 a. Imber abit et recessit,
Hortus noster iam florescit,
Perfluunt aromata;

3 b. Sponsa fulvos inter flores
Christi currit post odores
Concinens alleluia.

4 a. Peccatorum sonent plausus,
Ionas ceti ventre clausus
Hodie proicitur;

4 b. Philistaeos verus David
Et Goliam superavit,
In quo Satan vincitur.

5 a. Postquam diu tritus sedit,
Bona tandem Iob accepit
Duplicis substantiae;

5 b. Samson urbis tulit postes,
Viro forti cedunt hostes
Caelestis potentiae.

6 a. Nunc Aegyptus spoliatur,
Plebs Hebraea nunc ditatur
Sempiterno munere;

6 b. Hoc tu nobis praestitisti,
Christe Iesu, cum venisti
Iugum nostrum tollere.

7 a. Mortis hamum tunc celasti,
Cum te nobis coaptasti
Carne cinctus lutea;

7 b. Nunc infernum momordisti,
Morte mortem peremisti
Dei cinctus framea.

8 a. Portas aeris confregisti,
Victor, Christe, surrexisti
Pede calcans tartara.

8 b. Dulcis Iesu, pastor vere,
Tu nos tecum fac gaudere
In aeterna saecula.

Miss. Casinen. imp. Venetiis 1505.

27. In Resurrectione Domini.

Feria Quarta.

1 a. Splendent, ecce, novi
rutilantia festa diei,

1 b. Azima fermento
quibus est plebs laeta repulso.

2 a. Non haec Ebraici
vetus est celebratio phase,

2 b. Agnus praecipuam
tulerit haec ille figuram.

3 a. Etenim nostrum
pariter
pascha crucis
tulit suspendia,
uterque postis
intinctus,
ac piaculo
tanti criminis
luminaria
templi cum velo scissa.

3 b. Si primogenitus
Israel
conferatur
Aegypto,
qui carior cunctis
habebatur populis,
utrosque,
licet caesos,
parebit illos corpore
tantum, illos anima.

4 a. Nam nocte
media claustra
inferni disrupta
fideliumque omnium
redemptio facta.

4 b. Vetera
iam recedant
fermenta,
erumpant azima,
induantur nova.

5. Crucifixus Dominus
pro homine
eadem die,
qua creavit hominem,
mortuus atque sepultus,
velut in principio sua
cuncta patrarat opera.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Die Hexameter 1a—2b Entlehnung. — 3b, 4 Aegyptus. — 3b, 10 tamen. — 4b, 5 diutantur nova. — 5, 1 Domino. — 5, 6 suo. — Kein Parallelismus.

28. In Resurrectione Domini.

Feria Quinta.

1. Alleluia,

2. Sabbato namque
quievit sepultus
lapide,
ut veteris cuncta
fuisse factus sum,
cenantur iam novae
umbra.

3. Eoa lux occurrat
octava,
quae est et prima,
evigilet,
qui dormierat
et potum mortis biberat,
det tristi mundo gaudia,
qui eius tulit peccata.

4. Iam surrexit,
iam se ostendit,
iam cunctorum per ora
volitat hac aula:

5. Lauda, iubila,
hymniza, decanta,
plebs nunc tu christiana,
cum Christo commortua
et convivificata,
adhuc per aevum
resurrectura.

6. Dole et ange, Iudaea,
quae amisisti quondam
misera tutorem
tui; fornicaria,
redi ad eum,
qui te dilexit
ab adulescentia,
ut nobiscum sis sponsa

7. Eius, qui cum patre
et spiritu sancto unus
vivit Deus et regnat
per cuncta saecula.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Nach Ausweis der Neumierung ohne Parallelismus. — 2, 4 sqq. unverständlich. — 4, 4 haec aula.

29. In Resurrectione Domini.

Feria Quarta.

1. In exitu Israel
de Aegypto
. Est cantandum
Alleluia.

2a. Est Aegyptus spoliata,
Hebraeorum gens ditata
Alleluia.

2b. Pharaonis currus multus
In profundum est sepultus,
Alleluia.

3 a. Eius posse est absorptum,
Tu, plebs Dei, tenes portum,
Alleluia.

3 b. Tu, plebs Dei, sis in laude,
Canta Deo et adplaude,
Alleluia.

4 a. O rex Achim, es deceptus,
David noster est erectus,
Alleluia.

4 b. Contra datam sibi sortem
Ionas noster vicit mortem,
Alleluia.

5 a. Samson Gazae seras frangit,
Orcus suas fractas plangit,
Alleluia.

5 b. Dagon cadens est confractus,
Daemon pugnans est subactus,
Alleluia.

6 a. Raab dedit filum nosse,
Quantum, quale crucis posse,
Alleluia.

6 b. Postis cruce consignatur,
Plebs a morte liberatur,
Alleluia.

7 a. Verus agnus immolatur,
Via vitae nobis datur,
Alleluia.

7 b. Fracto iugo dirae mortis
Resurrexit leo fortis,
Alleluia.

8 a. Resurrexit Christus vere,
Nequit illum mors tenere,
Alleluia.

8 b. Iesus fuit monumento,
Resurrexit, plebs, memento,
Alleluia.

Grad. ms. Sedunen. saec. 13. Cod. Capit. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedunen. saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — Sequent ms. Sedunen. saec. 14 et 15. Cod. Capit. Sedunen. s. n. C. — Sequent. ms. Sedunen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Capit Sedunen. s. n. D.

30. Sabbato post Pascha.

1 a. Resurrexit amor meus,
Iesus, qui est homo-Deus
Et dulcis memoria.

1 b. Resurrexit de sepulcro
Qui pependit ligno pulchro,
Per quod ad iustitiam

2 a. Resurrexit Christus vere
Et hoc teste muliere,
Cui primo apparuit;

2 b. Resurrexit sol refulgens,
Qui peccamina indulgens
Toti mundo claruit.

3 a. Resurrexit, ut non flerent
Discipuli sed gauderent
In eius praesentia;

3 b. Resurrexit, ut surgamus
A vitiis et eamus
Per eius vestigia.

4 a. Resurrexit morte trita
Iesus, qui est tuta vita
In eum credentibus;

4 b. Resurrexit flos decoris,
Ut sit balsamus odoris
Post ipsum currentibus.

5 a. Resurrexit pius frater,
Qui est semper dulcis pater
In via et patria;

5 b. Resurrexit, ut fraterno
Solacio et paterno
Fruamur in gloria.

Miss. Fontrebalden. imp. Parisiis 1534.

31. Dominica in Albis.

1 a. Psallat chorus
Nunc sonorus,
Si tamen promeruit,

1 b. Plebis sanctae,
Cuius ante
Deus crimen abluit.

2 a. Turba recens,
Quam fons praesens
Christo quoque genuit,

2 b. Quamvis lactens
Nova petens
Vetera deposuit.

3 a. Omnes simul christiani
Sacrificio paschali
Laudes dare studeant;

3 b. Pastor verus resurrexit,
Ad caulas oves direxit,
Semper ubi gaudeant.

4 a. Vicit vita,
Mors est victa
Hoc sollemni proelio;

4 b. Morte Christi
Surgunt iusti
Exempti exsilio.

5 a. Nos fermento
Tandem spreto
Veteris perfidiae

5 b. Iam securi,
Quod visuri
Regem sumus gloriae.

6 a. Adeamus
Gallilaeam,

6 b. Transeamus
Ut per eam

7 a. Ad regna caelestia;

7 b. Amen dicant omnia.

Tropar. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. B. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. C. — 2 b, 3 disposuit C. — 3 b, 3 gaudeat C. — 4 a, 1 Vincit BC. — 4 b, 2 Surgunt rei A.

32. Dominica 2. post octavam Paschae.

1 a. Immutato carnis iure
Universae rex naturae
Iura subit creaturae
Sola ductus gratia.

1 b. Res a saeclis non audita:
Deitati fit unita
Caro nostra, mundi vita
Virginali clausula.

2 a. Stella nova novum lumen
Dat, dum spirat virgo numen,
Cui caelum, terra, flumen
Lege cedunt debita.

2 b. Fecundatur caeli rore
Vellus siccum, virga flore,
Castitatis cum tenore
Virgo fit puerpera.

3 a. Praesagitus in scripturis
Mons abscissus non scissuris,
Carnem vestit nostri iuris
Agnus absque macula.

3 b. Rubum sacrans vivax ignis,
Homo Deus, hic mons pinguis,
Certis mundo claret signis
Vitae dans piacula.

4 a. Maiestatis ius divinum
Unda sentit, cum fit vinum,
Gustantem architriclinum
Nova fallunt pocula.

4 b. Panum quinque supplementa
Turba stupet his distenta,
Vix reponens tot fragmenta
In bis sena sportula.

5 a. Lingua mutis reseratur,
Claudis gressus reparatur;
Helisaeus incurvatur,
Caro calet pueri.

5 b. Iam loto Naaman unda
Lepram nescit caro munda,
Redivivi fit iucunda
Martha soror Lazari.

6 a. Ramis via decoratur,
Deum turba protestatur,
Dum Hosanna proclamatur
Salvatori obviam.

6 b. Plebs Iudaea zelo tacta
Deitatis, stupefacta,
Pavens, ne gens fidem nacta
Tota colat Messiam,

7 a. Mortis causa machinatur,
Iudae munus irrogatur,
Turbae Christus demonstratur
Signo pacis osculo.

7 b. Flagris caesus coronatur,
Cruce lusus elevatur,
Perforatur et potatur
Mixto fellis poculo.

8 a. Universae carnis sortem
Vita subit passa mortem,
Lapsam Styge sic cohortem
Evehit ad propria.

8 b. Leo fortis suscitatur,
Magdalena quod testatur,
Cui primum declaratur
Resurgentis gloria.

9 a. Quadraginta post diebus
Attestatus multis rebus
Noster scandit astra Phoebus
Vescens cum discipulis.

9 b. Hinc promissa complens data
Corda replet praeparata,
Lingua stupet gens adfata
Fantibus apostolis.

10 a. Erubescant iam Iudaei,
Caelis regnat caro Dei,
Cuncta merces nostrae spei,
Patris est ad dexteram.

10 b. Tu regnantis o Maria
Mater Christi, vitae via,
Ora natum prece pia,
Ut det nobis veniam

11. Et solutos mole carnis
Pertrahat ab patriam.

Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. B. — 3 b, 1 Rubrum B. — 5 b, 1 Nam loto AB. — 9 a, 3 Nostri AB.

33. In Ascensione Domini.

1. Adest nobis summa
laetitia,
perennis gloria.

2 a. Christus ascendit victor
ad caeli summa
secum reportans
mortis tropaea.

2 b. Stupet manus sacrata
apostolica
cernens miranda
atque iucunda.

3 a. Nubes namque praeclara
Christum tulit in aethra,

3 b. Pollicentem ventura
spiritus sancti dona.

4 a. Huius virtus apostolorum
perlustravit corda
iuxta promissa
die decima.

4 b. Sic nos inflammet supera
charismatum gratia,
ut simus eius
habitacula

5. Affatim digna
per aeterna saecula.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

34. In Ascensione Domini.

1 a. Canamus alacriter
Corde, voce dulciter
Pulsis vanis eminus;

1 b. Nam rex regum omnium,
Lux, vita fidelium,
Iesus Christus Dominus,

2 a. Postquam victo zabulo
Surrexit e tumulo
Paruitque servulis,

2 b. Monens, ut increduli
Non essent sed seduli,
Verbis et miraculis,

3 a. Et inserant libere
Lato patris munere
Orbi salutifera,

3 b. Hoc die cernentibus
Illis et mirantibus
Scandit supra sidera.

4 a. Nunc ergo te poscimus,
Ut nos, qui te colimus,
Orphanos non deseras,

4 b. Sed promissa caelitus
Dona sancti spiritus
Nobis, Christe, conferas,

5 a. Et in fine saeculi,
Cum opera populi
Veneris discutere,

5 b. Non saeva supplicia
Sed aeterna gaudia
Digneris impendere.

Sequent. ms. saec. 16. Cod. Ravennat. 139. 5. S. A. — Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Anbianew. 132. B. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. C. — 3b, 1 die cenantibus A. — 5b. 1 Nam saeva. — Melodie: Lucis orto sidere.

35. In Ascensione Domini.

1. Salve, dies, qua inferna
Spoliavit ad superna
Christus tendens gaudia.

2 a. Christus Iesus nunc ascendit,
Qui pro nobis iam descendit
Nostra sumens vilia.

2 b. Super astra sublimatur,
Non apparet, absentatur
Corporis praesentia.

3 a. Cuncta tamen moderatur,
Cuius patri coaequatur
Honor et potentia.

3 b. Modo victor, modo tutus,
Est in caelis constitutus
Rector super omnia.

4 a. Non est rursum moriturus
Nec per mortem mundaturus
Hominum contagia.

4 b. Semel enim incarnatus,
Semel passus, semel datus
Pro peccatis hostia.

5 a. Nullam refert ultra poenam,
Nam quietem habet plenam
Cum summa laetitia.

5 b. Cum recessit, ita dixit,
Intimavit et infixit
Discipulis talia:

6 a. Iam ad patrem meum ibo,
Sed sciatis, quod redibo,
Veniet paraclitus,

6 b. Qui discretos et loquaces
Et securos et audaces
Faciet vos penitus.

7 a. Super aegros et languentes
Manus vestras imponentes
Sanitatem dabitis,

7 b. Universas res nocentes,
Inimicos et serpentes
Et morbos fugabitis.

8 a. Qui fidelis est futurus
Et cum fide suscepturus
Baptismi remedium,

8 b. A peccatis erit purus
Et cum iustis habiturus
Sempiternum praemium.

Grad. ms. Mutinen. saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. — 5 b, 3 Talia discipulis; stört den Reim. — Strophe 1 dient als R° nach je 3 Zeilen.

36. In Ascensione Domini.

1 a. Iesum sonet laudis melos,
Rex virtutum scandit caelos
Sublimi potentia.

1 b. Totus caeli potentatus
Illi exit laureatus
Summa cum laetitia.

2 a. Iubilant et admirantur,
Laude simul iucundantur
Circa haec magnalia.

2 b. In dulcorem sonant voces,
Distinguunter per cohortes
Astra caeli fulgida.

3. In amorem exardescunt,
Quaerunt sic et obstupescunt
Et respondent, qui cognoscunt
Iesu mirabilia:

4 a. Quis est iste gloriosus
Sua forma, speciosus
Gratuito munere?

4 b. Quid est istud, quo vestitur,
Cur maiestas operitur,
Quae non eget tegmine?

5 a. Haec est vestis illa pia,
Caro sumpta de Maria
Non virili semine.

5 b. Cur est vestis lacerata
Et hinc inde rubricata
Quasi tincta sanguine?

6. Hae sunt plagae, quas portavi,
Hic est sanguis, quem manavi
Moriens pro homine.

7 a. Quis est iste comitatus,
Tam sublimis apparatus,
Quo procedit rex vallatus
Quasi cinctus agmine?

7 b. Hae sunt animae beatae,
De inferno liberatae,
Quae fuerunt captivatae
Pro parentum crimine.

8 a. Ergo cantent in hoc die
Tres caelestes hierarchiae
Nato virginis Mariae
Per laudum praeconia,

8 b. Qui per mortem hostem stravit
Et infernum spoliavit
Et de morte triumphavit
Resurgens in gloria.

9 a. Sic naturam reparavit
Humanam et exaltavit
Et ruinam restauravit
Aequa dans fastigia.

9 b. Nunc ascendit sic patenter,
Caelos penetrat potenter
Et transcendit excellenter
Omnium cacumina.

10 a. Pater stringit, amplexatur
Unigenitum, testatur,
In quo solo iucundatur,
Cui dedit omnia.

10 b. Iam in dextra patris sedet,
Unde stando mentes replet
Et conformes sibi praebet
Tribuens charismata.

11. Rex benigne, nos conforta,
Semper tibi nos concorda,
In te ipsum nos transporta,
Qui adimples omnia.

Sequent. ms. saec. 16 in. Cod. Basileen. ℵ D III 5.

37. In Festo Pentecostes.

1. Laudes

2 a. Summo debitas
genitori immensitas
personet
nationum
per orbem
circumquaque positarum,

2 b. Et filio
ipsius unigenito
concinat
omnis chorus
sanctorum
dulce carmen angelorum.

3 a. Qui de sinu patrio
exiens
carnem induit
alvo clausae virginis,
humanae
pro causa natus salutis.

3 b. Utque suos solveret
nexibus
diabolicis,
mortem fuso sanguine
gustavit
et potenter resurrexit.

4 a. Et assumptam
aetherios carnem
in caelos levans
patris dexterae
iam immortalem iunxerat,

4 b. Mox missurus
fidelibus suo
ascensu multum
condolentibus
olim promissum spiritum.

5 a. Hodie throno
directus patris
sono repentino
corda sanctus
illustravit spiritus.

5 b. Divisionem
quondam linguarum
turrim construentum
modo linguis
adunavit igneis.

6 a. Fiduciam
suis apostolis
donaque
inserens doctrinae,

6 b. Ut populis
fidei monita
spargerent
quadruplo terrarum orbe.

7 a. Te, sancte spiritus,
suppliciter
imploramus voce
concordi
mentibusque devotis.

7 b. Ut, qui paraclitus
altissimi
patris atque nati
vocaris
utriusque communis,

8. Servorum
benignus sis consolator
tuorum.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 3 b, 1 Atque. — 6 b, 4 zwei Silben Ueberschuss wie stets in dieser Mel. — Melodie: Hypodiaconissa.

38. In Festo Pentecostes.

1. Hodie laeti
sancto, carissimi,
gaudio cuncti

2 a. Devotis celebremus
modulis
dulcibusque melodiis
sacratissimum
omnipotentis Dei
diem colamus,

2 b. Quo filius Domini
excelsus,
postquam scandit ad solium
caeli arduum
nostramque carnem ducens
secum captivam,

3 a. Electa suorum
corda apostolorum
aeterni implevit
pneumatis gratia
divina illis ferendo
munera,

3 b. Quo sanctum caelestis
Domini tropaeum
per quadripertitum
veherent orbem
verbumque salutis darent
populis.

4 a. Illorum enim ut
doctrina
debilia sanarent
corpora,
diabolicis
possessos
faucibus eriperent
Deoque darent.

4 b. Mortuos etiam
pristinae
restituerent vitae
socios
idolorumque
ministros
Iesu Christi facerent
fore cultores.

5 a. Tu, amator
sancte caelestium
paraclite charismatum,
altissimi
promissum patris
esse munus crederis.

5 b. Tu prophetis
inspirasti sanctis
tui virtute numinis,
ut Domini
praecinuissent
praeconia inclita.

6 a. Tu casta intactae
genetricis claustra
gratia
implesti gloriosa,
virgo ut pareret
virgoque permaneret.

6 b. Tu patris ad dextram
aureolo sedens
superni
solio trinam regis
passim perituri
creaturam saeculi.

7 a. O paraclite
sacratissime,
nostro horridas
pectori
circumlitas nitore
perenni purga tenebras.

7 b. O paraclite
sacratissime,
nostris infunde
cordibus
veri iubar amoris
tuique fontem luminis.

8 a. Fac in nobis
praeclarum patris sophiae
habitaculum omnibus
depulsis contagiis,

8 b. Ut, cum iudex,
aethereorum dominus,
iudicaturus vagula
advenerit saecula,

9. Nos ne habeat igne
aeterno punire,
sed in paradisi
amoenitate fovere.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 5 b, 5 sq. praeconia praecinuissent. — 8 a, 1 Hac in nobis. — Als Melodie bezeichnet die Hs.: Organa.

39. In Festo Pentecostes.

1. Dignis hodie,
fratres devoti,
praeconiis omnes,

2 a. Gaudiis hilariter
iucundo
atque corde promptissimo
hunc diem cunctis
diebus recolamus
celeberrimum,

2 b. Filius in quo Dei
excelsus,
postquam alta penetrando
caeli potenter
captivam secum nostram
carnem duxerat,

3 a. Promissum de caelo
sanctum spiritum mittens
in apostolicis
fudit cordibus
divina illis ferendo
munera,

3 b. Ut regis invictum
altithroni triumphum
per quadripertita
orbis climata
vigilarent ac docerent
populos.

4 a. Atque ut illorum
doctrinam
solidarent signorum
munere,
supra spiritus
immundos
expellendi gratiam
contulit summam,

4 b. Mortuosque luce
privatos
restituerent vitae
pristinae
et languoribus
diversis
irretitos redderent
priscae saluti.

5 a. O creator
immense cunctorum,
cum patre simul et nato
coaequalis
et septiformis
Dei dexterae digitus,

5 b. Qui caelesti
procedens a throno
apostolorum interna
illustrando
tui amoris
inflammaveras facibus,

6 a. Tu quondam prophetas
spiraculo tuae
sacrato
virtutis insufflasti,
ut vaticinia
peragerent inclita.

6 b. Tu claustra intactae,
o spiritus alme,
pudica
implesti genetricis,
virgo ut pareret
virgoque persisteret.

7 a. Tu aureolo
summus solio
cum altissimo
patre sedens
imperium perpetuo
universorum retines.

7 b. O paraclite
sacratissime,
te suppliciter
deposcimus,
ut veniam facinorum
dare digneris famulis.

8 a. Tu horrida
pectoris nostri occulta
eliminatis expurga
clementer cunctis sordibus

8 b. Et cordibus
insere veri amoris
dilectionem mentesque
illustra tuo lumine

9. Nosque tibi praeclarum
fac habitaculum
Atque sedem in nobis
tu habeto perennem.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 3 b, Et regis. — 3 b, 5 atque docerent. — Als Melodie bezeichnet die Hs. Organa. Die Sequenz ist augenscheinlich eine Bearbeitung der vorhergehenden.

40. In Festo Pentecostes.

1. Ecce, refulget dies
splendens gaudio,

2 a. Quem spiritus
dedicavit

2 b. Septemplici
charismate

3 a. Et ditans primitus
3 b. Electos milites

4. Apostolos proprios,

5 a. Ecclesiarum
principes,
Victoris Christi
quo portent mirum
orbi tropaeum.

5 b. Sancti spiritus
flamma succensi
qui pectoribus
Corda inflamment
frigida.

6 a. Collegit fratrum
unanimis
hic ordo sermones,
6 b. Quos viri turris
in machina
sparsere stolidi.

7 a. Haec est diei
annua huius
7 b. Celebritas
summique doni,

8. Nostri instar baptismi.

9 a. Haec nostros patres
decalogi
praecepta docuit,
9 b. Aegypti virga
Pharaonis
et lege erutos.

10 a. Nos servitute
scelerum nostrorum
solutos
ipse donat quieti.
10 b. Spiritus alme,
paraclitus noster,
[iam] veni
nostram vitam dirigens.

11 a. Nam tu gemitu
inenarrabili
incendens nostras mentes
reddis supplicantes.
11 b. Patri natoque
compar in numine,
digitus, chrisma dictum,
donum altissimum.

12 a. Expurgatis iam da
facinoribus nostris
12 b. Templum tibi dignum;
spiritus sancte, ne nos

13. Relinquas
orphanos in saeculo,
sed fove iugiter.

Trop. ms Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 9 b, 1 O Aegypti virgo. — 12 a, 1 sq. iam facinoribus notris da. — Melodie: Cignea.

41. De sancto Spiritu.

1 a. Amor patris filiique,
Pax amborum, par utrique,
Genitoris genitique
Veni sancte spiritus.
1 b. Sint inanes de te pleni,
Nos immites mitis leni,
Consolari tristes veni,
Tu qui es paraclitus.

2 a. Sempiterni stilla roris
Et divini ros humoris,
Intus nostrum, nostrum foris,
Fons caelestis, ablue.
2 b. Rivus fontis es paterni
Filiique coaeterni,
Hinc derivans non secerni
Potens fons perpetue.

3 a. Viva vena fontis vivi,
Fontis rivus et fons rivi,
Tu carnalis incentivi
Elevas incendium.

3 b. Qui de patris fonte fluis
Filiique rore pluis,
Seda sitim sisque tuis
Ros et stillicidium.

4 a. Numen es de numine,
Lumen es de lumine,
Flumen es de flumine
Rigans arva mentium.

4 b. Ros es sed perpetuus,
Liquor sed mellifluus,
Rivus sed millefluus
Mentibus credentium.

5 a. Fontis liquor, fons liquoris,
Roris humor, ros humoris,
Meri mera pax amoris
Patris erga filium.

5 b. Indivisae caritati
Solidaeque firmitati
Generantis generati
Nexus, virtus, medium.

6 a. Es de patre par eidem
Filioque par et idem,
Non hic idem sed hoc idem,
Nos haec verba, nos hanc fidem
Docuit ecclesia.

6 b. Ne supremae finis horae
Arguat nos in furore,
Pio patri pio more
Filioque tuo rore
Rigans nos concilia.

Miss. ms. Wratislav. saec. 14. Cod. Wratislav. Civic. R 164. A. — Miss. ms. S. Elisabeth Wratislav. saec. 15. Cod Mus. Silesiaci Fol. I 83 h. B. — 1 b, 1 Sunt AB.

42. De sancto Spiritu.

1 a. Aquilone pulso, veni,
Hortum, auster, flatu leni
Nostrum perfla caelitus.

1 b. Qui tuorum corda mundas,
Munda rigas et fecundas,
Veni, sancte spiritus.

2 a. Veni, lumen intellectus,
Fax amoris, pax affectus,
Informator operum.

2 b. Veni, doctor veritatis,
Veni, dator caritatis,
Distributor munerum.

3 a. Te docente nil obscurum,
Te iubente nihil durum,
Te duce nil devium.

3 b. Si quid foedat nos enorme,
Tui purgat septiforme
Roris beneficium.

4 a. Sapienti vere sapis,
Iste capit, quem tu capis,
Felix, qui te recipit.

4 b. Sano dulcis es palato,
Te recepto, te gustato
Omnis caro desipit.

5 a. Ergo veni, lux iustorum,
Veni, pater orphanorum,
Veni cum muneribus.

5 b. Amor patris filiiqui,
Locum para par utrique
Nobis in caelestibus.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

43. De sancto Spiritu.

1. Assit nobis divinitus
Gratia sancti spiritus
Nostris inspirans sensibus,
Quod bonum sit volentibus
Fervere suis laudibus.

2 a. Tu vinclum insolubile
Trinitatis essentiae,

2 b. Tu amor deitatis,
Tu calor caritatis.

3 a. Tu fons indeficiens
Omnis sanctitatis,

3 b. Tu mons supereminens
Altae bonitatis.

4 a. Columba tu mitissima,
Tu lingua facundissima
Et magistra vitae,

4 b. Ignis es tu illuminans,
Debilia corroborans
Et accendens mite.

5 a. Tu sordida purificas,
Dissoluta consolidas
Et aspera tu mitigas
Mira suavitate.

5 b. Sanas corda languentia
Ac sublevas iacentia
In imis desperantia
Ingenti puritate.

6 a. Dura tu mollificas,
Mortua vivificas
Ad aeternam vitam;

6 b. Arida rorificas,
Tibi tu pacificas
Animam contritam.

7 a. Tristes tu laetificas
Pavidos et animas
Viriliter resistendum

7 b. Cunctis Christi aemulis,
Ingratos et instruis
Fideles ad imbuendum.

8 a. Ergo, tu altitonans,
Fac, ut tibi consonans
Nostra fiat vita,

8 b. Corda nostra arida
Tuo rore rorida
Solida, ut ita

9. Sint digna habitacula
In saeculorum saecula,
Ad te nos invita.

Collect. ms. saec. 15. Cod. Pragen. I G 39. — 2 a, 1 Tu vinclum dissolubile! — 4 b, 3 accendis.

44. De sanctissima Trinitate.

1. Te decet laus,
pater, qui es dives
in omnibus,

2 a. Sed minor non decet
gloria
te, fili, et spiritus
ignee,

2 b. Quorum potestas est
et opus
simile per saecula
saeculi.

3 a. Nam pater genuit
de sua substantia
genitum;

3 b. Non illum fecerat
tempore volubili
parilem.

4 a. Per quem tempora
condidit omnia
ex nullis subsistentibus
causarum formulis.

4 b. Ipse paternae
gloriae imago,
aeterni luminis splendor,
figura eadem.

5 a. Invisibilis,
quem nullus hominum
mortali
carne conclusus viderat,
rex regum,
dominus caelorum,
trinae formator machinae,

5 b. Artubus tamen
cum patre regnator
supernus
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
eruens captivos
dente latronis saucios.

6 a. Sancte spiritus
paraclite,
summe magister
et intime,
largire tuis supplicibus,
ut digne temet laudemus
patri filioque co-
aequalem,

6 b. A quis procedens
non recedis,
sic tu mitteris,
ut dominus
nequaquam esse cessaveris,
unctio pia sanctorum
cordium, expurgator
criminum.

7 a. Haec est trinitas
et unitas,
cum tria sint unum,
et unum sit tria,
pater, genitus
et spiritus.

7 b. Sancta succurre
tuis servis
trinitas maximis
delictis immersis,
fac, spernant saeculi
illecebras

8. Te sequendo
puro ingenio,
o trinitas.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — Melodie: Trinitas.

45. De sanctissima Trinitate.

1 a. In personis pluralitas
Usia fit identitas,
Divinitatis trinitas;

1 b. In ipsis est aequalitas,
Permanet summa veritas
Aequalisque divinitas.

2 a. Summi patris potentia
Natique sapientia,
Paracliti clementia

2 b. In omnibus sunt omnia,
Dant cunctis mirabilia
Trinitatis vestigia.

3 a. Divinus ordo superus,
Pondus, mensura, numerus
Rebus relucent omnibus;

3 b. In rebus exstat veritas,
Bonitas est et unitas,
Unum vestitur pluribus.

4 a. Deum verum, unitatem
Contemplemur, veritatem,
Trinitatis mysteria;

4 b. Hic credamus nostro posse,
Non est nostrum loqui, nosse
De tam sancta materia.

5 a. Profitentes unitatem
Exoremus trinitatem,
Ut remittat vitia

5 b. Et post huius vitae cursum
Donet nobis esse sursum
In aeterna gloria.

Miss. ms. S. Felicis Gerunden. saec. 14. Cod. Gerunden. s. n. A. — Miss. ms. S. Felicis Gerunden. saec. 15. Cod. Gerunden. s. n. B. — 3 a, 1 l. Divinis AB. — 3 a, 2 Pontus A.

46. De sanctissima Trinitate.

1 a. Firmissime
fidem teneamus,
Trinitatis
patrem diligamus,
Qui nos tanto
amore dilexit,
Morti datos
ad vitam erexit,
Ut proprio
nato non parceret,
Sed pro nobis
hunc morti traderet.

1 b. Diligamus
eiusdem filium,
Nobis natum,
nobis propitium,
Qui in forma
Dei cum fuisset,
Atque formam
servi accepisset,
Homo factus
(est) patri oboediens
Et in cruce
fixus ac moriens.

2 a. Diligamus
sanctum paraclitum,
Patris summi
natique spiritum,
Cuius sumus
gratia renati,
Unctione
cuius et signati.

2 b. Nunc igitur
sanctam trinitatem
Veneremur
atque unitatem,
Exoremus,
ut eius gratia
Valeamus
perfrui gloria.

Sequent. ms. Campen. anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2 a, 2 spiritum paraclitum.

47. De Corpore Christi.

1. In exitu miserae
vitae mundi
Est canendum
Alleluia,

2 a. In quo cenam familiae
Dedit Iesus, rex gloriae,
Alleluia.

2 b. Agnus fuit edulium,
Panis Christi mysterium,
Alleluia.

3 a. Nam ephylision panis
Salutem dat christianis,
Alleluia.

3 b. Calix datur testamento,
Qui fit sanguis in momento,
Alleluia.

4 a. Cum manibus ferebatur,
Is commendans esca datur,
Alleluia.

4 b. Cinctus turba duodena
Fuit donum dans in cena,
Alleluia.

5 a. Botrus panem byssi donat,
„Hoc est corpus meum“ sonat,
Alleluia.

5 b. Per hoc corpus celaria
Dantur et caeli gloria,
Alleluia.

6 a. Tegumento specierum
Dedit nobis corpus verum,
Alleluia.

6 b. Miraculo cedit iura
Ibi virtute natura,
Alleluia.

7 a. Hoc ferculo focillatur
Nostra mens et roboratur,
Alleluia.

7 b. Timor, fides, dilectio
Sunt in hoc sacrificio,
Alleluia.

8 a. Et sanctae mentis puritas,
Ut sic credatur veritas,
Alleluia.

8 b. Digne sumat, qui gustabit,
Alioquin mortem dabit,
Alleluia.

9 a. Totum sumit is, qui credit,
Qui non credit is non edit,
Alleluia.

9 b. Hic accidens non mutatur,
Licet subiectum tegatur,
Alleluia.

10 a. Qui hoc credit, meritum
Habet, non interitum,
Alleluia.

10. Nobis donet lux superna,
Ut mereamur aeterna,
Alleluia.

Sequent. ms. Sedunen. saec. 13. add. saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedunen. saec. 14 et 15. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — Sequent. ms. Sedunen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. C. — 4 a, 2 commendens A. — Melodie: Ostersequenz „In exitu Israel“.

48. De Corpore Christi.

1 a. Vox iucunda cum favore
Nostrae mentis sit in ore
De pane dominico,

1 b. Quem in sacra mensa cenae
Iesus turbae duodenae
Dedit ab initio.

2 a. Panis iste spiritalis
Panis est angelicus,
Panis est hominum,

2 b. Vere vivus et vitalis,
Gaudeat famelicus
Sumens donarium.

3 a. O Iesu dulcissime,
Panis o suavissime,
Fidelium refectio,

3 b. Verum o nectarium,
Malum contra varium
Sis nostra protectio.

4 a. Munda cordis oculum,
Salva cunctum populum
Per salutis poculum.

4 b. Reformator animarum,
Iesu Christe, nos tuarum
Fac convivas epularum

5 a. In caelesti curia,
Ubi non penuria
Manet vel corruptio.

5 b. Iesu bone, panis vere,
Fac nos ipsum te videre
In caeli palatio.

Miss. ms. Raitenbuchen. saec. 15. Clm. Monacen. 12204. — 2b, 3 Digne sumens. — Die Entlehnungen von 1b und 5b sind augenfällig.

49. In Die Corporis Christi.

1 a. In honore Iesu Christi
Laus praeclara detur isti
Festo cum laetitia.

1 b. Iesu bone, quos novisti
Tuos, cruce redemisti
Hostis a malitia.

2 a. Prima causa, Deus, rerum,
Verbum patris semper verum,
Totus in potentia,

2 b. Non localis regnans tantus,
Angelorum chorus „Sanctus“
Exaudit frequentia.

3 a. Luce clarus vult aequari
Summo casu, condemnari
Meretur complicibus.

3 b. Formam factus ad divinam
Homo sentit et ruinam
Vetitis radicibus.

4 a. Ecce, virtus deitatis
Ardet, ecce, caritatis;
Mirando commercio

4 b. Rosa florum impraegnatur,
Verbum patris incarnatur,
Resurgit plasmatio.

5 a. Corpus Christi panis vivus,
Sanguis eius fons et rivus,
Salutis progressio;

5 b. Cibus datus peccatori
Se maritat, dum sapori
Dolor et confessio.

6 a. Post emendam gratulatur,
Mentis menda cancellatur,
Inardescit spiritus;

6 b. Potu crucis sanguinatur,
Totus intra dulcoratur,
Exsultat divinitus.

7 a. Felix homo, praeparare
Deum semper collaudare
Pro tali convivio,

7 b. Quo salvaris dira morte,
Revocatus dura sorte
Crucis in patibulo.

8 a. Est origo tua lutum,
Finis et foetoris sputum,
Haec sint in memoria;

8 b. Corde trito Deum cole,
Corpus Christi digne mole,
Ne priveris gloria.

9 a. Epulemur compotantes,
Ipsi nos diiudicantes,
Ne fiat iudicium,

9 b. In secundo quod adventu
Damnandorum pro conventu
Exit ad supplicium.

10 a. Animarum esus vere,
Fac nos tibi commanere
Caeli reclusorio.

10 b. Virgo mater hoc precetur,
Ne sanctorum denegetur
Nobis adiutorio.

Grad. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Colonien. i. P. s. n. — Auf dem Lederdeckel des neuen Einbandes: „Ioannes Arnoldus ab Houven, Abbas. Anno 1751."

50. De Corpore Christi.

1 a. Sacramentum
Hodie colitur,
Nutrimentum,
Quo mens reficitur,
Alleluia.

1 b. Ad augmentum
Gratiae sumitur,
Firmamentum
Virtutis creditur,
Alleluia.

2 a. Cibus iste
Carnis et sanguinis
Tui, Christe,
Fons est dulcedinis,
Alleluia.

2 b. His donis te
Sapit cor hominis,
In quo triste
Nil est vel criminis,
Alleluia.

3 a. Totum sumit
Sub una specie
Nec consumit
Auctorem gloriae,
Alleluia.

3 b. Non praesumit
Cum superficie,
Dum assumit
Hunc scindi varie,
Alleluia.

4 a. Esca talis,
Quae nunquam deficit,
Nocet malis,
Sed bonis proficit,
Alleluia.

4 b. Quae vel qualis
Sit, loqui deficit,
Supernalis
Virtus hanc efficit,
Alleluia.

5 a. Hunc gustemus
Praeclarum calicem
Et laudemus
Deum opificem,
Alleluia.

5 b. Adoremus
Christum pontificem,
Ut regnemus
In caelis invicem,
Alleluia.

Miss. Ruthenense imp. Lugduni s. a. [1540] A. — Miss Parisien. imp. Parisiis 1585 B. — 3a, 2 Sub bina A.

51. In Festo Corporis Christi.

R° Ave, verum corpus, natum
De Maria virgine.

1 a. Stella duce demonstratum
Regibus in stramine;

1 b. Iusto seni praesentatum
Lacto consolamine.

2 a. Omni laude praedicatum
Veritatis famine,

2 b. Iuxta legem conversatum
Et caelesti lumine.

3 a. Verbo vitae transformatum
In caelesti rumine,

3 b. Hic in cibum nobis datum
Gratiae pinguedine.

4 a. Fidelibus sociatum
Caritatis ordine,

4 b. Dure passum, immolatum
In cruce pro homine.

5 a. Truci manu perforatum
Iusto fluens sanguine

5 b. Et post mortem tumulatum
Planctus magnitudine.

6 a. Die Paschae suscitatum
Cum sanctorum agmine,

6 b. Nube clarum sublevatum
De mundi vertigine.

7 a. In cunctorum situatum
Aeterno regimine.

7 b. Ergo mitte tuum flatum
De paterno numine,

8. Esto nobis praegustatum,
Salus in discrimine,

9 a. O dulcis,

9 b. O clemens,

10 a. O pie,

10 b. O felix,

11 a. O summe,

11 b. O pater,

12 a. O digne,

12 b. O fili

13. Virginis Mariae.

Miss. ms. Avenionen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Matriten. Ff 2. — 5 a, 1 Cruci.

52. De Corpore Christi.

1. Ave, corpus Iesu Christi,
In ara crucis te obtulisti
Ob salvandum hominem.

2 a. Salve, sanguis Iesu Christi,
Qui de latere emanasti
In redemptionem.

2 b. Tu es sanguis pretiosus,
Per quem victus est dolosus
Serpens, fallens hominem.

3 a. Ave, Iesu Christi sanguis,
Per te victus vetus anguis
In infernum cadens stagnis,
Lapsum reddit hominem.

3 b. Tu es sanguis pretiosus,
Per quem victus est dolosus
Serpens, nequam, tam virosus,
Perdens fortitudinem.

4 a. Rex caelorum, tuum sinis
Caput coronari spinis,
Et corona dira nimis
Te ferentem comprimit.

4 b. Tua membra flagellantur,
Manus, pedes perforantur,
Omnes artus cruciantur,
Mucro latus aperit.

5 a. Aqua, sanguis hinc emanat,
Sauciatos vere sanat,
Tuas laudes plebs explanat
Neumatis charismate.

5 b. Cuius caro iustos pavit,
Sacer sanguis sordes lavit
Et redemit, quos creavit
In sacro baptismate.

Miss. ms. Lincolnien. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — Str. 3a u. 3b sind Erweiterungen von 2a und 2b. Ob dieselben schon ursprünglich der Sequenz eigen waren, oder ob Str. 2a und 2b spätere Einschiebsel sind, bleibt zweifelhaft.

53. De Corpore Christi.

1a. Corpus nostri salvatoris
Et aeterni redemptoris
Celebret ecclesia,

1b. Panis vivus qui de caelis
Missus ore Gabrielis
Cum magna laetitia.

2a. Hic est panis gloriosus,
Summis summe gratiosus,
Mira dans solamina;

2b. Hic est panis, qui descendit
Et post mortem caelos scandit
Cum summa militia.

3a. Panis cenae praesentatus
Fuit nobis et donatus
Manu sapientiae.

3b. Panis felix, triumphalis,
Titulus caelestialis,
Rex misericordiae.

4a. Panis animas defendens
Nostras semper et protegens
Ab hoste superbiae.

4b. Panis cibus angelorum,
Toti cenae beatorum
Dat regina gloriae.

5a. Panis obvians ruinae
Terris plebis peregrinae
Adversando daemoni.

5b. Panis, qui sanat languores
Et aufert nostros dolores
Huius mundi miseri.

6a. Panis, qui ducit ad portum
Et praeparat nobis hortum
Optimum delicii.

6b. Panis, qui dat paradisum
Et ostendit Deum vivum
Superni palatii.

Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. A. — Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. B. — Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. C. — 6b, 2 l. Deum (oder Dei) visum? Der Reim ist freilich auch sonst nicht immer rein.

54. De Corpore Christi.

1a. Gaudentes cantemus
Hodie voce clara,

1b. Cum tubis organa,
Fidelis chorus, para.

2a. Res admiranda
Nobis proponitur,

2b. Nam corpus Christi
Panis efficitur.

3a. Vinum mutatur in Christi
Verum sanguinem,

3b. Hic a peccatis omnibus
Lavit hominem.

4a. Facta sunt praedicta
Non natura,

4b. Sed ex voluntate
Dei pura.

5. Gratulari in altari
Non cessemus, sed cantemus
Alleluia.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianen. 132. A. — Miss. Parisien. imp. Parisiis 1585. B. — 2a, 1 Res miranda B.

55. De Corpore Christi.

1 a. O Messia vere, Christe,
Plenus Dei gratia,
1 b. Qui de caelo descendisti
Donans nobis gaudia.

2 a. Caro tua, quam tulisti
De virgine veraciter,
2 b. Hic sacratur, qua damnatur
Serpens efficaciter.

3 a. Hoc est corpus, quod Maria
Concepit de flamine,
3 b. Quod portavit virgo pia
Divino spiramine.

4 a. Haec est caro clavis fixa
Crucis in patibulo,
4 b. Quae surrexit crucifixa
Vitam reddens saeculo.

5 a. Hunc Mariae filium
Laudemus magnificum,
5 b. Regi regum omnium
Cantemus plausificum,

6. Qui nostrorum scelerum
Nobis det remedium.

Miss. ms. Lincolnien. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — 2a, 1 Caro tui. — 6, 2 Nobis donet. — Melodie wahrscheinlich: Sospitati dedit aegros. Vgl. die folgende Nummer.

56. De Corpore Christi.

1 a. Voci vita
Sit unita
Legis amicitia,
1 b. Dum sacratur,
Quod damnatur
Peccati malitia,

2 a. Caro panis, sanguis vinum
Dum fiunt veraciter,
2 b. Quod delevit serpentinum
Virus efficaciter.

3 a. Hoc est corpus Christi verum
Natum matre virgine,
3 b. Quod contrivit hostem ferum
Salvato sic homine.

4 a. Hoc in cruce
Sexta luce
Passum vicit infera;
4 b. Hoc surrexit
Et evexit
Carnem super aethera.

5 a. Hic est cibus, hic est potus
Dans manna vivificum.
5 b. Unde chorus hic devotus
Concinat plausificum

6. Alleluia.

Sequent. ms. S. Georgii Villingen. saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. A. — Grad. Sarisberien. saec. 15. Cod. Londin. Harl. 3965. B. — Cantion. Gallic. saec. 13. Cod. Guelfenb. 677 (Helm. 628) C. — 1a, 1 Voce C. — 3b, 1 Hoc prostravit C. — 3b, 2 Salvato sub C. — 4a, 1 Hoc mucrone A. — 4b, 2 super sidera C. — 5a, 1 Hic est botrus hic C. — 5a, 2 mirificum B. — 5b, 2 pacificum B. — 6. Hosanna in excelsis AC. — In C ist Vorstehendes als Tropus zum Sanctus benützt, und es geht voraus das Sanctus bis zu den Worten „in nomine Domini“; dementsprechend ist dann der Schluſs „Hosanna in excelsis“. — B bietet die Melodie: Sospitati dedit aegros.

57. Vita Domini.

1 a. Puer nobis nascitur,
Filius conceditur,
Gaudeamus hodie.
1 b. In praesaepe ponitur
Pannisque involvitur,
Vagit rex potentiae.

2 a. Stella Iacob oritur,
Sol de luna nascitur,
Res fulgent eximiae.

2 b. Lux nube progreditur,
Spina flos producitur
Dulcoris et gratiae.

3 a. A rivo fons trahitur,
Quo cunctis protenditur
Viva vena veniae.

3 b. Sicut nobis canitur,
Rubus igne cingitur
Sed expers angustiae.

4 a. In scriptura legitur:
Ros in vellus funditur
Nil passum molestiae.

4 b. Castellum non laeditur,
Quod Iesus ingreditur,
Gigas excellentiae.

5 a. Neque porta panditur,
Qua Christus egreditur,
Verus sol iustitiae.

5 b. Puer circumciditur,
Parvo lacte pascitur
Panis subsistentiae.

6 a. Tribus magis quaeritur,
Pauperculus colitur
Donis condecentiae.

6 b. Senis ulnis geritur
Et legali subditur
Homo novus hostiae.

7 a. Iordane abluitur,
Temptatur, adfligitur
Ieiunans esurie.

7 b. O, pastor percutitur,
Novellae dispergitur
Grex totus ecclesiae.

8 a. O, templum dissolvitur,
Traditus illuditur
Agnus innocentiae.

8 b. Passus crucifigitur,
Hora nona moritur,
Flete, Sion filiae.

9 a. Infernus infringitur,
Populus eripitur
De lacu miseriae.

9 b. Morte mors destruitur,
Fidelibus redditur
Summae vita patriae.

10 a. Sepultus custoditur,
Victor non invenitur
Surgens tertia die,

10 b. Qua salus tribuitur,
Captivus redimitur,
Haec dies laetitiae.

11 a. Mariae ostenditur,
Qui fratribus vehitur
Gaudium victoriae.

11 b. Ad caelos assumitur,
Paracletus mittitur,
Dantur linguae variae.

12 a. Quod veniet, creditur,
Et tunc condemnabitur,
Qui vixerit impie;

12 b. Sed iustus salvabitur
Atque coronabitur
In aeterna requie,

13. Ubi Deus laudabitur,
Amabitur, videbitur
Revelata facie.

Oration. et Sequentiar. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2b, 2 De spina. — Die Überschrift „In Nativitate Domini“ paſst weniger zum Inhalt.

58. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Christe, dominator
caelestis
et possessor aulae,

2 a. Servorum suscipe
supplicum

2 b. Devota tuorum
carmina,

3 a. Quae tuae laudi
ascribunt
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
voce, sensibus.

3 b. Te legiones
superae
collaudant excelso praeconio
tibi debito.

* * *

4. Unanimis ecclesia
nostrae domus
habitatrix,
reddit laudes
et munia.

7. Tunc festa nostra prosperant,
dignatio
inclinatur
alma tua
si ad ea.

5. Tuo honori rutilat
haec aula compta lumine

8. Civitatis Ierusalem
pro huius festi gloria

6. Cursu diei huius volubili,
quam velis adventu
benigno
visitare tua gratia.

9. Mereamur concives fieri
templum et Domini;
largiatur
omnipotens, castitatis

10. habitator.

Trop. ms. Sedunense saec. 10. Cod. Londinen. Add. 19768. A. — Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. B. — 6, 1 huius diei A. — 6, 4 tuae gratiae A. — 7, 1 Nunc festa B. — Melodie: Duo tres. Diese Melodie ist sehr unregelmäfsig gebaut; parallel sind 4 mit 7, 5 mit 8, 6 mit 9. Vgl. Schubiger Nr. 13.

59. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Benedic, Domine,
domum istam,
quae aedificata est
nomini tuo.

2 a. Respice de caelo
et vide et visita
domum istam,
Domine.

2 b. In ea omnis,
qui petit, accipiet
ianuaque pulsanti
pateat.
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~

3 a. Haec est Ierusalem
sancta tua,
Domine,

3 b. Ipsa namque
est electa
civitas.

4 a. Gloriosa sunt de te
enim dicta,
civitas Dei,
quae sanctificata est
per tuam sanctam dexteram.

4 b. Per ipsius ianuam
ecclesiae
pervenire possimus
ad paradisi gaudia
simul omnes.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavini A. 47. — 4a, 1 est de te. — Die Neumen lassen erkennen, dafs der Parallelismus der Sequenz ein sehr unvollkommener ist.

60. In Dedicatione Ecclesiae.

1 a. Congaudentes iubilemus
Harmoniae novum genus
Concordi melodia;

1 b. Deponamus vetus onus,
Dulcisque resultet sonus
Ex nostra concordia.

2 a. Templum Christi veneremur,
Ne ab eius defraudemur
Fidei victoria;

2 b. Nam in petra iam fundatum
Permanebit roboratum
Per immensa saecula.

3 a. Non venti simulatorum,
Non aquae haereticorum,
Neque suorum fautorum
Infamis audacia

3 b. Praevalebunt destruere
Neque portas removere,
Quia vivit Christus vere,
Qui fundavit talia.

4 a. Christus petra nuncupatur,
Quae in scandalum paratur
Ei offendentibus;

4 b. Pater vero demonstratur
Gloriamque praemiatur
Sibi adhaerentibus.

5 a. Ergo deprecemur Christum,
Ut locum conservet istum
Matris nostrae ecclesiae,

5 b. Ut in sponso suo iuncta
Noxia repellat cuncta
Conservetque assidue.

6 a. Sicut ex Adae fit costa
Eva, sic ecclesia nostra
Fit ex Christi latere,

6 b. A quo cuncta sacramenta
Sua sumunt fundamenta
Dantque locum veniae.

7 a. Iesu bone, pastor vere,
Templum istud tu tuere,
Nobis quoque miserere
Nostra delens crimina,

7 b. Ut post vitam corporalem
Mereamur spiritalem,
Consequamur aeternalem
In caelesti patria.

Miss. ms. Caesaraugustan. saec. 15. Cod. Reg. Matriten. VII F 3. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485 B. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498 C. — Brev. Caesaraugustan. imp. Venetis 1496 D. — 1 b, 3 Et. nostra A. — 4 a, 2 in fehlt ABCD; 1. vielleicht escandalum, wie dieses Vorschlags-e in den mozarabischen Hymnen uns oft begegnete. — 5 b, 1 Ut sit sponso AB. — 7 b, 3 consequamurque AB.

61. In Dedicatione Ecclesiae apostolorum Simonis et Iudae.

1. Regem regum,

2 a. Sion dominatorem
atque manu
fortem David,

2 b. Caelestis Ierusalem
possessorem,
Salomonem,

3 a. Virgo perennis,
casta parens
et fecunda
laudat ecclesia,

3 b. Huius in aula
dedicata
caste nupta
suo pacifico.

4 a. Haec regis
ducta lecto
de deserto
Idumaeae

4 b. Fit templum
per prudentes
architectos
vivi Dei,

5 a. Ipsa praesentia
deitatis
quos replet scientia.

5 b. Quorum collegio
sanctissimo
Simonis atque Iudae

6 a. Annuis gaudemus
natalitiis,

6 b. Quis et haec honori
rutilat aula.

7 a. Hos tam laudabiles
procuratores,

7 b. Rerum effectores
mirabilium,

8 a. Ipse Christus suis
Herveldensibus

8 b. Eois misertus
misit finibus.

9 a. Eia, congeminatis
laetabundi
resonemus gaudiis

9 b. Hac domo trinitatis,
cantilenis
harmoniae dulcibus

10. Omnium sanctificatori Domino.

Grad. ms. Hervelden. saec. 12. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 55. — 8 b, 1 miseratus.

62. Die Dominica.

1 a. Gaude, plebs fidelium,
Die, qua rex omnium
Mundum inchoavit;

1 b. Hac in die iubila,
Qua mundana nubila
Idem effugavit.

2 a. Haec est dies triumphalis,
Mundo grata perdito,
Dans solamen nostris malis
Hoste iugo subdito.

2 b. Haec est dies specialis
Tanto nitens radio,
Quod peccati fit finalis
Mali malo irrito,

3 a. Cum surrexit homo Deus,
Quo salvatur homo reus
Et tendit ad gloriam.

3 b. In hac die caelitus
Missus est paraclitus
Dans linguarum gratiam.

4 a. Hac in die iucundemur
Hanc et plene veneremur
Novi ritu cantici;

4 b. Haec est dies decorata
Et honore sublimata
Nominis dominici.

5 a. Deus, diem hanc qui fecit
Et diebus hanc praefecit,
Nos in bono roboret;

5 b. Tali die qui surrexit,
Sanctum flamen mundo vexit,
Nos a malo liberet.

Grad. ms. Patavinum saec. 15. Cod. Capit. Patavin. A 29. — 5 b, 1 Ut tali. — 5 b, 2 Et sanctum.

63. Die Dominica.

1 a. A sublimi
Statu primi
Parentes exciderant,

1 b. Casu digni,
Quia ligni
Fructum non exceperant.

2 a. Circumventi
Virulenti
Serpentis astutia,

2 b. Spe delusi
Sunt conclusi
Sub mortis sententia.

3 a. Pro reatu
Cruciatu
Fatigantur miseri;

3 b. Obligati
Sub peccati
Lege gemunt posteri.

4 a. Ex radice vitiata,
Praedamnata necdum nata,
Procedit posteritas;

4 b. Plangit Eva sub ruina,
Plangit Adam, nec divina
Dormitat severitas.

5 a. Fallax fera,
Viru plena,
Gaudet planctu,
Gaudet poena,
Poenae poenas ingerit,

5 b. Caecos caedit,
Laesos laedit,
Compos voti,
Quod sic toti
Massae praenocuerit.

6 a. Se pro Deo rogat coli
Tyranni superbia;

6 b. Quod debetur Deo soli,
Praesumit malitia.

7 a. Draco vetus libertatis
Intercludit aditum

7 b. Nec supernae pietatis
Attendit propositum.

8 a. Nobis ergo desperatis
A consessu maiestatis
Pater misit unicum;

8 b. Pugnaturus cum gigante
Nos ad pugnam provocante
Processit in publicum.

9 a. Summi patris filius,
Nostrae cladis conscius,
Dum superbit impius
Et pauper incenditur,

9 b. Ut superbum conterat,
Carni se confoederat;
Sic captivos liberat,
Sic ars arte luditur.

10 a. Pater, fili, consolator,
Unus Deus, unus dator
Multiformis gratiae,

10 b. Solo nutu pietatis
Fac nos simplae trinitatis
Post spem frui specie.

Oration. et Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien 521. — 1 a, 2 Casu primi. — 5 a, 1 Fala ferax.

64. Pro Defunctis.

1 a. Homo, natus in hoc mundo,
Parum vivis in profundo
Veteris miseriae.

1 b. Ut flos exis, sectus ares,
Primum fulges, post non pares,
Debilis materiae.

2 a. Vile semen in ingressu,
Vas immundum in progressu,
Vermis cibus in egressu.

2 b. Quid superbis, terra, cinis?
Sordes, ecce, plagis trinis,
Recordare semper finis.

3 a. Ergo comple iussa Dei
Sic post mortem iunctus ei
Caelo vives permansurus.

3 b. Hic quod seris, illic metes,
Dum tribunal Christi petes
De talento responsurus.

4 a. Iesu, sator et creator,
Finis rerum, lumen verum,
Vita defunctorum,

4 b. Ipsis lucem sempiternam
Confer clemens et aeternam
Requiem laborum.

Grad. ms. Parmen. anni 1520. Cod. Cathedral. Parmen. s. n. A. — Miss. Roman imp. Venetiis (ap. Hieron. Scotum) s. a. B. — 2a, 1 semen es ingressu A. — 2b, 2 Sordes plagis ecce A. — 3a, 2 mortem vivet ei A. — In B nach dem „Dies irae“ mit der Bemerkung „Alia sequentia mortuorum.“

65. Pro Defunctis.

1 a. Veni, iudex gentium,
Veni, rex fidelium
Concede, quod petimus;

1 b. Tolle, quod peccavimus,
Et dona, quod sitimus,
Lucis tuae radium.

2 a. Flentibus solacium,
Sol radians cordium,
Polorum des bravia,

2 b. Redemptis caelestia
Animabus gaudia,
Uncte sacro flamine,

3 a. In sanctorum agmine,
In perenni requie
Tremendae trinitatis.

3 b. O dies pietatis,
O tremor deitatis,
Est tuum iudicium

4 a. Mali poena, praemium
Boni, non est dubium,
In aeterna gloria.

4 b. Amara dies illa,
Tunc orbis in favilla
Dies calamitatum.

5 a. Animae fidelium,
Redemptor rex omnium,
Fruantur caelestibus,

5 b. Caelestium precibus,
Christianis vocibus
Requiescant in pace.

Grad. ms. S. Nicolai Friburgen. saec. 15. Cod. Friburgen. s. n. — 2a, 2 radiens. — 4a, 1 poenam. — 4b, 3 calamitatis. — Die Schlufszeile jeder Halbstrophe reimt mit den Anfangszeilen der jedesmal folgenden; freilich ist der Reim nicht immer rein (z. B. 3a, 1 u. 2; 4a, 3 u. 4b, 1); danach ist die Textänderung in 4b, 3 zu beurteilen. — Melodie: Veni sancte Spiritus.

66. Missa contra Paganos.

1 a. Princeps pacis optime,
Vera quies animae,
Nostra pax et gloria,

1 b. Pugil invictissime,
Iesu clementissime,
Audi nos aure pia.

2 a. Modernis temporibus
Nos in istis finibus
Bella premunt nimium;

2 b. Quare totis nisibus
Ad te clamat precibus
Hoc praesens collegium.

3 a. Da pacem propitius,
Hostes pelle longius,
Purga nos a crimine;

3 b. Victor potens, alius
Non est pugnans melius,
Quam tu solus, Domine.

4 a. Mundus pacem tribuit,
Quae nocet et nocuit;
Nos illam non quaerimus,

4 b. Sed pacem, quae placuit
Sanctis, quibus profuit;
Sic salvi nos erimus.

5 a. Pax aeterna, caritas,
Deus, summa bonitas,
Gregem eripe tuum.

5 b. His oris sit unitas
Ac nobis securitas
Nunc et in perpetuum.

Miss. ms. Celliten. Gandaven. saec. 15. Cod. Londin. Egert. 2602. A. — Grad. ms. S. Bavonis saec. 15. Cod. Gandaven. 14. B. — Miss. Tornacen. imp. Parisiis 1498. C. — 4 a, 2 nocet non nocuit A. — Melodie offenbar: Veni sancte Spiritus.

II.

DE BEATA.

67. In Conceptione BMV.

1 a. Astra caeli resplendeant,
Nunc sol et luna clareant,
Stella maris oritur,

1 b. Quae Christi fert navigium,
Quae caeli dat vestigium,
Per quod ad portum itur.

2 a. Reges, gentes ambulabunt,
Omnes fideles navigabunt
Splendore huius ortus,

2 b. Per quem lumen de lumine,
Numen venit de numine,
Hic est salutis portus.

3 a. En, alma mater veniet,
Ex qua splendor eminet
Ac lux patris aeterni,

3 b. Quae illustrat omnem hominem,
Senem atque iuvenem,
Ex gratia perenni.

4 a. Dat viam pacis gratiae
Et statum verae patriae
Nec non regni caelestis,

4 b. Ubi vera laetitia,
Nec aliqua tristitia
Deinceps erit maestis.

5 a. Virgo, vitis vinarium
Panisque promptuarium
Et adipis frumentum,

5 b. Per quod potus datur vitae,
Per quod manna venit rite
Et vivax alimentum.

6 a. In nos sere castos mores
Et fervores ac calores
Nostrae carnis remove

6 b. Et amore castitatis
Et fervore caritatis
Tuo nato confove.

7 a. In hoc novo tuo festo,
Virgo, nobis nunc adesto
Et in mortis turbine,

7 b. In extremis ne damnemur,
Sed in caelis collocemur
Gratioso semine.

8 a. O veri solis aurora,
Veni, veni sine mora,
Cum mori est necesse,

8 b. Tuere nos et libera,
Tunc, virgo salutifera,
Noli nobis deesse.

Miss. ms. Praedicatorum saec. 13. Cod. Bambergen. Ed. VI 5. add saec. $^{14}/_{15}$. A. — Missale Wirceburgense imp. 14** [Herbipoli 1495?] B. — In Str. 3 a und b ist Nummerus und Reim nicht rein wie in den anderen Strophen; dieselben sind vielleicht eingeschoben. — 4 b, 3 maestus A. — 8 a, 2 das zweite veni fehlt AB.

68. In Conceptione BMV.

1 a. Alma Iesse
Stirps virescit rorida,

1 b. Et in esse
Virgo prodit florida,

2 a. Vitae fructum paritura;
Anna prole cum tam pura
Fecundari cernitur,

2 b. Cuius castitatis velo
Sol aeternus se de caelo
Reclinans instruitur.

3 a. Huius natae per conflictum
Ruit Evae vae inflictum
Serpentis invidia,

3 b. Cuius cuput ipsa trivit
Et calcaneum munivit
Ab eius insidia.

4 a. Arca novae legis, Anna,
Claudis urnam caeli manna
Continentem verius,

4 b. Prudens abra castae Iudith,
Holofernem quae deludit,
Assistis sincerius.

5 a. Cum verbigeram superni
Patris uteri materni
Concipis opaculo

5 b. Atque gignis, generosam
Profers velut spina rosam,
Mundam a piaculo.

6 a. O laetare, felix spina,
Caeli mundique regina
Cuius alvo nascitur,

6 b. Gaude, gaude, rosa praegnans,
Cuius lacte caelo regnans
Hic in terris pascitur.

7 a. Gaude, clemens, gaude, pia,
Gaude, dulcis o Maria,
Tanto digna filio;

7 b. Eia, parens, eia, nata,
Eia, sponsa Christi grata,
Duc nos ab exsilio

8. Ad caeli laeta
Secreta.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. A. — Miss. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1407. Cod. Wratislavien. I F 341. B. — 2a, 1 Ut te fructum B. — 3a, 1 Cuius A. — 4b, 1 casta AB. — 4b, 2 quem B. — 5b, 2 Profert B. — 6a, 1 E laetare B.

69. In Conceptione BMV.

1 a. Laudes promat nisu toto
Plebs fidelis voce, voto,
Corde, mentis iubilo;

1 b. Sancta templi velum tegit,
Dei mons sub nube degit,
Sol latet sub nubilo.

2 a. Annae ventris arca celat
Feminam, quae carne velat
Virum viri nescia;

2 b. Donat virgam radix Iesse,
Virga fervet fructu messe
Redundante gratia.

3 a. Haec maxillae fons Samsonis,
Favus fluens miris donis
Copia charismatum,

3 b. Templum veri Salomonis,
Aula summis plena donis
Et domus aromatum.

4 a. Helizaei parva cella,
Ante, post clausa, procella,
Per quam unctus graditur,

4 b. Radium sic profert stella,
Illibata fit puella,
Ex qua Deus nascitur.

5 a. Fabricatur mensa rite,
In qua sistit panis vitae
Cor firmans humilium,

5 b. Cibus cibum dat Heliae,
Datur vas in potum viae
Tollens mortis taedium.

6 a. Patet arcus pietatis
Sternens hostem feritatis
In sagitta filio,

6 b. Pharetra divinitatis,
Donans partem cum beatis
In Ioseph peculio.

7 a. Saccus scyphum sacrum reddat,
Ex quo potum vitae prendat
Vere Deum diligens,

7 b. Ex oliva liquor tendat,
Iugis ignis nos accendat
Lucens, docens, dirigens.

8 a. Virgo mater, mater Dei,
Per te fiunt salvi rei,
Iustis datur gratia;

8 b. Nos in anno iubilaei
Sempiternae lux diei
Perlustret in gloria.

Sequent. ms. cum Commento saec. 15. Cod. Wratislavien. IV Q 81. — 4b, 1 profert virgo stella. — 5b, 1 Lies corvus cibum? — 8b, 3 Perlustrat.

70. In Conceptione BMV.

1 a. Iubilemus iucundanter
Laeta mente incessanter
Adorantes Dominum,

1 b. Qui hoc festum celebrari
Ac decenter honorari
In salutem hominum

2 a. Praeelegit et dotavit,
In quo matrem expiavit
Ab omni piaculo.

2 b. Hoc prophetae propalabant,
Patriarchae enodabant
Codicum oraculo,

3 a. Quae per vates nuntiata
In te sunt ratificata,
Maria, divinitus.

3 b. Cum tis infecundus pater
Et grandaeva tua mater
Per angelum caelitus

4 a. Sunt effecti adlocuti,
De concepto fetu tuti
Divino spiramine,

4 b. Nutu Dei quique parens
Constitutus Deo parens
Laetus a solamine.

5 a. Arca Dei Noetiva
Et columba cum oliva,
Vera pacis nuntia,

5 b. Pulchra Sara nobis ridens,
Sibi risum dari videns
Isaac ex gratia.

6 a. Hesther uxor tu Asueri,
Per quem Aman contorqueri
Meruit suspendio,

6 b. Audi, pia, ne gravemur
Et in aevum cruciemur
Gehennae succendio.

7 a. Ab antiquis praeconisata,
Per aenigma praesignata
Es, o Iesse virgula.

7 b. Eia, David Sunamitis,
Fons signatus, vera vitis,
Iesu Christi vehicula.

8 a. O amica pulchra tota,
Carens naevo atque nota,
Speculum abs macula,

8 b. Sponsa prudens Salomonis,
Vellus madens Gedeonis,
Vernans ignis facula.

9 a. Iesus Christus praeservavit,
Quod sibi praedestinavit,
Vas purum a vitio,

9 b. In quo homo incarnari
Et in mundum generari
Novit ab initio.

10 a. Hac in die, qua concepta
Dei materque adepta
Ac undique circumsaepta
Septemplici gratia,

10 b. Summo bono fallerata
Et ab aevo propagata,
Abs labe in mundum nata
Est carens pellacia.

11 a. Cum haec dies in diebus
Lucet prae stellis ut Phebus
Miris signis atque rebus
Omnibus sanctissima.

11 a. Hanc illuxit sol de caelo
Et velavit divo velo
Confirmando sacro zelo,
O dies clarissima!

12 a. Q quam clara dies illa,
In qua mater et ancilla
Nova pneumatis scintilla
Supplantavit noxia;

12 b. Dies nimis veneranda
Ac prae cunctis illustrunda,
Digna laude commendanda,
Per quam redit gratia.

13 a. O zelatrix, vegetare,
Ne nos sinas vapulare,
Saevum hostem conculcare
Te precamur, sustentare,
Ostendens solacia.

13 b. Hastam vibra, sterne funda.
Peltam sume, sola munda,
Ne pellacis Stygis unda
Demergendo ad profunda
Attrahat fallacia.

14 a. O Maria pura, vera
Iesu Christi puerpera,
Asta fortis in statera,
Corda nostra fac sincera,
Perduc ad convivium.

14 b. Munda vitam, muta mores,
Post pressuram et labores
Huius festi laudatores
Introducas ad honores
Supernorum civium.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 3 b, 1 Cunctis infecundis pater. — 6 a, 2 Amon. — 6 b, 3 Gehenni. — 7 a, 1 Lies praeconata? — 7 b, 3 Eine Silbe Überschufs. — 10 b, 4 Ast carens. — 13 b, 4 Dimergendo. — 14 b, 4 Introduces. — Melodie: Laudes crucis unter Wiederholung einiger Klauseln.

71. In Conceptione BMV.

1 a. Tota pulchra es,
virgo sacrata,
Nunquam labe aliqua
es maculata.

1 b. Plena gratia
fuit concepta,
A patre mundissima
est generata.

2 a. Quo anima inducitur
a praeservante,
Sic ei conceditur
a celebrante,

2 b. Et tali aspiramine
Spiritus sancti
. . . . . .
. . . . . .

3 a. Angelis est purior,
recte Maria
Creaturis dignior
atque in patria

3 b. Deo est propinquior,
omnibus pia,
Cunctisque sublimior
alta in curia.

4 a. Detur ista die
populi devotio,
Detque ipsa die
gloriam pro praemio,

4 b. Quae Christum portavit
pollens privilegio,
Quae concepit nunquam,
valuit in utero.

Brev. ms. Gerundense saec. 14_{15}. Cod. Capit. Gerunden. 3. add. saec. 15. — 2 a, 2 praeservanti. — 2 a, 4 celebranti. — 2 b, 1 talia spiramine. — 4 b, 3 Qui.

72. In Conceptione BMV.

1 a. Totus mundus hilarescat
Ex ingenti gaudio
Et fidorum mens ardescat
Virtutum incendio
In Mariae laudibus.

1 b. Maria concepta fuit
Divino consilio,
Ac potestas Orci ruit,
El fit mater filio
Pro nobis exsulibus.

2 a. Haec fuit sanctificata
Ex virtute supera,
Mox cum fuit obligata
Intra matris viscera
Culpae carnis labilis.

2 b. Nunquam tamen ex tunc laesit
Ulla culpae gravitas
Hanc, sed Deo semper haesit,
Et ipsius caritas
Vere fuit stabilis.

3 a. Ista est regina caeli,
Per quam fluit gratia
Unicuique fideli
Posito angustia,
Dum hanc quaerit sedulo.

3 b. Haec Holofernem mactavit
Ex virtutum culmine
Assuerumque placavit
Sua pulchritudine
Mortem cessans populo.

4 a. Ridet ex hac paradisus
Et congaudent caelici,
Maeret Belial divisus,
Semet cernens eici
A superna gloria.

4 b. Ergo ipsam deprecemur,
Ut Deus sanctificet
Nos, qui ipsam reveremur,
Et sursum laetificet
Adepta victoria.

Brev. ms. Gerundense anni 1339, nach Fita, Monumentos antiguos de la Iglesia Compostellana p. 130. Dies Brevier war in Gerona nicht zu sehen; dasjenige, aus dem das Officium Sanctificationis abgeschrieben ist, kann unmöglich dasjenige Fitas gewesen sein.

73. In Conceptione BMV.

1 a. Haec est dies,
quam fecit Dominus,

1 b. In Domino
iam exaltabimus.

2 a. Exaltemus
in arca Domini
Iubilantes,

2 b. Iubilemus
Mariae nomini
Collaetantes.

3 a. Collaetemur
cum matre virgine,
Quae parentum
est munda crimine.

3 b. Crimen mundi
Maria expulit,
Lumen mundo
Maria intulit.

4 a. Infert lumen
virgo, quae conterit
Serpentinum
caput Luciferi.

4 b. Lucis mater
Eoi sideris
Iam fulgescit
mentibus liberis.

5 a. Quae est ista,
quae mane oritur,
Quae tam pulchra,
tam fulgens cernitur
Nec simile
habere creditur?
Haec est stella,
quae noctem superat,
Haec aurora,
quae solem generat.

5 b. Quot ardebit
dies fervoribus,
Si tot mane
fulget fulgoribus?
Mundum suis
urit ardoribus,
Solem corde
gerit, temporibus
Stellas, lunam
premit sub pedibus.

6 a. Haec est arca
undas diluvii
Calcans, arca
metu naufragii
Salvans et periculis.

6 b. Signum pacis,
haec arcus aetheris,
Haec est arca
antiqui foederis
Et domus refugii.

7 a. Haec est scala,
quae caelos evehit,
Haec est porta,
quam nemo aperit,
Sed est uni
patens pontifici.

7 b. Haec est clavis,
quae caelos aperit,
Haec est nubes,
quae solem operit,
Haec est templum
veri pacifici.

8 a. Ergo, virgo,
inventrix gratiae,
Virgo, mater
misericordiae,
Te clamantes
benigne respice.

8 b. Virgo, victrix
fraudis veneficae,
Fons salutis,
virgo, deificae
Venam nobis
aperi veniae.

9 a. Qui conceptam
te sine macula
Venerantur
gaudentes in via,
Cordis ad te
mittunt suspiria.

9 b. Vitae nobis
da propugnacula
Christianae,
teque in patria
Videamus,
o dulcis Maria.

Collect. Maurinum saec. 17. Cod. Parisin. 12089. — 4 b, 1 Luces. — 5 b, 6 uret. — 5 b, 8 geret. — 5 b, 10 premet. — 6 b, 2 hic

74. In Nativitate BMV.

1 a. Columbarum
Tui sunt oculi,
Iubar clarum
Totius saeculi,

1 b. Stella maris,
Mater egregia,
Quae laetaris
In caeli regia.

2 a. Mater patris,
Pudoris speculum.
Primae matris
Delens piaculum,

2 b. Angelorum
Transscendens culmina,
Exstas quorum
Sublimis domina.

3 a. Ergo ave,
Salvatrix gentium
Et suave
Robur languentium.

3 b. Ave, inquam,
O virgo gravida,
Super montem
Libani candida.

4 a. Tu caelestis
Vera testis
Exsistens mysterii

4 b. Deum paris,
Singularis
Compos puerperii.

5 a. Iamiam veni, balsamita,
Caeli splendor, mundi vita,
Virginalis gloria,

5 b. Sonet tua vox suavis
Veniamque donet pravis
Post haec transitoria.

6 a. Conspectui redemptoris
Infer vota peccatoris,
Mater illibata,
Decenter ornata
Monilibus aureis.

6 b. Castitatis dux sincerae,
Miserorum miserere
Nosque aure pia
Exaudi, Maria,
Suffulta argenteis

7. Columnis.

Brev. ms. Oscense saec. 13. Cod. Scorialen. P III 14. A. — Antiph. ms. Oscense saec. 13. Cod. Capit Oscen. s. n. B. — Brev. Burgense imp. s. l. et a. C. — Brev. Valentinum imp. Neapoli 1489. D. — Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. E. — Brev. Oscense et Iaccense imp. Caesaraugustae 1505. F. — Balinghem, Parnassus Marianus (Duaci 1624), p. 143. sq. G.
1b, 3 Quae laris E. — 1b, 4 caeli curia F. — 2b, 3 Exstans quoque E; Extra chorum G. — 4b, 1 Domini paris D. — 5a, 3 Virginalis castitas G. — 5b, 1 vox tua G. — 6b, 5 Suffulta columniis D. — 7 fehlt D.

75. In Nativitate BMV.

1 a. Vale, vellus Gedeonis
Et celatum Salomonis
Auro fulgens ferculum,

1 b. Stella maris mundo lucens,
Virgam Iesse stirps producens,
Novum dans spectaculum.

2 a. Stella terris inest una,
Cuius simul sol et luna
Stupent pulchritudinem,

2 b. Stupet caelum decus terrae,
Stupet terram sidus ferre,
Stupet versum ordinem.

3 a. Est naturae ius mutatum,
Est in terra sidus natum,
Quod solem parturiat,

3 b. Qui splendorem specialem,
Qui calorem dat vitalem
Et occasum nesciat.

4 a. Admirantur universa,
Quod e terra vice versa
Caelum lux irradiat,

4 b. Obstupescit et natura,
Quod creatur creatura,
Quae creatum pariat.

5 a. Vale, nascens stella maris,
Quae dux esse comprobaris
Et spes vitae singularis
Naufraganti saeculo;

5 b. Lux virtutis, via morum,
Quae nescisti viri thorum,
Tuo digne rex caelorum
Prodit tabernaculo.

6 a. Qui per septiforme donum
Sibi fecit ex te thronum,
Nullum tale vel tam bonum
Sculpsit sapientia;

6 b. In te candor castitatis,
In te fulgor caritatis,
Thronus summae maiestatis
Ex hac fit materia.

7 a. Absque manu regis visus
Ex te lapis est excisus,
Virgo, nostri causa risus,
Flos convallis, paradisus,
Arbor aromatica;

7 b. Tu decorem induisti,
Tu plus sole refulsisti,
Cum, beata, nubem Christi
Tuae carnis concepisti
Polymita tunica.

8 a. Mater, pacem da benigna,
Virgo, viro nos consigna,
Quem circumdas alvo digna,
Ne nos hostis ars maligna
Fallat aut versutia;

8 b. Porta patens regi soli,
Per quem cadunt hostis doli,
Tu nos offer tuae proli,
Quo cum ipso summo poli
Perfruamur gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 7b, 3 nebulam Christi; d. h. die Menschheit Christi. — Wahrscheinlich Sequenz.

76. In Praesentatione BMV.

1 a. Congaudeat
populus sodalis
Ac sonora
mens sacerdotalis,
Praesentatur hodie
Triumphatrix gratiae.

1 b. Ex Abrahae
fontis seminalis
Et Davidis
praeservans a malis
Regia progenie
Nascitur melodiae.

2 b. Res miranda
mundo peroritur,
Quod iuvenis
tot gradus graditur,
Tamquam solis
radius pingitur
Haec puella.

2 b. Est haec nova,
qua caelum regitur,
Et machina
mundi protegitur,
Cum in templo
Deo conectitur
Solis stella.

3 a. Iam annorum
dotata tertio
Perorabat
summo silentio,
Virginalis
tecta cilicio
Comprobatur.

3 b. Te figurant
patres eloquio,
Cum praecinat
concipiet virgo
Isaias,
qui ab exordio
Fatebatur.

4 a. Ab aurora
preces edocuit,
A tertia
textrina vocavit,
Cuius sero
angelus refovit
Probitatem.

4 b. Virga arens
per te effloruit,
In manibus
Ioseph cum fronduit,
Castitatis
signatae praebuit
Veritatem.

5 a. Tunc profuit
nostrae parentelae
Baiulando
factorem tutelae;
Ei laudes
concinant cellulae
Incolarum,

5 b. Quae ovibus
contulit ovile
Protoplasti
conquassando vile
Scelus, inde
sincerum monile
Prophetarum.

6 a. Hinc Mariae
haec praesentatio
Nobis atque
caelica contio
Donet opem,
ut iubilatio
Reis detur.

6 b. O praeclara
vitae intentio
Et virtutum
ampla praemotio,
Fac, ut plebi
sordida actio
Denegetur.

Miss. Cabilonense imp. Lugduni 1500. — 3a, 6 texta. — 5a, 6 cellulae (gegen den Reim) wohl Druckfehler. — 6b, 1 vice intentio. — Melodie: Nativitas beatae virginis, wie aus dem Versmafs ersichtlich.

77. In Praesentatione BMV.

1 a. O quam felix es, Maria,
Mundi princeps, caeli dia
Ac imperatrix omnium,

1 b. Orta de stirpe regali,
Flore vernans virginali
Es facta Dei atrium.

2 a. Dum vi caelos inclinasti
Et hunc in te adunasti,
Nobis fit auxilium.

2 b. Angelus praedixit patri
Nasciturum atque matri
Pariturae filium.

3 a. Quem natum vocares Iesum,
Ut salvaret mundum laesum
Per protoplasti vitium,

3 b. A quo quod sis praeservata,
Caeli luce circumdata,
Certum est indicium.

4 a. Ex quo Deus est ens mundum,
Purum hinc et non immundum
Sumpsit carnis initium.

4 b. Et si sumpsit homo primus,
Cuius corpus erat limus,
Clarum vitae principium,

5 a. Multo plus tu, mater Christi,
Labe non subiacuisti,
Cuius es exterminium.

5 b. Nam de tua carne munda
Nostrae vitae fluxit unda
Evae purgans flagitium.

6 a. Quando Deo factus homo
Est in tua ventris domo
Virtute sancti flaminis,

6 b. Hic, dum matrem te elegit,
Carnem tuam non subegit
Horrori turpitudinis.

7 a. Ut de tua carne pura
Carnis ferret nova iura
Ex gutta puri sanguinis,

7 b. Cur purus non possit esse,
Si pollutum sumpsit esse
Ex massa foedi seminis?

8 a. Sed si esset depuratus,
Foedus et post emundatus
Actu sacri flaminis,

8 b. Cum pars sit cum massa tota
Idem ens, quamvis semota
Causa sui originis.

9 a. Nunc te matrem veneremur
Et praeclarum protestemur
Conceptum tui germinis;

9 b. Hoc qui cupit plenum nosse,
Sciat Deum cuncta posse
Praetextu sui numinis.

10 a. Qui si lapsum scit salvare,
Multo plus hanc praeservare
Scit a lapsu criminis;

10 b. A quo, Iesu, nos tuere
Et mundos fac te videre
In sumpta carne virginis.

Miss. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci Fol. I 83 c. — 2 b, 1 Angelum. — 2 b, 2 Nascendam. — 2 b, 3 Ac parituram. — 4 a, 2 hinc non est immundum. — 6 b, 1 Hinc.

78. In Praesentatione BMV.

1 a. Angelorum mandatricem,
Summi Dei genetricem
Extollamus laudibus,

1 b. Mariam, matrem gratiae,
Quam ornat sol iustitiae
Omnigenis floribus.

2 a. O qualis haec virguncula,
Quae triennis ad limina
Templi acceleravit!

2 b. O quanta caeli agmina
Ad huius ministeria,
Dum Deo dedicavit!

3 a. Pectoris sui abditum
Squaloris in antidotum
Vovens virginitatem,

3 b. Manum mittens ad fortia
Hostem prostravit framea,
Tenens humilitatem.

4 a. Tu sole quod sis amicta,
Vita probat benedicta,
Cunctis simul sanctior,

4 b. Precamur Deum attrahe,
Qui quemquam non vult sine te,
Ipsi cunctis proprior.

5 a. Nulla salus est in domo,
Si non tibi servit homo,
Medela peccatorum.

5 b. Ergo rege vera lege
Nos, a malis semper tege,
Procuratrix bonorum.

Miss. ms. Nissense sacc. 15. Cod. Wratislavien. 1 Q 191. A. — Miss. ms. Henrichoviense saec. 15. Cod. Wratislavien. 1 Q 190. B. — Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 195. C. — Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci Fol. I 83 c. D.

2a, 1 Equalis haec A. — 2a, 3 accelerat B. — 3a, 1 Peccatoris sui C. — 4b, 2 Scheint dem Gedanken nach s a l v a r i zu fehlen. — 5a, 3 precatorum AB.

79. In Annuntiatione BMV.

1 a. Promereris summae laudis
Tu, quae Deum ventre claudis,
Cantus et praeconia.

1 b. Non, ut Gabrielem audis
Te clamantem, mox exaudis,
Tanti verbi dubia;

2 a. Immo caute quaesivisti:
Quod est verbum, quod dixisti,
Cum sim viri nescia?

2 b. Post responsum credidisti,
Credens Deum genuisti,
Ab eodem genita.

3 a. In te pater pietatis,
Nos ut mundet a peccatis,
Carnem vestit hominis;

3 b. Tres personas trinitatis,
Unum ens divinitatis
Venter claudit virginis.

4 a. Per haec age, verbi mater
Ut placetur nobis pater
Culpas laxans venia,

4 b. Ut a culpis expiatos,
Sibi reconciliatos
Nos informet gratia.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. A. — Miss. ms. Minorum saec. 14. Cod. Vatican. 4743. B. — 1b, 1 Nam ut Gabrielem B. — 1b, 2 Te cl . . . tem A; Te salantem B. — 3a und 3b umgestellt B. — 4a, 1 Per hoc B. — 4a, 3 levans venia B. — 4b, 2 Tibi A.

80. In Annuntiatione BMV.

1 a. Ab excelso maiestatis,
De commnni trinitatis
Mittitur consilio

1 b. Nuntiator veritatis
Nova ferens pietatis
Damnatis exsilio.

2 a. Intrat cellam et salutat,
Salutare cor immutat
Et turbat adloquio:

2 b. Ave, gratia repleta,
Vetustatis priscae meta,
Mundi renovatio!

3 a. Mens turbata virginalis
Cogitabat, esset qualis
Ista salutatio.

3 b. O Maria, quid turbaris,
Si tam alte salutaris
Et tam alto nuntio?

4 a. Haec est salus principalis,
Nulla fuit unquam talis
Missa salutatio,
O Maria.

4 b. En, puella, quod quaesisti,
Apud Deum invenisti,
Solum crede nuntio,
O Maria.

5 a. En, habebis virgo natum
Verbum patris incarnatum
Ventris in palatio,
O Maria.

5 b. Virgo pura, non sis dura,
Crede Deo, mox futura
Sunt ea, quae nuntio,
O Maria.

6 a. Condescendo verbo Dei,
Quaero modum huius rei,
Virum enim nescio.

6 b. Eris virgo sine viro,
Impraegnata modo miro
Non corrupto lilio.

7 a. Ecce, rubus visionis,
Ecce, vellus Gedeonis
Alludunt mysterio.

7 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

8 a. Virga florens Israelis,
Mons prophetae Danielis
Et porta Ezechielis
Non pressa vestigio.

8 b. Sacrum flamen te perflabit,
Alma virtus obumbrabit,
Ex te pater fabricabit
Corpus aptum filio.

9 a. Quare differs, o Maria?
Da consensum, virgo pia,
Toto mentis studio;

9 b. Nostra salus exspectata
Tibi soli est oblata,
Tuo stat arbitrio.

10 a. Totum genus condemnatum
Genu flectit inclinatum
Tuo consistorio;

10 b. Da responsum, ut optamus,
Ut per ipsum evadamus
A mortis exsilio.

11. Mox ancilla, dum haec audit,
Respondendo Deum claudit
Ventris in hospitio.

Sequent. ms. saec. 15. Cod. Matriten. Bb 168. — 4 b, 1 In puellam quid. — 6 a, 1 verba. — 6 b, 1 Oris vigo. — 8 a, 1 virgo.

81. In Annuntiatione BMV.

1 a. Gaude, virgo mater Christi,
Quia sola tu fuisti
Digna Deum parere,

1 b. Non in partu tamen tristi.
Sicut mos est, peperisti,
Sed divino munere.

2 a. Partus tuus partus laetus.
Non in partu tuo fletus,
Nullus maeror, nullus metus,
Dum portasti filium.

2 b. Salutata dum fuisti,
De salute concepisti,
Et sic virgo peperisti
Salutare gentium.

3 a. Ut audisti illud ave,
Quod tam dulce, tam suave
Nuntiavit angelus,

3 b. Voce venter intumebat,
Quia ventrem mox implebat
Virtus sancti spiritus.

4 a. Verbum quidem introivit,
Atque verbum hinc exivit,
Et sic tuus parturivit
Venter viri nescius.

4 b. Prodit puer de puella
Sana castitatis cella,
Sicut exit lux de stella
Et de sole radius.

5 a. Iste puer [princeps] magnus,
Princeps pacis, pius agnus,
Leo, gigas geminus;

5 b. Hic Samson, [hic] Elisaeus,
Ioseph, Ionas Ninivaeus,
Hic caelorum dominus.

6 a. Hic est, cuius Isaias
Iussit praeparare vias,
Hic est Enoch, hic Elias,
Hic est Dei filius,

6 b. Hic, quem senex exspectavit,
Quem Iohannes baptizavit,
Hic, quem totus praedicavit
Prophetarum cuneus.

7 a. Gedeon in
vellere et area,
Moyses in
rubo et in flammula,
Aaron in
arefacta virgula.

7 b. Vellus madens
non humectat aream,
Rubus ardens
non perit per flammulam,
Amygdala,
flores ornant virgulam.

8 a. Res a saeclis inaudita,
Quod puella parit ita,
Et quod ita sunt unita
Caelestibus terrestria.

8 b. Leges rerum et natura
Stupent, quia creatura
Creatorem, virgo pura
Parit et patrem filia.

9 a. Gloriosa mater Dei,
Magni quoque Nazarei
Mater Iesu, nostrae spei,
Mater misericordiae,

9 b. Te precamur, tu precare
Tuum natum nos iuvare,
Ut possimus te laudare
In paradiso gloriae.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. A. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 saec. 14. B. — 3a, 2 quam suave B. — 3b, 1 Verbo venter B. — 4a, 1 Verbum ventrem introivit B. — 4a, 3 Et sic partus tuus parturivit B. — 5a und 5b fehlen B. — 6b, 3 Hic fehlt A. — 7a und 7b fehlen B. — 7b, 5 Amygdalaque A. — 8b, 1 Reges (falsche Initiale) A; Iura rerum B. — In B ist an diese Sequenz ohne Absatz eine andere mit dem Anfange Caeli solem profert stella angefügt, die hier folgt.

82. In Annuntiatione BMV.

1 a. Caeli solem profert stella,
Dei prolem dum puella
Sacro fovet gremio.

1 b. Parit virgo pari carens,
Modo miro virgo manens,
Deum gestans utero.

2 a. Salve, stella, mater solis,
Claudens iubar tantae prolis
Intra sacra viscera.

2 b. Nati nata, mater patris,
Virgo tenet nomen matris,
Virgo, mater, filia.

3 a. Templum Dei stabilitur,
Terra arva reperitur
Carens carnis semine;

3 b. Ibi fulget fulgor auri,
Dum se castae fundit auri
Verbum patris feminae.

4 a. Casta mater salvatoris,
Interesse caeli choris
Fac nos prece sedula;

4 b. Mundi salus, vitae via,
Nos ad caeli, mater pia,
Perduc habitacula.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. saec. 14. — 3 a, 2 Terra arma.

83. In Purificatione BMV.

1 a. Immolata
Mater, sit grata
Laus tibi nostra,

1 b. O vere pia
Mater Maria,
Matrem te monstra.

2 a. Angelis purior
Et sanctis dulcior
Universis una,

2 b. Errantes corrige,
Correctos dirige,
Discordes adiuva.

3 a. Flos Aaron,
Turris Sion,
Stirps regia,
Duc nos ad gaudia
Caelestia.

3 b. Lux Bethlehem,
Ierusalem
Laetitia,
Caelesti gratia
Nos satia.

4 a. Amplexanda,
Dulcis, blanda,
Misericordissima,

4 b. Impolluta,
Incorrupta,
Inviolatissima.

5 a. Ventris tui
Fructu frui
Posce verbis placida,

5 b. Quae post prolem,
Verum solem,
Es plus sole splendida.

6 a. Matris ac virginis
Dupla dote fulgida,

6 b. Post partum crevisti,
Aucto flore florida

7. Inviolata permansisti.

Brev. Caesaraugustanum imp. s. l. et a. (Venetiis 1496). — Als Verbeta gebrauchte Sequenz; auch die Prose „Missus Gabriel de caelis“ ist ebenso verwertet. — 6 a, 2 Duple.

84. In Visitatione BMV.

1 a. Exsurgens diva ratione
Humillima devotione
In montana abiit
Elisabeth congratulari.

1 b. Nec oraculo angelico
Dubia nec vaticinio,
Sed festina prodiit
Cognatae pie commorari.

2 a. Progressa tunc exsiliit,
Cum eam virgo viserit
Per pneuma gravidata
Post Ave Gabrielis.

2 b. Vociferavit anula:
Tu, benedicta domina
Nec viro fecundata,
Gestas regnantem caelis.

3 a. Unde mihi privilegium,
Ut princeps visitet famulum
Gestatrice virgine?

3 b. Verbo facto salutifero
Exsultavit infans utero,
Miro hoc fit ordine.

4 a. Gerunt thesauros reconditos
Et arcana secretorum;

4 b. Sciscitare plane possumus,
Rimari nec est doctorum.

5 a. Hanc complicatus
ab humanis
Praegnat ancillam
verbum patris.

5 b. Mysticis haec non
carent donis,
Expletae nam sunt
altithronis.

6 a. Gaudent binae amplexando,
Iucundantur delectando
Spiritualibus iubilis.

6 b. Sic grandaeva, sic puella,
Quae est veri solis cella,
Laetantur fulcitae filiis.

7 a. Ex summo bono
Superno dono,
Quod acceperat,
Transcenso cursu hominum,

7 b. Ut Lucas refert,
Maria profert
Nunc: Magnificat
Anima mea Dominum.

8 a. Mansit autem tunc mensibus
Tribus Maria laribus
Sacerdotis Zachariae,
Muti nota diffidiae.

8 b. Fac nos tecum commanere,
In aeternum congaudere,
Ubi regnas perlucide
Cum patre, prole, flamine.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci Fol. I 83 h. — 3a, 2 visitat. — 5b, 3 Expleta. — 6b, 2 veri cella solis. — 7a, 4 Transscensu cursu. — 8a, 4 vota.

85. In Visitatione BMV.

1 a. Caeli cives iam congaudent
Virgini et semper audent
Congaudere, ut collaudent
Matrem Dei dulcius.

1 b. Gratulentur viatores
In hac valle, peccatores
Pravos corrigendo mores,
Ut vivant consultius.

2 a. Super Christum se fundavit,
Mundum istum conculcavit,
Dum Maria festinavit
Visere Elisabeth.

2 b. Flagrat pectus virginale,
Promit flatus verbum tale,
Nondum natus sensit quale
Iohannes videlicet.

3 a. Paupertatis de crumena
Caelum ditans Deo plena
Surgit mente cum serena,
Vult montana scandere.

3 b. Praecursoris genetricem
Sic salutat, ut felicem
Infans Christo reddens vicem
Scit secreta pandere.

4 a. Gestis verba confirmantur,
Certis signis demonstrantur,
Rex et miles hi effantur
Uteris per gaudium.

4 b. Fidem sumit Zacharias
Pridem mutus ac per vias
Benedictus sit Messias
Novum edit canticum.

5 a. Spe deleta per numisma,
Quo ecclesiae stat schisma.
Diabolicum sophisma
Solve, mater gratiae.

5 b. Hic electa sponsa Christi
Dissipatam statu tristi
Reformatam red de isti,
Virgo pulchra facie.

6 a. Iam devotis praestat plausum
Verbum caro ventre clausum,
Quod Iohanni dedit ausum
Iubilandi intime.

6 b. Ubicun que sunt et erunt,
Qui per viam voto quaerunt
Templa, preces, quas fuderunt,
Captet datrix veniae.

7 a. O electa visitatrix,
Et perfecta mediatrix,
Sola recta consolatrix,
Nos in morte visita,

7 b. Ut a lucta eruamur,
Tuo ductu deducamur,
Tuo fructu perfruamur
Iugiter in patria.

Grad. ms. S. Martini Nordhusen. saec. 15. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 4 a, 1 Bestis verba. — 4 b, 4 edidit. — 6 b, 2 voto.

86. In Visitatione BMV.

1 a. Cantet christiana musa
Pia voce non confusa
Virginis praeconium,

1 b. Quae omni labe seclusa,
Sancto flamine perfusa
Dei tulit filium.

2 a. Seipsam humiliavit,
Elisabeth visitavit
Inferens solacium,

2 b. Senem ventrem fecundavit
Zacharias et fundavit
Mirum puerperium.

3 a. Elisabeth visitatur,
Iohannes praeco laetatur
Exsultans in utero,

3 b. Virgo mater exaltatur,
Clausus infans prophetatur
In ventre virgineo.

4 a. Qui, priusquam nasceretur,
Decuit, ut laetaretur
In virginis filio,

4 b. Dum uterque clauderetur
Ventre, alter laetaretur
Gestiens in utero.

5 a. Anus sterilis vocata
Conceptu fuit impleta,
Confecta iam senio,

5 b. Valde fuit admirata,
Quod fuerit visitata
Humili ergastulo.

6 a. Quid est? inquit, non sum digna,
Ut mater Dei benigna
Me visitet sedulo,

6 b. Tibi, mater tam insigna,
Non sufficit laus condigna
Nec sancta devotio.

7 a. Ut hoc festum venerandum
Et merito celebrandum
Laudetur praeconio,

7 b. Mysterium memorandum
Et digne concelebrandum
Est et admiratio.

8 a. Omnes ergo exsultemus
Et Domino iubilemus,
Virescat devotio,

8 b. Sanctum flamen adoremus,
Virginem matrem laudemus
Cum patre et filio.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 3 a, 2 praecursor laudatur AB.

87. In Visitatione BMV.

1 a. Congaudeamus Mariae,
Visitanti in hac die
Iohannem et Elisabeth.

1 b. Surgens mater digna Dei,
Advocata facta rei,
Abiit ad Elisabeth.

2 a. Per montana festinanter
Venit virgo incunctanter
Ad domum Elisabeth,

2 b. Quae in civitate sancta
Morabatur haec cognata
Sterilis Elisabeth.

3 a. Inde tamen nunc fecunda
Senex proba et iucunda
Zachariae Elisabeth;

3 b. Intrans ergo gloriosa,
Fructu sancto generosa,
Salutat Elisabeth.

4 a. Salve, bona consobrina,
Quam sic gratia divina
Ditavit, Elisabeth.

4 b. Cuius vocem salutarem
Ut audivit spiritalem,
Miratur Elisabeth.

5 a. Praesentia salvatoris
Gaudent matris praecursoris
Viscera, Elisabeth,

5 b. Ubi exsultavit gaudens
Praeco Domini, Iohannes,
Filius Elisabeth.

6 a. Cuius sanctitate immissa
Facta fuit prophetissa
Dicens sic Elisabeth:

6 b. Unde hoc, quod mater Dei
Venit huc ministra mei,
Miserae Elisabeth.

7 a. Inter feminas beata,
Fructu divino praegnata,
Domina Elisabeth.

7 b. Et cur credis, benedicta,
Implebuntur in te dicta;
Finit sic Elisabeth.

8 a. Inde oscula sequuntur,
Amplexusque repetuntur
Mariae et Elisabeth.

8 b. Nec abfuere tractatus
Nec Zacharias beatus
A domo Elisabeth.

9 a. Sic confabulantes pluries
Consumpserunt menses tres,
Dicat hoc Elisabeth.

9 b. Omnes ergo supplicamus,
Exaudi, quod suspiramus,
Cum sancta Elisabeth

10 a. Et Maria genetrice,
Nostra vera directrice,
In hac vallis miseria,

10 b. Visitemur inspirati,
Ut vivamus reformati
In caelesti patria.

Miss. ms. Caesaraugustanum saec. 15. Cod. Matriten. VII F 3. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. C. — 1 a, 1 Congaudentes A. — 1 a, 2 Visitantis ABC. — 5 a, 1 Et praesentia ABC; eine Silbe zu viel, oder Synicese? — 6 a, 1. Eine Silbe zu viel, oder Elision? oder lies: Cui sanctitate, was einen richtigeren Sinn böte? — 7 b, 1 cur statt quia. — 8 a, 3 et fehlt A. — 8 b, 1 affuere ABC. — 8 b, 2 beatus ABC. — 9 a, 1 Eine Silbe zu viel oder Synicese. — 9 a, 2 Eine Silbe zu wenig und schlechter Reim.

88. In Purificatione BMV.

1. Ecce, offerebat

2 a. Parvulum
ad templum
mater speciosa

2 b. Virgo et
Maria;
Simeonque senex

3 a. Accepit in
ulnas regem caelorum,
magnum Dominum.

3 b. Sola virgo
lac dabat, ubera de
caelo plena vita.

4 a. O digna voce repleta
Maria ultima per
civem virginem
fabricae
mundi electa alma.

4 b. Qui hodie in utroque
omnes enim prophetae
vim patientes
„gaudeo“
in ore clamabant.

5 a. Gabriel quoque
angelus
nuntius primitus
venit in arva.

5 b. Senex Simeon,
exspectans
redemptorem mundi,
Deo proclamat:

6 a. Nunc dimittis servum
tuum, Domine, in pace;
qui accepit
responsum in spiritu.

6 b. Adorna thalamum,
liberator legis,
intercede
pro nostra crimina.

7 a. Carmina caelica
angelorum laeta,
patriarcharum
chorus exsultat,

7 b. In caelesti tropaeo
iubilant organa,
sentiant tuum
iuvamen omnesque, alma

8. Virgo Maria,
genetrix orti
pro nostra facinora.

Trop. ms. Vicense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Capit. Vicen. CXI. — 2 a, 3 u. 2 b, 3 umgestellt. — 2 b, 3 sepicima. — 3 b, 2 dabit. — 4 b, 3 patienter. — 4 b, 5 in hore clamabat. — 5 a, 3 pri mitur. — 5 b, 2 exspectas. — 6 a, 3 quem. — 6 a, 4 insule. — 4 a u. 4 b, 1 verdorben und unverständlich.

89. In Purificatione BMV.

1. Fecundata
mater et virgo
semper, Maria,

2 a. Nostris fave
votis, orbis regina.

2 b. Natum regem,
qui creavit omnia,

3 a. Offers die ista
in templo
inter senis
Simeonis brachia.

3 b. Spiritus sancti
monita
praestolatur
et Anna prophetissa.

4 a. Salvatori
ut praesenti
digna canunt carmina.

4 b. O Simeon,
senex iuste,
qui Christum portas ulnis,

5 a. Haec est dies,
quem exspectabamus,
implentur tua vota.

5 b. Denique nos
more tuo pangamus
Israelis regi cantica.

6 a. Gaude, o Maria,
virgo beatissima,
Quae Dei verbum nobis
hominem offers
intra templi moenia.

6 b. Casta fave mater,
regnat iam proles tua.
Et tu, virgo inclita,
semper laetare
per infinita saecla.

Miss. ms. Virdunense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Virdunen. 99. A. — Miss. Virdunense imp. Parisiis 1509. B. — 3 a, 3 inter fehlt AB; senis fehlt B. - 4 a, 1 Salvatorem AB. — 4 b, 4 Qui sanctum Iesum Christum portas AB. — 6 b, 3 sq. semper inclita AB.

90. In Purificatione BMV.

1 a. Sion sancta, laetabunda,
Plebs fidelis et iucunda,
Exsulta cum tripudio,

1 b. Quantum vales in hac valle,
Dulce melos Christo psalle,
Exhilarata gaudio.

2 a. Tuum adorna thalamum,
Temet decora plurimum
Modulatis organis,

2 b. Cita senes ac iuvenes,
Coniugatas et virgines,
Viduas cum tympanis.

3 a. En, Maria, mater pia,
Dei gestans filium,
Quem admisit et emisit
Ut crystallus radium,

3 b. Cum peregit, sicut legit
Moysi volumine,
Templum intrat et illustrat
Nati sui lumine.

4 a. Turturum par castitatem,
Columbarum pietatem
Signant, dona mystica,

4 b. Haec pro eo proferuntur,
Sed sic nobis proponuntur,
Sit ut vita caelica.

5 a. Erat tunc Hierosolymis
Senex iustus et nobilis,
Simeon plenus gratia,
Adeptus vitae spatia,

5 b. Ne visum busto clauderet,
Donec promissum cerneret,
Qui creditur Emanuel,
Iesus, salvator Israel.

6 a. Hic imbutus et instructus
Spiritu veraciter
Ipsa hora sine mora
Templum it celeriter.

6 b. Noto Christo die isto
Ulnis hunc amplectitur,
Fatur vates, reddit grates,
In pace dimittitur.

7 a. Anna quidem prophetissa,
Tantis sacris tunc admissa,
Devota longo termino,

7 b. Super Christo manifeste
Cunctis lege loquens teste
Confitebatur Domino.

8 a. Certumque, quia deinceps
Omnis homo fit particeps
Huius alacritatis,

8 b. Verae qui capax fidei
Credit Christum verbum Dei,
Studet iungi beatis.

9 a. Ergo cuncti iam peruncti
Iesu sacro chrismate
Catervatim, singillatim
Claro plaudant neumate,

9 b. Mente tota et devota
Cereis fulgoribus
Festum agant, pure pangant
Sacris compti moribus.

10 a. Sed intellegant per ceram
De Maria carnem veram,
Fiatque fides rectior.

10 b. Ergo flamma signat numen
Maiestatis vel cacumen,
Spes inde fiat certior.

11 a. Linum praetendit hodie
Opus misericordiae,
Quod nobis lumen recipit,

11 b. Quo absque nil est claritas,
Quin potius calamitas
Cunctos ardens interficit.

12 a. Flagitemus et oremus
Aulam intra regiam
Genetricem ac nutricem
Domini egregiam,

12 b. Iesum oret ac imploret
Celebri precario,
Ut nos ducat et inducat
Poli consistorio.

Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valent s. n. A. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. C. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. D. — Missale Valentinum imp. 15**. E. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. F. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. G.

1 a, 3 Exsultat FG. — 2 b, 1 Circa ABCDE. — 3 a, 3 amisit A. — 3 b, 1 Dum FG. — 4 b, 3 Sicut E. — 5 a, 2 ac FG. — 5 a, 4 Indemptus ABCDE. — 5 b, 4 Iesu AE. — 6 a, 1 et structus F. — 6 b, 2 Ulnis hic FG. — 6 b, 3 Fatur grates reddit vates FG. — 7 a, 3 Devoto AE. — 8 a, 2 sit E. — 9 a, 4 plaudat A; pneumate FG. — 10 b, 3 Spes quia FG. — 11 a, 1 Lignum A. — 11 b, 1 caritas ABCDE. — 12 a, 2 infra FG. — 12 a, 3 et nutricem FG. — 12 b 2 Celebris precatio ABCDE.

91. In Purificatione BMV.

1 a. Adest dies veneranda,
Qua pura purificanda
Venit virgo virginum;

1 b. Haec dies quadragesima,
Qua sublimis humillima
Venit expers criminum.

2 a. Hierusalem virguncula,
Ab omni pura macula,
Ut purgetur, properat;

2 b. Sed quid purgandum fuerit
In hac, recensendum erit,
Quae nil sordis egerat.

3 a. Legis mulieres erant,
Quae semine conceperant,
Instituto obnoxiae,

3 b. Sed, Maria, mater Christi,
Quae spiritu concepisti
Sancto regem gloriae,

4 a. Cum virum non cognoveris,
Sed virgo semper fueris
Repleta munditie,

4 b. Nec sorduisti sanguine,
Quo mundabantur feminae
Viri sparsae carie,

5 a. His te non lex astrinxerat,
Sed quod figura fuerat,
Tibi quis futurus erat
Status in caelestibus,

5 b. Ad quem te vexit gloriae
Rex in quadragena die
Te subtrahens miseriae
Mortis fractis nexibus.

6 a. Absque fide, caritate
Nos mortales nascimur,

6 b. Mens, voluntas sunt purgatae,
Sensu mortis loquimur.

7 a. Fide, caritate plena
Virgo ad esse prodiit,

7 b. Non mundata, sed serena
Mortis legem subiit.

8 a. Dies hanc ergo ad gloriam
Quadragena fert Mariam,
Quae purgata caeli viam
Meruit ex saeculo.

8 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

9 a. Quota fert huiusce natum
Hora ab inferis levatum,
Dies superexaltatum
Ad caelum empyreum,

9 b. Dum lex vetus per saeculum
Duravit offendiculum,
Nec sic haec huius vinculum
Cor tenet virgineum.

10 a. Servat virgo mater regis
Instituta suae legis
Sub utroque tempore;

10 b. Nos decet parere legi,
Qua placemus summo regi
Vitato facinore.

11 a. Nam Moysi modo legi
Paret, simul ipsa regi
Censet lege gratiae.

11 b. O Maria, legis arca,
Qua quievit rex monarcha,
Iesus, princeps gloriae.

12 a. Virgo mitis et benigna,
Omni laude virgo digna,
Christo nos concilia.

12 b. Ora patrem, iube natum
Ducere nos ad optatum
Portum, mater, filia,

13 a. Ut videre laetabundi
Valeamus Deum mundi
Huius post exsilia.

13 b. Cuius vultu satiati,
Omni dote decorati
Laetemur in patria.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541.

92. In Transfixione BMV.

1 a. Gaude, Sion mater, quia
Dona magna tibi tria
Propinantur hodie,

1 b. Christus dulcis cum Maria
Pro te rogant prece pia
Regi summae gloriae.

2 a. Hodie Christus maceratus,
Pro te pendens laceratus
Crucis ignominia,

2 b. Spata dira perforatus,
Pie tui miseratus
Suscipit in gratia.

3 a. Hodie mater pietatis
Dona profert bonitatis
Stans sub cruce inclita,

3 b. Hodie pater maiestatis
Tibi bona largitatis
Donat sibi insita.

4 a. Quis infelix non impendet
Laudum vota, non intendet
Matri in exsilio?

4 b. O quam felix, quae appendit
Mentis vota, quae suspendit
Crucis in eculeo.

5 a. Quod iustus olim cecinit,
Mater virgo recipit
Christi in agone;

5 b. Synagoga tunc cecidit,
Dum Sion [sancta] mansit
Institutione.

6 a. Fructum cepit vetitum,
Qui infecit populum,
Prima parens;

6 b. Quia carpit insitum
Fructum verbi optimum,
Virgo dolens.

7 a. Eia, fructus caelice,
Nos nunc totos refice
Mariae ob amorem,

7 b. Fructus dulcis optime,
Fac saporem intime
Spiritus ad dulcorem.

8 a. Stabat hodie
Tota carens carie
Vultu lacrimosa,

8 b. Sustinens blasphemiae
Cohortem malitiae
Pro te amorosa.

9 a. Vena vitae, spes salutis,
Dei mater, dos virtutis,
Orbata praeconio

9 b. Auris tinnit tunc de brutis.
Dum tu audis a versutis
Natum tradi opprobrio,

10 a. Ob hoc, rosa, fons amoris,
Nos sentire vim doloris
Facias veraciter,

10 b. Ut expertes nos maeroris
Simus duri et furoris
Iudicis perenniter.

Orat. ms. S. Clementis Toletani saec. 15. Cod. Matriten. Tolet. 122. A. — Miss. ms. Vicense saec. 14[?] Cod Cerveran. s. n. [bei Villanueva, Viage literario IX, 208] B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. C. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. D.

1 a, 1 mater pia B, Korrektur? — 1 b, 1 Christus dux cum CD. — 1 b, 2 rogat D. — 1 b, 3 summo C. — 2 a, 1 Hodie zu synicesieren [ebenso 3 a, 1 und 3 b, 1]; maceratur D. — 2 a, 2 Per te ABCD; laceratur D. — 2 b, 3 Suspirat CD. — 3 a, 2 Bona B. — 3 b, 3 tibi D. — 4 a, 2 et intendet AB. — 5 a, 2 recepit D. — 7 b, 1 obtine A, obtime B. — 8 a, 1 Restabat ABCD; l. Vere oder maerens stabat? — 8 a, 3 lacrimoso CD. — 9 a, 3 Orbatas ABCD. — 9 b, 1 Turris CD, tumit AD. — 9 b, 3 Eine Silbe zuviel oder Elision? — 10 b, 1 expertos D.

93. De Compassione BMV.

1 a. Salve, virgo gloriosa,
O regina caelitum,
Mater matrum dolorosa,
Audi preces supplicum.

1 b. Salve tu, quae pertulisti
Dolorem acerrimum,
Cum circumcidi vidisti
Natum dilectissimum.

2 a. Salve, quae plena timore
Effugis cum filio,
Quae Nazareth cum pavore
Redis ab exsilio.

2 b. Salve, quae post tot dolores
Natum quaerens perditum
In templo inter doctores
Invenisti subditum.

3 a. Salve tu, quae dulcem natum
Sciens nummis proditum,
Sciens sputum, flagellatum,
Paene emittis spiritum.

3 b. Salve, sanguine stillantem
Quae dum natum reperis,
Crucem dorso baiulantem,
Exanimis laberis.

4 a. Cum crucifixum vidisti,
Tradita discipulo,
Mortis dolores sensisti
Confixa cum filio.

4 b. Dum filius moritur,
Vitae eclipsim pateris,
Antro cum sepelitur,
Cum nato includeris.

5. Tot ergo passa dolores,
Virgo, martyr inclita,
Nostros releva labores
Et perduc ad sidera.

Miss. Valentinum imp. 15**. — 3a, 4 u. 4b, 2 Elision.

94. De VII Doloribus BMV.

1. Primus dolor, virgo, fuit,
Quando Simeon tunc dixit:
Gladius eius transibit
Tuam sacram animam.

2. Secundus, quando fugisti
In Aegyptum cum labore
Et timore et dolore
Portans tuum filium.

3. Tertius, dum perdidisti
Tuum natum, quem quaesisti
Flendo et sic invenisti
Illum die tertio.

4. Quartus est, quando ligatus
Fuit Iesus, tuus natus,
In columna flagellatus
Et de spinis coronatus
Cum cruore roseo.

5. Quintus, alma mater Christi,
Dum in cruce tu vidisti
Mori, quem tu genuisti,
Tuum et Dei filium.

6. Sextus, dum te commendavit
Iohanni et sic spiravit,
Miles latus perforavit,
Sanguis, aqua abundavit,
Gladius te vulneravit
Doloris in anima.

7. Septimus, dum respexisti
Poni corpus Iesu Christi
De cruce et tenuisti
In gremio et tradidisti
Sepulturae et reliquisti
Cum dolore filium.

8. Quo dolore vulnerata
Fuisti, virgo sacrata,
Et in corde cruciata
Milies martyr facta!

9. Eia ergo, virgo pia,
Mater dulcis, o Maria,
Per hos sacros nunc dolores
Exaudi nos peccatores
Et exora filium,
Suum ut salvet populum.

Missale Montis Serrati imp. s. l. et a. (in Monte Serrato 1521). — Ohne Parallelismus.

95. De Doloribus BMV.

1 a. O mater Christi et virgo,
Fons salutis et origo,
Tu nostra redemptio,

1 b. Angelus cum salutavit
Te, virginem informavit,
Quod virtus Dei flavit.

2 a. Tu, quae Christum genuisti,
Circumcisum doluisti
Et amissum invenisti
In templo, mater, natum.

2 b. Hunc Iudaeis iam traditum,
Corpus eius denudatum,
Oculis tuis ablatum
Dolebas, virgo, gratum.

3 a. Ita cruci adfigitur,
Per impios deluditur
Et pro nobis moritur.

3 b. Anima tua pungitur,
Cum filius deponitur
Et planctu sepelitur.

4 a. Stabas, virgo dolorosa,
Iuxta crucem lacrimosa,
Ergo, mater gratiosa,
Adiutrix copiosa,

4 b. Pacem confer, finem bonum,
Mala pelle et da modum
Ita spernere mundana,
Ut amemus caelica.

5. Per dolores, quos tulisti,
Lava sordes choro isti
Et perduc ad thronum Christi,
Virgo mater, Maria.

Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. — 4 b, 3 l. vielleicht mundanum.

96. In Assumptione BMV.

1. Felix valde

2 a. O Maria,
incorrupta puerpera.

2 b. Tu merito
vocaris mundi domina.

3 a. Angeli dictis
oboedisti,
virgo pudica,

3 b. Vernanti flore
mox fuisti
virgo praegnata.

4 a. Illo progenito
caeli clamaris regina,

4 b. Ipso germinante
reviviscunt morticina.

5 a. Hodie puella morte
non es impedita,

5 b. Licet temporali nece
fores irretita.

6 a. Te transeunte
laetatur polorum
cohors beata,

6 b. Te adiuvante
possimus foveri
saecla per cuncta,

7. Felix valde o Maria.

Trop. ms. Veronense saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 107 (100). A. — Grad. ms. Mutinense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen O 1 N 7. B. — Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. C. — Grad. ms. Modoe-

tinum saec. 12. Cod. Capit. Modoet. K 11. D. — Grad. ms. Parmense saec. 14/15. Cod. Capit. Parmen. s. n. E. — Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Univ. Bononien. 2748. F.

3 a, 1 doctis B. — 3 b, 1 Vernante F; florere B. — 4 a, 2 clamaris caeli F. — 4 b, 1 Illo B. — 4 b, 2 revivescunt A. — 4 a und 4 b umgestellt A. — 5 a, 1 O digna puella F. — 5 a, 2 lies impetita? — 5 b, 1 Sic et B; temporalis A. — 5 b, 2 fore A. — 6 a, 3 sors beata A. — 7. Felix mater et beata C.

97. In Assumptione BMV.

1 a. Gaudiorum virgo mater,
Cuius filius est pater,
Habet privilegium,

1 b. Quaeque virgo collaetatur,
Et in Christo gloriatur
Tota caeli curia.

2 a. Ave, virgo, cuius festum
Sacrosanctum et honestum
Recolit ecclesia,

2 b. Gerens vas illuminatum
Oleumque praeparatum
Sponso gaudens obvia.

3 a. Imprudenti non intrante
Introisti currens ante
Christum sequens filia,

3 b. Sic ingressa caeli chorum,
Rosas habes circa thorum,
Violas et lilia.

4 a. Virgo prudens, virgo munda,
Peccatores nos emunda
Ab omni spurcitia,

4 b. Emundatos nos commenda
Sponso Christo ad habenda
Sempiterna gaudia.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

98. In Assumptione BMV.

1 a. Plausu dulcis harmoniae
Honoretur in hac die
Mitis Iesu matris piae
Felix tam assumptio.

1 b. Hic quaerendo disputatur,
Carne si incineratur,
An in caelum assumatur
Tota iuncta filio.

2 a. Sacrum flamen hanc mundavit,
Carnem totam integravit,
Ergo non deintegravit
Hanc incineratio.

2 b. Est de matre caro Christi,
Sed regnantem hunc audisti,
Ergo secum debet sisti,
Cum sit carnis unio.

3 a. Si cum Deo pars praeesset,
Et cum verme pars subesset,
Ergo dicta non fuisset
Tota plena gratia.

3 b. Sed est plena, pulchra tota,
Ergo caret omni nota,
Ergo vermi non est nota,
Sed regnat in gloria.

4 a. In electis nil ignorat,
Quin hanc Deus praehonorat,
Ergo non hanc inhonorat
Tellus talem nutriens.

4 b. Cum sanctorum quaedam caesa
Membra constant et illaesa,
Ergo nunquam erat laesa
Caro Deum pariens.

5 a. Morti datum sepelitur
Nec in terris reperitur,
Quo sit raptum hinc nescitur
Corpus matris virginis.

5 b. Est in caelo vel in solo,
Non in imo, ergo polo
Regnat Dei velle solo
Secus dextram numinis.

6 a. Ergo matrem tam beatam
Obdormisse, post translatam
Ac in caelis coronatam
Credat grex ecclesiae.

6 b. Te precamur, stella maris,
Quae cum Iesu gloriaris,
Ducas nos, quo sublimaris
Regis regno gloriae.

Miss. ms. Romanum [?] saec. 15. Cod. Oxoniens. Tanner. 334.

99. In Assumptione BMV.

1 a. Assumpta virgo virginum,
Spes atque salus hominum,
Regnat iam cum filio;

1 b. Est in caelis haec regina,
Digna laude, sine spina
Rosa iuncta lilio.

2 a. Maria, flos castitatis,
Hortus clausus deitatis,
Dei gaudet solio;

2 b. In excelso caeli sita,
Mundi labe non attrita
Scandit ab exsilio.

3 a. Caelum suae clariatis
Luce replet, iam beatis
Praelata spiritibus;

3 b. Gaudet chorus virginalis,
Exstans illi specialis
Honor in caelestibus.

4 a. Exercitus hanc sanctorum
Venerando supernorum
Profitetur dominam;

4 b. Angelorum Dei coetus
Psallit congaudendo laetus
Dominantis gloriam.

5 a. Ergo nobis, o beata,
Supra caelos exaltata,
Tuum placa filium,

5 b. Ut nos culpis absolutos
Paradiso reddat tutos
Mundi post exsilium.

Grad. ms. Montis S. Mariae saec. 13/14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 502. A. — Sequent. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1340. B.

100. In Assumptione BMV.

1. Ad honorem matris piae
Vox erumpat symphoniae
Festi sonans gaudia.

2 a. Verbi parens, hortus nucum.
Commutat onus caducum
Immortali trabea.

2 b. Pubescenti par aurorae,
Rubens fructu, candens flore,
Vitae vernat laurea.

3 a. Olim moriens, nunc vivus
Iesus obviat festivus
Coronatae virgini,

3 b. Ut eam in dextra patris,
Quantum capit honor matris,
Suae reddat culmini.

4 a. Nati regis
incumbens dexterae
Vitae vias
excurrit prospere,
Novo suae
virtutis pondere
Transmetitur aethera.

4 b. Intrat aulam
fecundi luminis,
Sequens agnum
secundi tramitis
Sceptrum sumit
caelestis ordinis,
Nutu premit infera.

5 a. Spiritus, qui colunt caelos,
Choros iungunt, fundunt melos
Miri modulaminis

5 b. Offerentes arte nota
Iubilos et laudum vota,
Novum genus carminis.

6 a. Sistitur in caeli sede
Vivo terens caput pede
Serpentis tartarei,

6 b. Ut iam nec in subcalcari
Possit robur infirmari
Virginalis fidei.

7 a. Ergo tenet
lucem, quam edidit,
Quam et Eva
sub ficu perdidit,
Testam cuius
fregit et abdidit
Plebs Hebraea.

7 b. Sed celeri
Deus iuvamine
Integravit
a mortis fragmine
Testam carnis
sumptam a virgine
Nazaraea.

8 a. Rex potitus exquisitis
Amplexibus Sunamitis
Pio calet pectore

8 b. Et movetur circa reos
Per Mariam solvens eos
A peccati corpore.

9 a. Habet vim iudicii
Ore data filii
Bersabeae ratio,

9 b. Quod pro reis valeat
Nec effectu careat
Mariae petitio.

10 a. Post expressum crucis prelum
Manu forti virgo caelum
Prior cunctis rapuit,

10 b. Quae vovere sementiva,
Suae carnis incentiva,
Deo prima voluit.

11 a. Sacrum vellus
carnis virgineae
Caelo datur,
adfertur areae,
Ut pia fert opinio,

11 b. Nam teneri
morte non debuit,
Per quam nobis
a morte potuit
Procurari redemptio.

12 a. Regnat una
post natum unicum,
Terras tenet
orbemque caelicum
Novae potestatis mole,

12 b. Et est dignum
dictatque ratio,
Ut subdatur
[eius] obsequio,
Quidquid spirat sub hoc sole.

13 a. Iam praelata
caeli militiae
Imperatrix
et datrix gloriae,
Suspirantes
ad donum veniae
Donativis
exornet gratiae
Mater pia.

13 b. Quibus adhuc
fides est tenera,
Pietatis
impendat viscera
Et ad regnum,
quod spondet litera,
Nos perducat
virgo puerpera
Precum via.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 2a, 1 ortus AB; hortus nucum bezieht sich auf Cant. 6, 10: Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium etc. Wie Maria der hortus conclusus, der fons signatus etc., so ist sie auch der hortus nucum des Hohenliedes. — 2b, 1 Lies Rubescenti? — 3b, 1 dextera B. — 4b, 4 tramitis verstöfst gegen die sonst beobachtete Reinheit des Reimes; lies agminis? — 10a, 1 prelium AB. — 10a, 2 virga AB. — 13a, 7 Donativus AB. — 13b, 8 purpurea A.

101. In Festo Mariae Nivis.

1 a. Laudes Deo altissimo,
Christo decantet Domino
Felix mater ecclesia,

1 b. Iucundo qui miraculo
Salubrique oraculo
Suae matris sollemnia

2 a. Decoravit hodie,
Nives dum descendere
In Augusti tempore

2 b. Fecit mirabilius
Terram fundens citius,
Dum orat patricius.

3 a. Velut fortis Gedeon
Vellus vidit humidum
Terra sicca tota,

3 b. Siccam sic patricius
Terram prospexit [protinus]
Nive centro mota.

4 a. Per quem erigi congruam
Ibi fecit basilicam
Suae castae matris

4 b. Perenni sub memoria
Eius adaucta gloria
Filius Dei patris.

5 a. Iesu ergo o benigne,
Propter vota matris dignae
Nive tuae gratiae

5 b. Ignem carnis, labem mentis
Tolle, donum refulgentis
Da caelestis patriae.

Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 190. add. saec. $15^{1}/_{16}$. — 4a, 1 Per quas erigi. — 4b, 1 Per eum sub. — 5b, 1 labe nautis.

102. De beata Maria V.

a festo S. Stephani usque ad circumcisionem.

1 a. Gaude, mater Iesu Christi,
Verbum verbo concepisti,
Gabrieli dum dixisti:
En, ancilla Domini;
Maria.

1 b. Gaude, mater expers maris,
Porta caeli, stella maris,
Iesum laeta virgo, paris,
Deum iunctum homini,
Maria.

2 a. Gaude, parens Dei nati,
Circumcisi, Deo grati,
Qui pro nobis venit pati;
Tu sis pia miseris,
Maria.

2 b. Gaude, videns venientes
Aurum, murram, tus ferentes
Magos, Iesum confitentes,
O regina sideris,
Maria.

3 a. Gaude, quia tuum natum,
Templo Dei praesentatum,
Simeone amplexatum,
Virgo mater, sequeris,
Maria.

3 b. Gaude, Iesus resurrexit
Laetos reddens, quos dilexit,
Omnes iustos secum vexit;
Serva nos ab inferis,
Maria.

4 a. Gaude, mater, cuius natus
Iesus scandens, laureatus,
Dextra patris est locatus;
Salva tuos filios,
Maria.

4 b. Gaude, quia Iesus misit
Bis sex denis, quos dimisit,
Sacrum flamen, quod promisit;
Tu nos rege devios,
Maria.

5 a. Gaude, licet sis defuncta,
Manens tamen inconsumpta
Et assumpta super cuncta
Es cum Iesu filio,
Maria.

5 b. Iesu mater, miserere
Et, quos Eva fecit flere,
Ubi gaudes, fac gaudere
Sempiterno gaudio,
Maria.

Miss. ms. Altomonasteriense saec. 15. Clm. Monacen. 2937. A. — Cod. S. Floriani III 13. saec. 15. B. — Collect. ms. Brigittinum saec. 15. (Privatbesitz) C. — 2a, 2 tibi grati B. — Der Name Maria fehlt am Schlufs der Strophen B. — Vgl. W. Moll, 382; Klemming II, 125.

103. De beata Maria V.

In Octava Domini.

1 a. Fons hortorum, fons signatus,
Hortus clausus sed rigatus
Aqua sapientiae,

1 b. Rosa prima, rosa vernans,
Virga Iesse, virga praegnans,
Virgo stirpis regiae,

2 a. Flammans rubus sed non ustus,
Quo deletur dolens gustus
Pomi quondam vetiti,

2 b. Turris David, thronus regis,
Cedrus alta, frenum legis
Singularis meriti,

3 a. Clausa semper templi porta,
Per quam tamen lux est orta,
Lux eclipsis nescia,

3 b. Poli sidus, stella maris
Tu es, virgo singularis,
Novi solis regia.

4 a. Tu flos florum, floris mater,
Cuius natus est, qui pater
Ex natura gemina;

4 b. Tu nam lactas, quem adoras,
Sinu foves, quem imploras,
Grata Deo femina.

5 a. Digna ergo Dei parens
Vitiorum spinis carens,
Inter spinas lilium,

5 b. Nos ingratos, nos indignos
Gratos redde facque dignos,
Tuum placa filium.

6 a. Sed hanc tuam civitatem
Serva, virgo, tempestatem
Ab hac omnem adime,

6 b. Absit languor, absit error,
Absit hostis, absit terror,
Terrae motus maxime.

7 a. Clerum quoque, plebem totam,
Tibi fidam ac devotam,
Solito custodias

7 b. Et post huius vitae cursum
Ad perennem vitam sursum
Pervenire facias.

Grad. ms. Modoetinum saec. 15. Cod. Capit. Modoet. s. n. A. — Grad. ms. Modoetinum saec. 15. Cod. Capit. Modoet. s. n. B.

104. De beata Maria V.

Tempore paschali.

1 a. Verus homo, verus Deus,
Propter reos factus reus,
Carne crucifigitur;

1 b. Sic salvator condemnatur,
Ut mors iure moriatur,
Vita sponte moritur.

2 a. Et videris ratione
Non hic minus in agone
Tulisse quam filius,

2 b. Suum corpus victimam
Dedit, tuam animam
Pertransivit gladius.

3 a. Sed resurgens leo fortis
Aufert principatum mortis.
Praedam refert inferi,

3 b. Plus compassa patienti
Plus consurgis resurgenti
Quam sanctorum ceteri.

4 a. Placa nobis, o beata,
Parens natum, patrem nata,
Carnis pro flagitio

4 b. Ne mens ipsa flagelletur,
Sed in nobis iteretur
Christi resurrectio.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — Die Sequenz beginnt in der Hs. mit folgenden Versen:

Talis conceptio nil habet criminis,
Nec flore poprio vernare desinis,
In te fit unio matris et virginis
In tuo filio Dei et hominis.

Dieselben gehören offenbar nicht zum folgenden und sind mit Ausnahme des ersten Verses aus Anal. XX, Nr. 182, Str. 4 genommen. Es scheint fast der Anfang des Gedichtes zu fehlen, da die Anrede in 2a so unvermittelt auftritt.

105. De beata Maria V.

Sub Octava Pentecostes.

1 a. Veni, mater deica,
Veni, rosa caelica,
Arca sancti spiritus,

1 b. Veni, plena gratiae,
Veni datrix veniae,
Lima nostri generis.

2 a. Consolatrix omnium,
Tuum placa filium
Ad nostra suspiria,

2 b. In labore proxima,
Spes pro nobis optima
In Dei praesentia.

3 a. O puella nobilis,
Omnis per te flebilis
Meretur solacium,

3 b. Sine viri onere
Meruisti gignere
Salutem fidelium.

4 a. Lava cordis vitia,
Purga noctis saucia,
Sana mentis vulnera,

4 b. Flecte contumacia
Et corrige noxia,
Vi contere aspera.

5 a. Da in te sperantibus
Tuis servitoribus
Vitae refrigerium,

5 b. Da caelorum aditum,
Da sanctorum habitum
In perenni gloria.

Miss. ms. Glogaviense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 355. add. saec. 15. A. — Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 365. B. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F. 343. C. — Miss. ms. Cracoviense anni 1438. Cod. Capit. Cracovien. 2. D. — Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 344. E.

1 b, 1 Veni Eva gratiae D. — 1 b, 2 doctrix C; ductrix B. — 2 a, 2 voca filium B. — 3 a, 1 O Maria nobilis D. — 4 a, 1 Sana cordis intima D. — 4 a, 2 corda saucia D. — 4 b, 3 Et contere D. — 5 a, 1 Da tuis fidelibus D. — 5 a, 2 Tibi servientibus D. — 5 b, 2 sanctorum meritum D. — Melodie: Veni sancte spiritus; überhaupt Nachahmuug letzterer Sequenz.

106. De beata Maria V.

Diebus Sabbatis.

1 a. Vas decoris et honoris,
Vas caelestis gratiae,

1 b. Templum nostri redemptoris,
Forma pudicitiae.

2 a. Miserorum miseratrix
Et lapsorum relevatrix,
Fons misericordiae,

2 b. Virgo, vitae reparatrix,
Angelorum imperatrix
Et caelestis curiae.

3 a. Virga Iesse generosa,
Super omnes speciosa
Flore, fructu, specie,

3 b. Servos tuos, gloriosa,
Gratos redde, gratiosa,
Christo, regi gloriae.

4 a. Ave, virgo, stella maris,
Mater sapientiae,

4 b. Audi virgo singularis,
Preces nostras hodie.

5 a. Flos, Maria, castitatis,
Pelle nostrae gravitatis
Onus et tristitiae,

5 b. Plagam nostrae pravitatis
Unge, mater caritatis,
Oleo laetitiae.

6 a. Dormientes in peccatis
Leva manu pietatis
De lacu miseriae,

6 b. Et per viam veritatis
Duc ad regem claritatis,
Scala domus regiae.

7 a. In qua frui valeamus
Per te, sancta, quam laudamus,
Sede sapientiae,

7 b. Ubi semper referamus
Deo grates et reddamus
In caelesti serie.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 4 a, 1 Que virgo (falsche Initiale) AB. — 7 a, 3 Sede patientiae AB. — Eine kürzere Form dieser Sequenz vgl. Anal. X, 106; vgl. auch die Reimgebete bei Mone II, 426.

107. De beata Maria V.

Diebus Sabbatis.

1 a. Ad haec festa sabbatina
Pangat nunc ecclesia
1 b. Sono duplo, voce trina
Mariae praeconia.

2 a. Haec est salus, haec est vita
Peccatorum omnium,
2 b. Haec turris bene munita,
Pauperum refugium.

3 a. Mater Dei, mater nostra,
Mater et angelica,
3 b. Quae cassavit, quae curavit
Venena diabolica.

4 a. Hostes terret turris illa
Fugans multa milia,
4 b. Domini haec est ancilla
Filii et filia.

5 a. Haec est myrtus, cuius virtus
Penetravit sidera,
5 b. Nardus sapit et hanc capit,
Rex, qui regit aethera.

6 a. Cui placet, ut nunc placet
Transgressoris crimina,
6 b. Quam exaudit et adplaudit
Per eius precamina.

7 a. O quam cara et quam clara
Est haec mater filio,
7 b. Quem arridet, quando videt,
Rosa iuncta lilio.

8 a. O quam plena et amoena
Est haec laude caelica,
8 b. Quam decorat, quam honorat
Phalanx archangelica.

9 a. Cupit natus, ut sit datus
Dies ille virgini,
9 b. Ut succedat et praecedat
Sollemnitas filii.

10 a. Stat cum eo, ut sit reo
Impetratrix gratiae,
10 b. Quam nil fessat, nam non cessat
Coram eius facie.

11 a. Ergo, pia o Maria,
Laudes nostras suscipe,
11 b. Nos a poenis et venenis
Serpentinis eripe.

12 a. Nos tuere, nos gaudere
Fac, o dulcis domina,
12 b. Immortali, aeternali
Commendans regi saecula

13. Per omnia.

Grad. ms. Murense anni 1532. Cod. Aargovien. M 4. fol. m. —

108. De beata Maria V.

1. Almiflua
caelorum turba

2 a. Individuae
trinitati
laudes concinit in astris.
2 b. Nos quoque in arvis
gratulantes
ipsius mysteria

3 a. Nisibus ex totis
per longa recitemus
devote tempora.

3 b. Exsultent cernendo
regis obtutum celsi
sanctorum agmina.

4 a. Iubilet et in huius
diei festa
populorum caterva

4 b. Poplite flexo Christi
solamen poscens,
paradisi gaudia,

5 a. Ut queant iter post
carnis mortem vitae
scandere superna,

5 b. Qua Dei genetrix
cum civibus almis
consistit Maria.

6 a. Quae meruit in tantum
conditoris aeterni
fore conspectibus
placita,

6 b. Ut humani generis
factorem generarent
casta sui corporis
viscera.

7 a. O virgo clausa per
aevum, per te cunctis
est patefacta
altithroni ianua.

7 b. Qua propter veniam
servulis, quaesumus,
[efflagitare]
prece [tua] sedula,

8. Qua perfrui tecum
mereamur gloria
per eum, qui regnat
in cuncta saecula.

Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Roman. 1343 (Sessor. 62). — 2a, 3 Da alle clausulae in **a** auslauten, ursprünglich wohl in astra. — 7a u. b haben nach Ausweis der Neumen nur sehr unvollkommenen Parallelismus; auch fehlt 5b, wie es scheint, ein Verbum; die Ergänzungen suchen das zu beheben.

109. De beata Maria V.

1 a. Ave, dulcis mater Dei,
Christi thronus requiei,
Maria templum gratiae;

1 b. Ave, advocata rei,
Digna cantu iubilaei,
Grata in prolis facie.

2 a. Ave, porta non aperta,
Dei numine referta
Sine viri collegio;

2 b. Ave, culpae inexperta,
Sola digna es reperta,
Tibi plaudit omnis regio.

3 a. Ave, mater sanctitatis,
Palma fulgens bonitatis
Prae singulis cum gloria;

3 b. Ave salus tribulatis,
Spes oppressis in peccatis,
Reis salus, memoria.

4. Ave, vera maris stella,
Praeelecta Dei cella,
Benedicta tu puerpera.

Miss. ms. saec. 15. Cod. Monacen. 2873.

110. De beata Maria V.

1 a. Ave, fulgens stella maris,
Mater thoro carens maris,
Super omnes sublimaris
Ierarchias ordinum.

1 b. Virgo manens mater paris,
Sola parens expers paris,
Unde iure nuncuparis
Virgo, decus virginum.

2 a. Ave, semper cara caris,
Ab adflictis invocaris,
Nempe quia praedicaris
Mediatrix hominum.

2 b. De te, mater singularis,
Caesus lapis angularis,
Cum quo sursum gratularis,
Caeli consors numinum.

3 a. Ave, decor puellaris,
Veri stola fide raris,
Immo scala salutaris,
Directrix ad Dominum.

3 b. Tu praepollens signis claris,
Actus vitae saecularis
Pie laves, cum dicaris
Expiatrix criminum.

4. Quae prae cunctis praemiaris,
Tuos semper tuearis,
Vitam puram largiaris
Mortis ante terminum.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612 saec. 15. — Wahrscheinlich Sequenz auf die Melodie Verbum bonum et suave unter doppelter Wiederholung des letzten Chorals.

111. De beata Maria V.

1 a. Ave, luna, quam fundavit
Sol, qui mundum visitavit
Apparens hominibus,

1 b. Cum est nostri recordatus,
Paulo minus minoratus
A supernis civibus.

2 a. Tu es sponsa, de qua sponsus,
Tamquam nube sit absconsus,
Deus noster prodiit,

2 b. Qui de summis est egressus
Et ad summum est regressus,
Cum ad patrem rediit.

3 a. O Maria, mater Christi,
Deum ex te genuisti
Sine carnis macula,

3 b. Qui rex potens, Deus fortis,
Expugnavit hostem mortis
Nostra solvens vincula.

4 a. Ave, parens o beata,
Quae in veste deaurata
Nites ante Dominum,

4 b. Praeis omnes cum corona,
Te sequuntur fronte prona
Omnes coetus virginum.

5 a. Dulciter quae redoles
Miseris et condoles,
Preces Deo immoles
Pro nobis, ut assoles.
O vas deitatis.

5 b. Vallis vernans liliis,
Quae vacas deliciis,
Nostris nunc miseriis
Assis tu suffragiis,
O fons pietatis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt Eccl. 375.

112. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater claritatis,
Sanctitatis speculum,

1 b. Ave, mater pietatis,
Caritatis vinculum,

2 a. Ave, mater munditiae,
Castitatis lilium,

2 b. Ave, genetrix gratiae,
Trinitatis gaudium.

3 a. Tuum pro nobis filium
Exora, regem gloriae,

3 b. Ut nos ad contubernium
Perducat caeli curiae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

113. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater gratiae,
Speculum ecclesiae,
Luminare gentium.

1 b. Ave, virgo regia,
Dei plena gratia,
Virginale lilium.

2 a. Templum sancti spiritus,
Obumbratum caelitus,
Portus post naufragium,

2 b. Stella maris lucida,
Virga Iesse florida,
Dei gignens filium.

3 a. Gaude, iubar saeculi,
Christiani populi
Spes atque refugium,

3 b. Sis norma credentibus,
Spes, via petentibus
Caeleste palatium.

4 a. Virgo, porta gloriae,
Fons misericordiae,
Salus infirmantium,

4 b. Delinquentes erige,
Paenitentes dirige
Ad optatum bravium.

5 a. Mundi mater, domina,
Ne nos perdant crimina,
Tuum fer auxilium,

5 b. De valle miseriae
Nos manu clementiae
Duc ad verum gaudium.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Melodie: Veni sancte spiritus.

114. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater gratiae,
Virginale gaudium,
Hortulus clementiae,
Reorum refugium,
Pietatis rivulus,
Quo manat remedium
His, qui pro criminibus
Merentur supplicium.

1 b. Maria, considera,
Cuius refrigerio
Lumen, pectus, ubera
Dedisti cum gremio;
Huic ergo impera
Matris privilegio,
Ne post carnis funera
Nos reddat supplicio.

2 a. O benigna,
Tuo nato nos consigna,

3 a. Gaude, caeli domina,
Mundi tollens crimina,
Mater orphanorum,

4 a. O plena prae ceteris
Gratia divina,
Nos a culpae veteris
Expia sentina,
Dulcis Maria,
Virgo pia.

2 b. Gaude, digna
. . . . . .

3 b. Gaude, felix femina,
Dulcis super omnia,
Sola spes lapsorum.

4 b. Mater misericordiae
Et caeli regina,
Reis indulgentiae
Poculum propina,
Clemens Maria,
Flos benigna.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — Eine kürzere Fassung der Sequenz. s. Anal. X, 103.

115. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater orphanorum,
Consolatrix miserorum,
Solamen desolatorum,
Lux in mundi tenebris,

2 a. Evae nomen mutans ave,
Per hoc verbum tam suave
Sic pressorum releva vae,
Ut gementes visites.

3 a. Eia, mater, advocata,
Natum mater, patrem nata
Roga, ne nos hic peccata
Trahant ad interitum.

4 a. Infer cor, quod diligat te
Nec errare queat a te
Sed exerceat [beate]
Tuum beneplacitum.

5 a. Amarum quod est, dulcora,
Quod insulsum est, sapora,
Ut sit bonum malum, ora,
Quod bonum est, meliora,
Et melius optima.

6 a. Uia morum, vitae norma,
Cuius clarent caeli forma,
Virtutibus nos informa,
Nato tuo nos conforma,
Cui curvamus genua.

1 b. Virgo David stirpe nata,
Ab angelo salutata,
Sacro flatu fecundata,
Non carnis illecebris.

2 b. Carens labe Sunamitis,
Cum tam pia sis et mitis,
Fac, quae prodit ex te, vitis
Veri simus palmites.

3 b. Lacrimarum seda flumen,
Quod ocellis det acumen,
Ut videant verum lumen
A reis absconditum.

4 b. In te mens inveniat
Fructum, qui sic satiat,
Ut nunquam fastidiat
Illum habens habitum.

5 b. Natus praestat sine mora,
Te exaudit quavis hora,
Rore caeli cor irrora,
Nostri luctus vim minora,
Minoratum minima.

6 b. Ad quem, qualescunque simus,
Pervenire quo possimus,
Quam ianuam caeli scimus,
Huic clamemus quantum quimus:
Ave, caeli ianua.

Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 365. — 5 a, 5 optima von optimare nach Analogie von meliorare; ebenso 5 b, 5 minima von minimare. — 6 a, 2 caeli norma. — Akrostichon: Ave caeli ianua.

116. De beata Maria V.

1 a. Ave, mundi reparatrix,
Trinitatis inclinatrix
Herbido triclinio,

1 b. Veri patri decens nata.
Flamini sponsa optata,
Mater summo filio.

2 a. Dominatrix supernorum,
Placa regem creatorum,
Ut tuo suffragio

3 b. Eius apud trinitatem
Contemplemur unitatem
In perenni gaudio.

Cod. ms. Virunen. 172 saec. 15.

117. De beata Maria V.

1 a. Ave, nympha salutaris,
Summi patris natum paris,
Virgo pura, singularis,
Fons dulcoris, stella maris.

1 b. Ave, verae vitae datrix
Et a nece liberatrix,
Angelorum imperatrix
Ac caelorum dominatrix.

2 a. O Maria, mater facta,
Non a viro tamen tacta.
Virgo parens, sed intacta,
Miro modo mater facta.

2 b. Orbis gemma, orbis vita,
In corona regis sita,
Pietate expolita,
Caritate insignita.

3 a. Salve, virgo, parens Christi,
Nos a luctu serva tristi,
Des solamen choro isti,
Dulcis mater Iesu Christi.

3 b. Salve, salus infirmorum,
Medicina languidorum,
Verum lumen es caecorum
Et adiutrix peccatorum.

4 a. O virtutis disciplina,
Dos salutis, lux divina,
Nos exaudi, flos de spina,
Deprecamur voce trina.

4 b. O lux, nostras faeces cura,
Mater virgo non natura,
Nos a nece serva dura
Post ruinam, virgo pura.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414.

118. De beata Maria V.

1 a. Ave, parens singularis,
Decus caeli, terrae, maris,
Angelorum, hominum,

1 b. Digna digne commendaris,
Quae cunctorum expers maris
Peperisti Dominum.

2 a. Virgo casta praedicaris,
Stella maris appellaris
Et regina virginum,

2 b. Super choros elevaris
Angelorum in praeclaris,
Lucis luminarium.

3 a. Eia, mater o Maria,
Virgo clemens, virgo pia,
Christo nos concilia,

3 b. Ne nos satan in hac via
Mundi victos sophistria
Caeli privet gloria.

4 a. Mentis dulcis harmonia,
Memorare, felix, quia
Tu es plena gratia,

4 b. Iuva vera nos sophia,
Ut te dulci melodia
Laudemus in patria.

5 a. Ad te clamat peccatorum,
Feminarum, masculorum
Tota simul contio,

5 b. Orphanorum, adflictorum,
Clericorum, laicorum,
Te pulsat devotio.

6 a. Riga mentes singulorum
Rore sacro supernorum,
Ut de hoc exsilio

6 b. In conventu angelorum
Te sequamur et sanctorum
Pleno cum tripudio.

7 a. In praesentis fine vitae
Iesus et tu subvenite
Nobis in auxilium,

7 b. Ne contingat illud *Ite*
Nos audire nec *Redite*,
Quod damnabit impium.

8 a. Absit hoc horrendum *Ite*,
Iesu bone, dic: Venite
Ad perenne gaudium;

8 b. Quod dicetur his, qui mite
Vivunt et sunt absque lite
Praesens per exsilium.

Grad. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 502. — 3 a, 1 Eia, mater, eia, Maria. — Akrostichon: A v e M a r i a.

119. De beata Maria V.

1 a. Ave, porta gratiae,
Portus pudicitiae,
Sponsa salvatoris,

1 b. Aula sapientiae,
Thalamus clementiae,
Sedes redemptoris.

2 a. Fons signatus, es rigatus
Rore spiritali,
Fons sacratus, fons dotatus
Partu virginali.

2 b. Tu sigillum trinitatis,
Iacob scala rutilans,
Vexillum humilitatis,
Daemones emutilans.

3 a. Vestis Ioseph, quam ornavit
Deus sacro flamine,
Quam pro nobis madidavit
Christus suo sanguine.

3 b. O peccator in profundo
Vitiorum positus,
Hanc honora corde mundo,
Templum sancti spiritus.

4 a. O Maria, virga Iesse,
Quae reis nescis abesse
Petentibus veniam,

4 b. Fac nos peccatis deesse,
Ostende te matrem esse
Conferendo gratiam.

5. Virgo mater, o Maria,
Plausu bino te laudamus,
Ut ad caelos ascendamus
Per tua suffragia.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

120. De beata Maria V.

1. Ave, salus gentium,
Mater regis gloriae,

2 a. Tu thronus constantiae,
In te rex iustitiae
Munditiae

2 b. Conservavit ostium.
Tuorum fidelium
Omnium

3 a. Ad te mentes erige,
Vias supplicantium

3 b. Et gressus clamantium
Egentium dirige.

4 a. Mellis stilla,
Maris stella,
Rosa primula,

4 b. Tu mamilla
Stillas mella,
Iesse virgula.

5 a. Expers paris,
Virgo, paris
Patrem filia.

5 b. Ordo stupet,
Cuius supplet
Vicem gratia.

6 a. Mediatrix,
Vitae datrix,
Mundi domina,

6 b. Via vitae,
Mortis tritae
Tu victoria.

7 a. Per te detur,
Ut purgetur
Faecis scoria,

7 b. Qua purgati
Sint beati
Tua gratia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 6 a, 3 Lies: Mundi gloria. — 7 b, 2 Tua gratia. — 7 b, 3 Sint laude beati.

121. De beata Maria V.

1 a. Ave, salve, condimentum
Permutantis in pigmentum
Nostrae mortis situlam,

1 b. Haec sunt dona potestatis,
Non naturae, immo gratis
Verbi sumpsit copulam.

2 a. Regem regum parientis
Laudes promat concinentis
Chori iubilatio,

2 b. Patrem natae proferentis
Sit cum cantu purae mentis
Plena modulatio.

3 a. Laude tanta cum perpendis,
Caro carens carnis mendis
Verbi facta socia,

3 b. Sola Christi partu digna
Veneretur tam benigna
Virgo viri nescia.

4 a. Virgo manens sola matrum,
Ora patrem, iube natum
Servos matris visere,

4 b. Ut te duce, stella dicta,
Nos vagantes per delicta
Tuo trahat littore.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2 b, 2 naturans. — Das Lied scheint Sequenz zu sein.

122. De beata Maria V.

1 a. Ave, stella fulgida,
stella salutaris,
Stella, de qua prodiit
radius solaris,
Mentis pelle tenebras
nec nos patiaris
Absorberi fluctibus
procellosi maris.

1 b. Ave, mater gratiae,
gemmis redimita,
Mater, per quam pauperum
vox est exaudita,
Tuus nobis filius
in praesenti vita
Via sit et veritas
in futura vita.

2 a. Ave, Dei thalamus,
pudoris conclave,
Missus est archangelus
cui dicens „Ave“,
Te laudantes petimus,
erue nos a vae,
Quod induxit facinus
protoplasti grave.

2 b. Ave, naufragantibus
lucens stella maris,
Quae per mundi climata
Maria vocaris,
Esto tuis famulis
portus salutaris
Et lapsos in crimine
reduc sacris aris.

3. Ave, gemma virginum,
gratiae piscina,
Tibi grates solvimus,
aurem huc inclina
Et, quos hostis adgravat,
premit culpae spina,
Redde gratos et a fraude
muni serpentina.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — 1 b, 3 Mater fehlt. — 3, 9 eine Silbe zu viel; verdorben?

123. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo laude digna,
Ave, pia et benigna,
Ave, plena gratia,

1 b. Ave, mater pietatis,
Fax et gemma caritatis,
Virgo, Sion filia.

2 a. Porta caeli, maris stella,
Mundi salus, Dei cella,
Templum sancti spiritus,

2 b. Hortum tuum qui rigavit
Et rigando germinavit
Fructum vitae caelitus.

3 a. In te Deum humanari,
Nube carnis occultari
Firma docet litera,

3 b. Fecundata virga flore,
Stella sole, vellus rore,
Virgo Dei filio.

4 a. Unitur carni deitas,
Deum parit integritas
Conspirante flamine,

4 b. Divina sapientia
Sic patris providentia
Nascitur ex virgine.

5 a. Ramus florens et onustus,
Rubus ardens nec combustus
Matrem signat virginem,

5 b. Quae intacta concepisti,
Virgo manens peperisti
Deum atque hominem.

6 a. Ima summis foederavit
Stella Iacob, radix David,
Mediante gratia,

6 b. Per quam reis salus datur,
Homo lapsus sublimatur
In caelesti gloria.

7 a. Ergo, mundi spes, Maria,
Pro indignis, mater pia,
Interpella filium;

7 b. Amor patris, spirans flamen,
In hac valle sis solamen
Et perenne gaudium.

Lect. ms. Villariense saec. 13/14. Cod. Vindobonen. 1134. — 3 b, 3 Der Reim verlangt Dei filia.

124. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo, parens munda,
Maris expers et fecunda,
Nulli compar aut secunda
Partu castimoniae.

1 b. Vitiorum necnon munda
Et virtute nos fecunda,
Votis nostris sis secunda
Zelo matris, filiae.

2 a. Electorum nulli par es,
Nam, dum verbo sacro pares,
Cunctas tibi sexu pares
Supplantas concipiens.

2 b. Maris stella, cuius ortus
Mare sedat, florens hortus,
Unde florum flos est ortus,
Viris vitam pariens.

3 a. Ave morum fons insignis,
Fonte vitae nos insignis,
Quem sub typo, quem in signis
Signat legis litera.

3 b. Rubi signum, iubar soli,
Lux praecellens luce soli,
Digna sola Deo soli
Dare matris ubera.

4 a. Iesse virga, verbi sedes
Incarnati, natum sedes
Tuum nobis, cum quo sedes
In excelsis gloriae.

4 b. Ave, clemens, mitis, ave,
Tuum nobis illud Ave
Munitivum fiat a Vae,
Collativum gratiae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 1 Vale virgo. — Jedenfalls Sequenz, wohl auf die Mel. Verbum bonum mit Wiederholung des letzten Chorals. Akrostichon: Ave Maria.

125. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo virginum,
Regina angelorum,
Stirpis Iesse virgula,

1 b. Quae auctoris luminum,
Redemptoris hominum
Exstitisti gerula.

2 a. Quae illaeso hymine
Sine viri semine
Utero concepisti,

2 b. Absque quovis dolore,
Ineffabili more
In mundum protulisti

3 a. Et in annis teneris
Tui sacri uberis
Pastu reficiebas,

3 b. Continentem omnia
Strictissima fascia
In praesaepi cingebas.

4 a. Ulnis quem baiulabas,
In templum praesentabas
Cum legali hostia,

4 b. Hic in cruce levatus,
Pro nobis immolatus,
Caeli pandit ostia.

5 a. Iesu, fili Mariae,
Virginis castissimae,
Audi nos, te rogamus,

5 b. Dele nostra crimina,
Ut caelorum limina,
Ingredi valeamus.

Grad. ms. Pragense saec. 16. in. Cod. Pragen. VII A 13. Mel.: Veni sancte spiritus. Dies Graduale mufs zu Anfang des 16. Jahrhunderts geschrieben sein, da seine hinteren Partieen „christlich korrigiert" erscheinen. Manche Sequenzen finden sich zweimal, vorne echt, hinten purgiert, so dafs augenscheinlich, während das Gradual geschrieben ward, die durch diese Korrekturen gekennzeichneten Ideen in Schwung kamen.

126. De beata Maria V.

1 a. Ave, vitae reparatrix,
Reginarum imperatrix,
Sanctitatum sanctitas,

1 b. Dominarum dominatrix,
Peccatorum mediatrix,
Sanitatum sanitas.

2 a. Patrem paris,
parens et filia,
Tibi soli
constat haec gloria,
Gemma tu mortalium.

2 b. Ave, mundi
rosa mundissima,
Rosa fragrans,
rosa purissima,
Reis da remedium.

3 a. Evae culpam delevisti,
Solem stella genuisti,
Genitorem filia,

3 b. Mortem morte qui domando,
Lacum faecis emundando
Secum traxit omnia.

4 a. Moriendo mortem stravit,
Ad inferna pervolavit,
Vectes fregit ferreos,

4 b. Suis ibi se ostendens,
Ad se traxit manus tendens,
Derelinquens miseros.

5 a. Ave, per quam salus datur,
Ave, per quam solidatur
Nostra insoliditas,

5 b. Ave, per quam relaxatur,
Ave, per quam deleatur
Reatus enormitas.

6 a. Ave, mater
regis iustitiae,
Fons salutis,
origo veniae.

6 b. Caeli porta,
domus laetitiae,
Deviantes
reformans gratiae.

7 a. Te precamur, nos absolve
Absolutosque refove
Nos in caeli curia.

7 b. Ubi Christum collaudemus
Incessanter et cantemus
In excelsis Gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Ave, salve reparatrix. — 2a, 5 tu fehlt.

127. De beata Maria V.

1 a. Benedicta
es, insignis puella,
Quae iubar
immensum dans stella
Appellaris Maria.

1 b. Per te, mater
salvatoris serena,
Caelestis
gratiae perplena,
Destruuntur vitia.

2 a. Tu nati nata
Cunctis praelata,
Regina caelorum beata
Diceris per omnia.

2 b. Supremum solem,
Per tuam prolem
Prementis culpae delens molem
Conferas solacia.

3 a. O virga producens nucem,
Praetende, quam paris, lucem
Illis, quos redemit per crucem
Donans vitae praemia,

3 b. Post carnis nostrae ruinam
Ut per te caeli reginam
Et gratiam datam divinam
Ducat nos ad gaudia.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — 1 b, 4 gratia. — 3 a, 1 virgo.

128. De beata Maria V.

1. Benedicta
sit beata
genetrix
et nutrix
ingeniti [Dei],
genitoris filia.

2 a. Sacri flaminis
Cella libaminis,
Quam sacer artifex
aurea
Texit quadrans regula.

2 b. Urna aurea,
Porta vitrea,
Fiscella parvuli
scirpea,
Florens Iesse virgula.

3 a. Quam felix terra, quam ferax,
Cuius incola est verax
Mater vitae, quae
pertulit
Verum Dei filium.

3 b. O felix terra Maria,
O felix mater et pia,
Porta permanens
pervia,
Para vitae praemium.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — Melodie augenscheinlich: Benedicta sit beata trinitas (Anal. VII, 109), die drei ersten Choräle.

129. De beata Maria V.

1. Christe, prece matris,
qui sedes ad dexteram patris,

2 a. Salva nos et serva
in saeculum saeculi,

2 b. Ubi te sanctorum
contemplantur oculi.

3. Dele culpam,
conserva vitam,
perduc nos ad gloriam.

Grad. ms. Sangallense anni 1507. Codex Sangallen. (Brander) 546. — „Alia brevissima sequentia de BMV.“ Mit Melodie.

130. De beata Maria V.

1 a. Christi matrem collaudemus
Et in bonis abundemus
Terga dantes vitiis,

1 b. Ovans ovet omnis mundus,
Nam mundatur vir immundus
Eius beneficiis.

2 a. Haec suavis et benigna
Invenitur sola digna
Protulisse filium,

2 b. Qui peccata mundi tollit,
Altos premit et extollit
Cathedras humilium.

3 a. Haec est portus nostrae spei,
Nostra salus atque Dei
Genetrix ac filia,

3 b. Mundi lumen, stella maris,
Rosa rubens singularis,
Fragrans super lilia.

4 a. Architecto caeli nupta,
Virgo manens incorrupta
Mundo Christum protulit,

4 b. Hinc dolores, planctus, luctus
Abolevit atque fructus
Nobis vitae contulit.

5 a. O res munda mundum mundans,
Cum in promptu sit redundans
Sicca prius area,

5 b. Ut ros vellus madidavit,
Sic puellam gravidavit
Granum sine palea.

6 a. Ergo salve, sancta parens,
Bonis plena, malis carens
Et dolore vacua,

6 b. Inimici pelle fraudes,
Persolventes tibi laudes
Sordibus evacua.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Str. 1 geht folgende Str. vorher, die nicht zum Gedichte zu gehören scheint:

Vale, arca testamenti,
Novum sidus firmamenti,
Ceteris splendidius,
Tu es botrus dignus flore,
Vellus madens, plenum rore,
Lilio candidius.

131. De beata Maria V.

1 a. De Maria, matre pia,
Per quam solam vitae via
Datur ad caelestia,

1 b. Dulce melos depromamus,
Ut ipsius sentiamus
Optata suffragia.

2 a. Haec est vere pulchra tota,
Sine labe, sine nota,
Sola plena gratia,

2 b. Sola soli patri grata,
Est prae cunctis honorata
Casti partus gloria.

3 a. O miranda genitura!
Patrem virgo permansura
Patris parit filia;

3 b. Mater parit natum patris,
Pater gignit patrem matris
Miranda potentia.

4 a. Ave, virgo, mater Dei,
Ad te clamant omnes rei,
Placa patrem, filia.

4 b. Ave, virgo, spes salutis,
Confer opem |constitutis|
Nobis in miseria.

5 a. Tu pudica, casta, munda,
Impudicos nos emunda,
Lava, terge vitia

5 b. Et cum clero plebem totam
Tuam et tibi devotam
Duc ad vitae gaudia.

Grad. ms. Montis s. Mariae saec. 14. in. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 502.

132. De beate Maria V.

1 a. Diligenter recolatur
Mariae memoria,

1 b. Per quam mundo declaratur
Salus et laetitia.

2 a. Haec est domus, quam fundavit
Summa diligentia

2 b. Et in ea repausavit
Dei sapientia.

3 a. Haec est quidem urbs munita
Multa providentia,

3 b. Quam munivit infinita
Gratiarum copia.

4 a. Haec est magna Salomonis
Et mater et filia,

4 b. Haec contrivit Pharaonis
Caput et imperia.

5 a. Ergo dicat christianus:
Ave, plena gratia;

5 b. Nosque regat sua manus
Per mundi naufragia.

Miss. ms. Ebroicense saec. 13. Cod. Londinen. Add. 26655. add. saec. 15. A. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. B. — Missale Constantiense imp. Rotomagi 1499. C. — Missale Baiocense imp. 1501. D.

Str. 1 und 2 umgestellt B. — 2a, 1 Vale domus quam B. — 3a, 1 Vale quidem urbs B. — Str. 4a fehlt B. — 4b, 1 Contrivisti Pharaonis B. — 5a, 1 Virgo dicat A. — 5b, 1 tua manus B.

133. De beata Maria V.

1 a. Exaltemus et laudemus
Corde devotissimo

1 b. Matrem illam, quae mamillam
Praebuit altissimo.

2 a. Venter cuius mundi huius
Salvatorem genuit,

2 b. Regit polum, mare, solum,
Quem in ulnis tenuit.

3 a. Sacra parens, labe carens,
Salutis puerpera.

3 b. Stella maris, ab amaris
Casibus nos libera.

4 a. Mater Dei, per quam rei
Redeunt ad veniam,

4 b. Seda diram clemens iram
Ac refunde gratiam.

5 a. Hostes arce, servis parce,
Tibi famulantibus
Et felicem genetricem
Dei te sperantibus.

5 b. Sis adiutrix, Dei nutrix,
Christiani populi,
Cuius votis ad te totis
Diriguntur oculi.

6 a. Spes lapsorum, contritorum
Sola consolatio,

6 b. Quem adorat et honorat
Angelorum contio,

7 a. Natum ora et implora,
Ne plebs eius pereat,

7 b. Sed ductrice genetrice
Te ad vitam redeat.

Miss. ms. S. Iohannis Beverlacen. saec. 15. Cod. Londinen. Arund. 109. — 2 b, 2 Quem in cuius tenuit. — Mel. jedenfalls: O beata beatorum.

134. De beata Maria V.

1 a. Flore novo fit odorus,
Novo partu fulgens thorus
Virginis puerperae,

1 b. Novam matrem flos fecundat,
Sed pudoris flos redundat
Novo legis foedere.

2 a. Virgo parit et miratur,
Quod tam mira comitatur
Pudorem fecunditas,

2 b. Caelum stupet et laetatur,
Quod sic nostrae reparatur
Unionis dignitas.

3 a. Dignam huius, dignam floris
Sensit Adam vim odoris
Positus exsilio,

3 b. Cum per crucis hic soporem
Pomi gustum et saporem
Mundat stillicidio,

4 a. Hoc de flore quod manavit,
Cuius gustus gustum lavit
Deglutitum temere.

4 b. Felix floris haec punctura,
Qua caeli, terrae iunctura
Fit per crucem propere.

5 a. Virga sicca istum dedit,
Quae florere nunquam cedit,
Dum floret in filio,

5 b. Ager plenus, quo virescit
Et in sanctis enitescit
Rosa, spica, lilio.

6 a. Hac erumpens virga granum
Caeli panem orbi sanum
Dat sumendum hodie,

6 b. Ut sic grano couniti
Vita simus et muniti
Iuste, pie, sobrie.

Cod. Vatican. 3087. saec. 13. — 6 b, 2 sumus.

135. De beata Maria V.

1 a. Gaude, gloriosa
Mundi vernans rosa,
Reformatrix omnium,

1 b. Regum progenies,
Pauperum tu quies,
Tu salus credentium.

2 a. Ave, virgo deifera,
Ornans terram et aethera,
O felix puerpera,

2 b. Decor agri purpureus,
Mentis sapor aethereus,
Sis nobis propitia.

3 a. Stella mirabilis,
Conforta flebiles,
Mater amabilis,
Sustenta debiles
Nos, virgo Maria.

3 b. Esto propitia
Et, sicut credimus,
In domum Domini
Laetantes ibimus
Te stella praevia.

4 a. Gaude, mundi dominatrix,
Reginarum imperatrix,
Peccatorum liberatrix,
Gaude, virgo, mater pia.

4 b. Virgo virginum, Maria,
Gaude semper, gaude, quia
Tu es vera lucis via
Tendens ad vera gaudia.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. A. — Miss. ms. S. Iohannis Beverlacen. saec. 15. Cod. Londinen. Arund. 109. B. — Missale Lausannense imp. Gebennis 1522. C. — 1b, 1 Tu regum ABC. — 1b, 2 Pauperumque AC. — 2a, 1 dei fixa C. — 2b, 2 Sapor mentis C. — 4a und b falsch abgetheilt A. — 4b, 1 virginum regina B.

136. De beata Maria V.

1 a. Gaude, Iesu mater pia,
Mundi lumen, o Maria,
Salutis triclinium;

1 b. Ave, decus virginale,
De qua Christus singulare
Vitae prodit lilium.

2 a. Tu signatum et sacratum
Vas, politum et conditum
Condimento gratiae,

2 b. Tu superni Salomonis
Thronus, vellus Gedeonis
Es roratum numine.

3 a. Nescit mundus tibi parem,
Nam per palmam singularem
Dei es hospitium;

3 b. Rosa novum promis florem,
Qui refovet per odorem
Sunamitis filium.

4 a. Tu in caeli curia
Habes privilegia,
Angelorum domina,
Cunctis praestans coetibus.

4 b. Luna praeest omnibus
In caelo sideribus,
Sic tu praees omnibus
Sub caelo degentibus.

5 a. Gaude, virgo lactans prolem,
Stella summum fovens solem,
Angelorum domina;

5 b. Gaude, Iesse germen iustum,
Fructum terrae dans venustum
Per arcana semina.

6 a. Nato, mater, nos commenda,
Ut exutos omni menda
Nos locet in gloria,

6 b. Teque [nobis], Christe, dona
Mente, voce, manu bona
Ad vitae fastigia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4a, 4 Cunctans.

137. De beata Maria V.

1 a. Gaude, plebs catholica,
Laudes dans et cantica
Matri regis gloriae,

1 b. Vere digna laudibus,
Per quam fluxit gentibus
Oleum laetitiae.

2 a. Primae matris vitium
Traxit in exsilium
Nos et in miseriam,

2 b. Sed nos ab exsilio
Virgo felix filio
Reduxit in patriam.

3 a. Pater misit nuntium
Et concepit filium
Virgo viri nescia.

3 b. Mater in visceribus
Novem tulit mensibus
Regem, qui fert omnia.

4 a. Mundo Christum edidit
Nec pudorem perdidit
Virgo, decus virginum,

4 b. Stella solem genuit,
Nata patrem protulit
Et ancilla dominum.

5 a. Virgo, salus hominum,
Per te nobis criminum
Largiatur venia,

5 b. Per te dentur gentibus
Tibi servientibus
Sempiterna gaudia.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. A. — Orat. ms. Domus Novae lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375. B. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

138. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, Sion mater, gaude,
Corde, voce, manu plaude,
In reginae caeli laude
Attollens praeconium.

1 b. Die ista domus Dei
Pari voce psallat ei,
Per quem flentes, per quem rei
Nacti sunt remedium.

2 a. Prima parens paradisum
Clausit, nobis trusit visum,
Facti sumus in derisum
In conspectu hostium.

2 b. Miser Adam, primus homo,
Est expulsus Dei domo,
Subit poenam, perdit pomo
Patriam vitalium.

3 a. Per hunc fructum Evae fructus
Ex natura fit corruptus,
Unde dolor, unde luctus
Finibus terrestrium.

3 b. Hoc de fructu condolentes
Obstupescunt nostri dentes,
Paradiso pulsi flentes
Subimus exsilium.

4 a. Nobis diu exsulatis
Dolet pater pietatis
Et misertus desolatis
Suum misit filium.

4 b. Inclinavit maiestatem
Nostram ad utilitatem,
In ancillae castitatem
Assumens hospitium.

5 a. Hospitata Dei prole
Stella maris mixta sole,
Gravidatur sine mole
Virginale gremium,

5 b. Quo procedit specialis
Fructusque medicinalis,
Aufert morbos, confert malis,
Perimit daemonium.

6 a. Sit hic fructus benedictus,
Cedit hostis, ruit victus,
Homo lapsus stat ascriptus
In libro viventium.

6 b. Benedicta radix Iesse,
Nos vitali replens messe,
Quae dat suos salvos esse
Suum per obsequium.

7 a. Virgo mater, o Maria,
Virgo clemens, virgo pia,
Per quam patet nobis via
Ad caeli palatium.

7 b. Pietatem imploramus,
Proclamantes te rogamus,
Confer nobis, quod optamus,
Filium propitium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. A. — Miss. Upsalense imp. s. l. et a. (Holmiae 1483?) B. — 1 b, 3 quem flentes per quem B. — 2 a, 3 simus B. — 5 a, 1 Hospita A. — 5 a, 2 mixto B. — 5 b, 2 Fructus aegris medicalis B. — 5 b, 3 morbos liberat a malis A; confert absolut = ist zuträglich?

139. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, sponsa speciosa,
Arca Iesu generosa,
Candens plus quam recens rosa,
Rutilans prae omnibus.

1 b. Manna caeli digne dicta,
Hostis victrix tu invicta,
Cedrus es et benedicta,
Redolens prae floribus.

2 a. Palma, tus, gemma probata,
Vitis, vinea vocata,
Terra caelitus rorata,
Supernorum domina.

2 b. Porta caeli atque scala,
Removens a nobis mala,
Tua loca nos sub ala
Penes poli agmina.

3 a. O caelestis margarita,
In sublimi throno sita,
Nostris fulge cordibus,

3 a. Ut fulgore tuo tracti
Iuncti simus et compacti
Paradisi civibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3 b 2 Iuncti et compacti simus. — Jedenfalls Sequenz.

140. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, stella parens solis,
Gaude, virgo fructu prolis
Fecundata caelitus,

1 b. Rosa vernans, stirps electa,
Deum ferens et humecta
Rore sancti spiritus.

2 a. Notus Deus in Iudaea,
Homo natus est in ea
Spes communis omnium,

2 b. Vervex ille nobis datur,
Qui pro Isaac mactatur
Dulce sacrificium.

3 a. Sine succo, sine rore
Viret virga, dans cum flore
Novae fructum gratiae,

3 b. Dulcem nucem, veram lucem
Pium regem, rectum ducem
Ad quietem patriae.

4 a. Fracta fuit legis vena,
Iam aperta, iam serena
Signa fiunt vetera,

4 b. Noctem fugat lux amoena,
Per lucernam in lagena
Ionae marcet hedera.

5 a. Iam aufertur sceptrum Iuda,
Synagoga iacet nuda
Scisso legis tegmine.

5 b. Tange liram, sona laudes
Tu, qui Christum natum gaudes
Ex Maria virgine.

6 a. Umbra sumus, faex et fimus,
Pressi malis iam perimus,
O Maria, nisi simus
Tuis tuti precibus.

6 b. Mater vera regis veri,
Potes, si vis, nos tueri,
Praesta nobis promereri
Locum in caelestibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 b, 2 ferax. — 6 a, 1 et fumus. — Offenbar Sequenz.

141. De beata Maria V.

1 a. Gaudete et
plaudite manibus,
Deus enim
datur hominibus;
Natum, matrem
pulsate precibus,
Ut nos solvat
a mundi nexibus.

1 b. Per hanc matrem
venit laetitia,
Qua deletur
Evae tristitia,
Osculatur
pacem iustitia,
Terra dedit
promissa gaudia.

2 a. Nutu patris vis amoris
Hortum matris inflammavit;

2 b. Vellus rorem, luna solem,
Virga florem germinavit.

3 a. Fons signatus, porta clausa
Patent sine viri causa,
Haud miratur hoc natura,

3 b. Talis namque genitura
Decet Deum, paritura
Creatorem creatura.

4 a. Hic in sole collocavit
Suum tabernaculum,
Ambulantem visitavit
Lux in nocte populum.

4 b. Consolati visa luce
Cognoverunt Dominum,
Quem venturum exspectabant
Redemptorem hominum.

5 a. Virgo munda, virgo pia,
Templum Dei, caeli via,
Dona nobis caritatem
Et cum sanctis unitatem.

5 b. Deme nisum, praesta visum,
Redde nobis paradisum,
Ubi finis est laborum,
Plenitudo gaudiorum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3 a, 3 Aut miratur. — 5 b, 4 Et plenitudo.

142. De beata Maria V.

1. Gaude, virgo dulcissima,
Dei filii parens sanctissima,
Semper manens pudica.

2 a. Haec enim gloria
soli Mariae
est congrua,

2 b. Ut virgo permanens
Dei mater sit
et filia.

3 a. O laudanda fecunditas,
Quam sic amat virginitas,
Ut in te, mater et virgo,
Se osculentur mutuo
In osculo perpetuo.

3 b. Ab angelo salutata
Concepisti natum nata,
Ventris portasti thalamo,
Lactis potasti balsamo
Eius fruens eloquio.

4 a. Gaude, quae unicum
Tuum praedulcem filium
Frequentasti amplexibus
Amorem redolentibus.

4 b. Gaude, quae puero
In virginali gremio
Dulcem infigens oculum
Suave dedisti osculum.

5 a. Gaude, felici gaudio
Eodem gaudens filio,
Quem Deus, auctor omnium
Gaudet habere filium;
O dulce consortium!

5 b. Gaude, gaude plus quam multum,
Quae dilecti vides vultum
In singulari gloria
Perennique concordia
In caelesti patria.

6 a. Gaude, virgo amabilis,
Tota desiderabilis,
Rosa rosarum omnium
Et liliorum lilium
Vitisque odorifera
Dei plantata dextera,
Finis amaritudinis,
Principium dulcedinis,

6 b. Te angeli glorificant,
Te omnes sancti praedicant,
Te humiles, te virgines,
Te laudant omnes homines,
Te benedicunt aethera,
Te sol, luna et sidera,
Te aer, tellus, maria,
Te ignis, nix, ros, pluvia.

7 a. In omnem terram Mariae
virtus exivit,

7 b. Et in fines orbis terrae
laus emicuit.

8 a. Haec speciosa regio
Fulget in caeli solio
Veluti sol in nubilo,

8 b. Per quam lux mundo claruit,
Umbra mortis evanuit,
Diesque laeta prodiit.

9 a. Suavis et delicata
Virgo, Deo grata,
Sis nobis lux praevia
Ad gaudia,

9 b. Ut veri solis specie
Fruamur in die
Videndo lumen semper
In lumine.

10 a. Per te panis caeli
Vero Israeli
Datur; nos huius panis
Pinguedine
Reple, fons gratiae.

10 b. Tu es virga vivam
Nucem parturiens,
Urna decens aurea,
Verum manna
In te suscipiens.

11 a. Virgo mitis,
Iesum pro nobis ora,
Ut patientiae
Fructus ferre
Possimus regi gloriae.

11 b. Iesu dulcis,
Visita corda nostra,
Ut caritas ardens
Et iugiter
Lucens in nobis fulgeat.

12 a. Pacis prospera,
Unitatis foedera,
Spiritus modestiam,
Puram conscientiam,
Veram sapientiam
Atque fidei constantiam,

12 b. Da spei gaudia,
Honestatis opera,
Amoris suspiria
Sanctitatis munera,
Ut in te unum simus,
Sicut cum patre tu es unus.

13. Miserere
Nobis, fili Mariae,
Rex aeterne.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319 Cod. Wratislavien. I F 385. A. — Miss. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1407. Cod. Wratislavien. I F 341. B. — 5 b, 4 que fehlt AB. — 6 a, 1 Gaude, amabilis virgo AB. — 6 a, 2 Totaque AB. — 6 b, 3 Te humiles virgines B. — 6 b, 4 Te fehlt B. — 8 a, 1 speciosa virgo AB. — 10 b, 1 caeli fehlt B. — 12 a, 5 Sapientiam veram AB. — Die Str. 4—6 fast wörtliche Entlehnungen.

143. De beata Maria V.

1. Laudes Christo decantemus,
Matris eius qui gaudemus
Speciali gloria.

2 a. Dulce melos tangat caelos,
Nam benignam, dulci dignam
Canimus melodia.

2 b. Voci vita conformetur,
Ut sincere celebretur
Mariae memoria.

3 a. Salvatoris matrem laudent,
Qui per eam sibi gaudent
Vitae dari munera

3 b. Dicant omnes et dicant singuli:
Ave, salus totius populi,
Virgo et puerpera.

4 a. O quam felix, quam praeclara
Mater virgo, Deo cara,
Sacro plena flamine,

4 b. Agno sine macula
Lactis dedit pocula
Sub carnis velamine.

5 a. Haec est scala peccatorum,
Per quam Christus, rex caelorum,
Descendit ad infima,

5 b. Forma cuius singularis,
Per quam roris salutaris
Dona dantur intima.

6 a. Non sunt nova sacramenta
Nec de novo lex inventa,
Quae Mariam praedicat,

6 b. Aquas olim petra iecit,
Aquas Christus vinum fecit,
Dum Maria supplicat.

7 a. In scripturis sub figuris
Ista latent, sed iam patent,
Quod sit plena gratia.

7 b. Hostes cedunt, reges credunt,
Signa signis dum succedunt
Pro Mariae gloria.

8 a. Ista suos fortiores
Semper facit et victores.
Morbos sanat et languores,
Reprimit daemonia.

8 b. Dat captivis ubertatem
Vitae confert sanitatem
Ad antiquam dignitatem
Haec reduxit omnia.

9 a. Mundo signum triumphale,
Virgo mater, semper vale,
Quod in nobis est letale,
Serva tuo germine.

9 b. Medicina christiana,
Salva sanos, aegros sana,
Quod non valet vis humana,
Fit in tuo nomine.

10a. Assistentes matris laudi,
Iesu pie, nos exaudi
Atque servos tuae matris
Post hanc vitam Dei patris
Transfer ad palatia

10b. Et, quos matri vis servire,
Fac amara non sentire,
Sed, cum erit dies irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagen. 279. A. — Miss. ms. saec. 15. Cod. Insulen. 25. B. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. C. — Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 117. D. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F 343. E. — Missale Trecense imp. Parisiis 1497. F.

Vor 1, 1 setzt C ungehöriger Weise die Verse: Gaude felix et praeclara, Virgo mater Deo cara, Sacro plena flamine. — 2a, 2 pulsat caelos E. — 2a, 3 Credimus melodia E. — 3a, 1 Servi nati matrem DF. — 5a, 2 Qui per matrem sibi DF. — Strophe 4a fehlt C. — 4a, 2 Est Maria Christo cara DF. — 4a, 3 Plena sancto spiritu DF. — Str. 4b steht vor 1 in C; lautet in DF:

Parit plena numine
Mundantem a crimine
Sine viri coitu.

Str. 5a und b lauten abweichend in A:

Haec est sola peccatorum
Spes, quam Christus rex caelorum,
Amat super omnia.

Fama cuius hoc ostendit,
Quae terrarum comprehendit
Quattuor confinia.

5a, 3 infera E. — 5b, 3 dantur plurima C; Dominantur intima E. — Str. 6a—8b fehlen BCDEF; Ordnung der Str. in A ist diese: 7a, 8a, 8b, 6a, 6b, 7b. — 8a, 3 Deprimit E. — 9a lautet in BCDEF:

Virgo, signum triumphale,
Mundi vera salus, vale
Inter signa [ligna E] nullum tale
Fronde, flore, germine.

9b, 2 Serva sanos A. — 10b, 1 Ut quos E. — 10b, 2 Fac tormenta CDF. — Die Sequenz folgt unter Auslassung von 3 Strophen dem Schema des *Laudes crucis attollamus*, dem es sich travestieartig anschmiegt. Dieselbe steht unvollständig bei Weale II, 337; Milchsack I, 213 hat aus derselben drei Nummern gemacht mit den Anfängen: Laudes Christo decantemus (1, 1), Salvatoris matrem laudent (3a, 1) und O quam felix et praeclara (4a, 1). — In der Prager Hs. VII A 13, einem Graduale des 16. Jahrh., findet sich diese Sequenz folgendermafsen bearbeitet:

1. Laudes Christo decantemus,
Virginis prolem laudemus
Speciali gloria.

2a. Dulce melos pulset caelos,
Prolem divam dulci dignam
Credimus melodia;

2b. Voci vita conformetur,
Ut sincere celebretur
Haec praesens memoria.

3a. Salvatorem suum laudent,
Qui per ipsum sibi gaudent
Vitae dari munera,

3b. Dicant omnes et dicant singuli:
Ave, salus totius populi,
Proles salutifera.

4a. En, quam felix, quam praeclara
Mater Christi, Deo cara,
Sacro plena flamine,

4b. Agno sine macula
Quae praebebat pocula
Sub carnis velamine.

5a. Christe, salus peccatorum,
Qui de excelso caelorum
Venisti ad infima,

5b. Dum sis splendor verae lucis,
Tormenta subire crucis
Dignatus es maxima.

6a. Ipse tuos fortiores
Servos fac atque victores
Aegros sanans ac languores
Pellens et daemonia.

6b. Da captivis libertatem,
Vitae confer novitatem,
Ad antiquam dignitatem
Sanans reduc omnia.

7a. Partus virginis Mariae
Virga signum speciale,
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine.

7b. Iesu, salus christiana,
Salva sanos, aegros, sana;
Quod non valet vis humana,
Fit in tuo nomine.

8a. Assistentes tuae laudi,
Iesu pie, nos exaudi
Atque servos Dei patris
Post hanc vitam cum beatis
Transfer ad palatia.

8b. Et, quos tibi vis servire,
Fac tormenta non sentire
Sed, cum dies erit irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

144. De beata Maria V.

1a. Mater, ave,
Plena deliciis,
Quae nos a vae
Purgans ac vitiis
Obviasti.

1b. Rosa rubens,
Laesos laetificans,
Nulli nubens,
Mundum mirificans
Tu salvasti.

2a. Odor florum,
Lima nequitiae,
Via morum,
Limes iustitiae
Salutaris.

2b. Vas honoris,
Stella clementiae,
Dulcor oris,
Neuma laetitiae
Singularis.

3a. Verbum audis
Emissum caelitus,
In te claudis,
Quod patres primitus
Praedixerunt.

3b. Vivax apis,
Virtutum floribus
Vivas dapes
Ministras cordibus,
Quae te quaerunt.

4a. Venti fremunt,
Iam velum scinditur,
Fluctus premunt,
Rates relinquitur,
Assis, pia.

4b. Pelle fraudes,
Virgo, te petimus,
Sume laudes,
Quas tibi psallimus,
O Maria.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Lodinen. Add. 11 414. 1a, 1 Ave mater, gegen den sonst beobachteten Reim. — 3b, 1 apes. — 3b, 5 Qui.

145. De beata Maria V.

1a. Mater sancta sanctae spei,
Sedes regis, templum Dei,
Sabaoth palatium,

1b. Tibi virtus obumbratur,
In te verbum humanatur,
Gratiae principium.

2a. Deus dixit, et illuxit,
Fiat lumen, quod indulsit
Miseris in tenebris;

2b. Inde dies es diei,
Dispar noctis speciei,
Splendor mundo celebris.

3a. Tuus flore, germine
trinitati gratus,
Paradisi quattuor
rivis irrigatus,
Est de sancto spiritu
venter impraegnatus.

3b. Paradiso insitum
tu es lignum vitae,
Tu mortem praecipitas
mortis pulsa lite,
Generosum generas
palmitem de vite.

4a. Rubus flammis illibatus,
Virga, serpens, vir turbatus,
Calcei corrigia,

4b. Ignis ardens nec consumens,
Tuus venter verbo tumens,
Tua sunt mysteria.

5a. Virga, cuius de radice
Flos ascendit, plena nuce,
Oleo laetitiae,

5b. Nardus, stacten, murra, mirtus
Est pudoris tui virtus,
Tuae sinus gratiae.

6a. Manna verme non mutatur,
Sicca vellus irroratur
Gedeonis area,

6b. Flore partum comitante
Florem narrat post et ante
Castitas virginea.

7a. Tu triumphus in Elon,
ubi sol moratur,
Tu es, quo Leviathan
hamus inescatur,
Asini mandibula,
qua fons irrogatur.

7b. Tu fons aquae vividus,
ubi lex rixatur,
Quo credens et sitiens
dulce recreatur,
A promissis perfidus
procul elongatur.

8a. Urna Aaron, Iacob stella,
Penus panis, vini cella,
Domus pigmentaria,

8b. Sanctum claudis, lumen fundis,
Iustos cibas, nectar mundis
Mira das fragrantia.

9a. O quam simplex absque nota,
Quam fidelis et devota,
O quam plena gratia!

9b. Salutatur, expavescit,
Fecundatur, acquiescit,
Fit mater de filia.

10a. Peccatorum spes beata,
O vas balsamiticum,
Turris David clippeata,
Sceptrum Salomonicum,
Mensa regis adornata
Cibum ferens mysticum.

10b. Arca Noe metuenti
Procellas diluvii,
Canopea fugienti
Lutumque servitii,
Esto de te praesumenti
Asylum refugii.

11a. Alma parens, virgo pia,
Esto nobis vitae via,
Porta, portus, o Maria,

11b. Ut cantemus ante thronum
Agni dantis omne bonum
Sempiternum Alleluia.

Grad. ms. Sedunense saec. 13. Cod. Valerian. s. n. A. — Lect. ms. Fredeslariense saec. 13. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 142. add. anni 1299. B. — Sequent. ms. Sedunense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Valerian. s. n. C. — Sequent. ms. Sedunense saec. 14 et 15. Cod. Valerian. s. n. D.

3b, 5 generans ACD. — 5a, 1 über radice *spice* (!) B. — 5a, 2 plena mice (!) B. — 6a, 3 aera ABCD. — 6b, 1 Flore Deum comitante B. — 6b, 2 narrant B. — 11a, 1 pia fehlt B. — „Sequentia de beata virgine in sabbato servanda.“ B.

146. De beata Maria V.

1 a. Nato psallat virginis,
De qua salus hominis
Orta est et gloria,

2 a. Matri Iesu singuli
Iubilemus cernui,
Nam solatur omnia.

3 a. Aegris opem tristibus
Daque culpas flentibus
Compromissa gaudia,
Tu forma egregia,
Mater es et filia
. . . . .

4 a. Benedic benedicentes
Te, ut sint praeeligentes
Iesum super omnia;

5 a. Virgo pia, o Maria,
Stella maris appellaris
Operum per merita,

6 a. Reis facta mediatrix,
Criminum es tu fugatrix,
Laetitiae primordia
Per te cepit ecclesia.

7 a. Benedicta vitae vena,
Audi vota laude plena,
Apud Christum chorum istum
Clementer concilia,

1 b. Artes hostis cupidus
Debellare saepius
Cum summa victoria.

2 b. Rosa tu praefulgida,
Salve, gemma candida,
Meritis eximia.

3 b. Regum stirpe genita,
Nos benigne visita,
O beata femina,
Angelorum domina,
Per quam cuncta crimina
Lavit Christi gratia.

4 b. Sana, mater salvatoris,
Hydria caelestis roris,
Quod mens timet conscia.

5 b. Turris, hortus, vitis, portus,
Ignis fulgens et tus ardens,
Nos torquentes excita.

6 b. Euge, fluens fons aquarum,
Aquaeductus gratiarum,
Plena misericordia,
Mundum reples laetitia.

7 b. Flumen summae pietatis,
Servos suos atque tuos,
Cunctis data venia
Amen dicant omnia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1a, 3 et fehlt. — 4a, 1 te benedicentes. — 7b nicht symmetrisch zu 7a.

147. De beata Maria V.

1 a. O beata fecundata
Mater viri nescia,

2 a. Dignam dignis stipent hymnis
Et extollant laudibus,

3 a. Fide, voto, corde toto
Veneremur pariter

4 a. Fatigati, castigati,
Sustinentes plurima,

5 a. Ut hic torti nec distorti
Carnis flentes vitia
Mereamur angelorum
Optata consortia.

1 b. O devote salutata
Virgo plena gratia.

2 b. Qui salvari ac iuvari
Volunt eius precibus.

3 b. Hanc felicem genetricem
Domini sollemniter,

4 b. Infirmati, perturbati
Temptationum genera,

5 b. Per contemptum quoque mundi
Consequamur dulcia,
Ut electi et dilecti
Beatorum praemia.

6 a. Eia, mater praeelecta,
Regnans in caelestibus
6 b. Apud Christum vota nostra
Promovere precibus,
7 a. Ut post huius finem vitae
Laeti pro victoria
7 b. In perenni mereamur
Te laudare gloria.

Grad. ms. Montis s. Mariae saec. 14. in. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 502. — Melodie: O beata beatorum.

148. De beata Maria V.

1 a. O, caelestis hierarchia
Quam suavi melodia
Veneratur virginem!
1 b. Digne dignam te Mariam,
Vere dulcem, vere piam,
Nullam scimus similem.
2 a. In Aegypto quondam sita,
Miro flore redimita,
Nardus tua flagravit;
2 b. Rex e caeli palatio
Te sciens sine vitio
Laete te adoptavit.
3 a. Mens devota paruit,
Gabriel dum claruit
Arce de regali,
3 b. Sol sub nube latuit,
Iesus quando iacuit
Ventre virginali.
4 a. Parit mater virgo prolem,
Nova stella novum solem,
Lac propinans filio;
4 b. Auri decor, amethystus
Ens in sinu matris Christus,
Rosa iuncta lilio.
5 a. Canit coetus angelorum,
Vadit stella dux magorum
Ad domus notitiam;
5 b. Templo seni prosternatur,
In Iordane baptizatur
Dans maestis laetitiam.
6 a. Aqua vini dat saporem,
Sputa, clavi, fel dolorem
Flenti flente filio;
6 b. Flos reflorens astra scandit.
Rex reginae castra pandit,
Caeli iuncta solio.
7 a. Personemus nunc Mariae
Laudes omnes eximiae
Voce laeta,
7 b. Ut abstergat convicia
Et aspergat nos gratia
Rore plena.
8 a. Parce reis, mater regis,
Habe curam huius gregis,
Angelorum domina;
8 b. Nos emenda et commenda
Tuo nato ex te nato
Supernorum gloria.

Sequent. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1340. — Melodie: In caelesti hierarchia.

149. De beata Maria V.

1 a. O Maria, virgo dia,
Trinitatis scrinium
1 b. O benigna, laude digna,
Castitatis lilium.
2 a. Stella maris appellaris,
Portus naufragantium,
2 b. Legis glosa, vernans rosa,
Sinus paenitentium.

3 a. Spes sanctorum, dux caecorum.
Claudorum vehiculus,

3 b. Odor floris, flos pudoris.
Sitientum rivulus.

4 a. Vas virtutum, cor imbutum,
Nobis laudem tribuas,

4 b. Vox raucorum, tu nostrorum
Raucitatem deleas,

5 a. Ut clangore et amore
Oris et mentaliter
Te laudare et amare
Possimus perenniter.

5 b. Noster chorus te sonorus
Spes collaudat unica,
Nam te pia laus, Maria,
Voce decet publica.

6 a. Virgo Iesse, nostram esse
Te fautricem petimus,

6 b. Ora patrem, nam te matrem
Nobis addit optimus.

7 a. Hora mortis da, ut fortis
Sit cordis contritio,

7 b. Ne damnemur, sed laetemur
In caeli palatio.

Grad. ms. Montis s. Martini anni. 1426 Cod. Capit. Scepusien. s. n. — Mel: O beata beatorum.

150. De beata Maria V.

1 a. Plebs fidelis iucundetur
Et Mariam veneretur,
Cuius digne celebretur
Celebris memoria.

1 b. Matrem Christi collaudemus,
Laudem dantes exsultemus,
Iubilantes imploremus
Eius patrocinia.

2 a. Mors per Evam subintravit,
Sed Maria mortem stravit
Et deletam reparavit
Salutem fidelibus.

2 b. Sui ventris dulcis fructus
Maris huius sedat luctus,
Abest dolor, abest luctus
Hoc fructu gustantibus.

3 a. Radix Iesse germinavit,
Virgo Deum generavit,
Non vir eam defloravit,
Cum prolem protulerit.

3 b. Fecundata sacro rore
Genetrix fit novo more,
Sine luctu et labore
Nata patrem peperit.

4 a. Vitrum sole penetratur
Et illaesum observatur,
Sic nec virgo violatur
Genetrix ex filio.

4 b. Obstupescit vas naturae
De confracto suo iure,
Factor omnis creaturae
Matris iacet gremio.

5 a. Arens virga profert florem,
Stella novum gignit solem,
Virgo mater parit prolem
Plena Dei gratia.

5 b. Haec est illa Dei cella,
Quae nos servet a procella,
Haec est clara Iacob stella,
Sed eclipsis nescia.

6 a. Virgo mater primae matris
Culpam lavit, nos ab atris
Claustris per hanc summi patris
Exemit clementia.

6 b. Terra caelo foederatur,
Vetus Adam detestatur,
Qui per novum sublimatur
In caelesti patria,

7 a. Casta mater salvatoris,
Spes reorum, vas pudoris,
Interesse caeli choris
Fac nos prece sedula.

7 b. Mundi salus, vitae via,
Nostri memor sis, Maria,
Nos ad caeli, mater pia,
Perduc habitacula.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11. 414.

151. De beata Maria V.

1 a. Post partum,
in partu et ante
mater viri nescia,

1 b. Electa,
dilecta dilecto,
ave, plena gratia.

2 a. Ave, decus orbis terrae,
Cui salutem mundi ferre
Mundi factor contulit,

2 b. Virga florens, sed non arens,
Virgo prolem vera parens
Quando mire protulit.

3 a. Flos convallis es, Maria,
Flos in spinis sine spina,
Terra carens vomere.

3 b. Tu flos caste candidatus,
Flos et fructus de te natus
Crucis rubens sanguine.

4 a. Flos spineto cruentatus,
Quando spinis coronatus
Mundum lavit crimine,

4 b. Ubi virgo virginali,
Casta casto, par aequali
Donaris custodiae.

5 a. Stabat, inquit, iuxta crucem
Mater Iesu dolens trucem
Mortem pati vitae ducem,
Stabat et discipulus.

5 b. Stabat ille, qui electus
Verae vitis palmes rectus
Quique magis est dilectus
Ac familiarius.

6 a. Mater, inquit, ecce, natus,
Natus tibi pro me datus,
Tui custos caelibatus,
Zela caelebs caelibem.

6 b. Mox ad illum: ecce, tua,
Tua mater, hanc procura,
Venerare fide pura
Servans virgo virginem.

7 a. Sancta virgo, felix mater,
Sancte fili, nobis pater,
Vestrae partem nos tutelae,
Vestrae sortem clientelae
Velitis efficere,

7 b. Vitae porta, nos conforta,
Stella maris, nos amaris
Mundi curis, heu, quam duris,
Umbra mortis, novae sortis
Virgo clemens, exime.

8 a. Nemo frustra te precatur,
Qui pro suis anxiatur
Meritis, Maria.

8 b. Tu peccato clausus hortus,
Sed peccanti patens portus,
Lapsis dux et via.

9 a. Virgo mater, nati nata,
Nobis assis exorata,
Ut, qui per nos nil habemus,
Unde iuste postulemus
Sempiterna gaudia,

9 b. Licet valde peccatores,
Tui tamen laudatores
Liberati cruciatu
Per te simus de reatu
Saltem digni venia.

10 a. Non nobis, domina,
non nobis, sed nomini tuo
da gloriam,
ut in nobis tua dona
munerentur,
tuque de nobis, qui Sanir
et Hermon, coroneris.

10 b. Electa ut sol,
sole clarior et unice
dilecta.
da nobis scire te, scire
nos, dilectum
ex dilecto amborumque
sanctam dilectionem.

11. Nos et nostra pia
defende maris stella.

Cod. Civit. Turicen. C 58. saec. 12. ex. A. — Miss. ms. Voraviense saec. 14. Cod Voravien. 332 (100. B. — Sequent. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14667. C. — 1a, 2 ante partum C. — 2a, 2 Qui salutem A. — 2b, 1 Virgo B. — 4a, 3 lavat B. — 4b, 1 Qua tu virgo B. — Str. 5 ff. fehlen C. — 6a. 1 Pater, falsche Initiale B. — 6a, 4 Cela A. — 6b, 1 Vox ad illum B. — 7a, 1 Sacra B. — 8b, 2 Quin B. — 8b, 2 peccati B. — 8b. 3 Lapsus A. — 9a, 4 Unum iuste A. — 9b, 4 sumus ABC. — 10a 1 und 3 eine Silbe Überschufs. — 10a, 4 bona B. — 11, 1 sq. fehlen A. — Vgl. Rom. Forsch. IV, 496 sq.

152. De beata Maria V.

1 a. Regali stirpe procreata,
Maria, virgo consecrata,
Christi mater,

1 b. Exora regem sempiternum,
Ut det nobis regnum supernum
Pius pater.

2 a. Tibi, mundi domina,
Decantent agmina
Laudes dignas voce clara,

2 b. Morbi gravis inflicta
Vulnera curando [iita],
Mater vitae, viam para.

3 a. In montis excelsi culmine
Quae resplendens lumine
Possides nati thronum,

3 b. Post mortem infirmi corporis
Fac perrennis miseris
Largiri vitae donum.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11 414.

153. De beata Maria V.

1 a. Salve, David stirps divina.
Christi mater et regina
Caelorum et hominum,

1 b. Salve signis praesignata,
Aaron virga nominata,
Parens lucis luminum.

2 a. Salve, stella, mater solis,
Tu fiscella Dei prolis,
Testamenti tabula,

2 b. Salve, vellus Gedeonis,
Madens tellus septem donis,
Manna caeli situla.

3 a. Salve, rosa, lilium,
Campi flos, quae filium
Dei das visibilem,

3 b. Salve, quae sacrarium
Es virtutum omnium,
Gignens ineffabilem.

4 a. Salve, botrus cuius notus
In Iudaea balsamus,

4 b. Salve, mitis Cypri vitis,
Aromati calamus.

5 a. Salve, ferax et novella,
Quae oliva diceris,

5 b. Salve, petra fundens mella
In curam pestiferis.

6 a. Salve, noctis lux, columna,
Ducens caecos ex aerumna
Et inferni turbine,

6 b. Salve, nubes, quae funestum
Vitiorum vincis aestum
Tuo sancto nomine.

7. Salve, per te ut salvemur
Et in caelo collocemur
Merito
Tuoque iuvamine.

Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I. F 365. A. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F 334. B. — 1 b, 3 Parens lumen luminum B. — 2 b, 2 Undans tellus A. — 2 b, 3 Mannae A. — 4 a, 1 cuius totus AB.

154. De beata Maria V.

1. Salve, genetrix sancta

2 a. Dei, immaculata,
Meritis inclita,
Virtute lucida.

2 b. Nos audi, mediatrix
Dei et hominum,
Virgo benedicta.

3 a. Alma mater,
Vox nostra,
Te cantet
Laude sonora.

3 b. Tu pro nobis,
Spes nostra,
Maria,
Deo supplica.

4 a. Maria, per te
Navigantibus
Portus et via
Panditur, gemma,
Caeli fulgidissima,

4 b. Miseria per
Te remittitur,
Datur gratia
Et mundo, ductrix
Errantum et semita.

5 a. Caecis dans viam
Mutisque loquelam
Tu nos mundans
Immundaque
Fugas daemonia.

5 b. Nos hinc libera
[Virgo] magnifica,
Peccatorum
Suffragatrix
Ad vitam laxa

6. Nostrae mortis vincula.

Orat. ms. Domus. Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4 b 3 Datur et gratia. — 4 b, 4 Et fehlt. — 5 b, 1 hinc et.

155. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater gloriosa,
Virgo casta, speciosa,
Huius mundi tu lucerna,
Per quam claritas superna
Venit de caelestibus.

1 b. Stilla roris, flos odoris,
Fons dulcoris, vas decoris,
Sancta et immaculata,
Bona cuncta [per te data]
Profluunt fidelibus.

2 a. Per te mors interiit,
Per te vita rediit
Ex mundi miseria.

2 b. Foedos multo crimine
Munda tuo munere
Ducens ad caelestia.

3 a. Nobis praestetur venia
Per te simul et gratia,
Adesto iam viventibus
Unaque morientibus.

3 b. Ad nos, o pia, respice,
Precata nostra suscipe,
Peccataque praeterita
Nobis remitti flagita.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

156. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater, mater patris,
Soror sponsi, sponsa fratris,
Regis regum regia,

1 b. Haec est rubus inflammatus,
Quem non calcat calciatus
Sacra reverentia.

2 a. Sicca prius praeter morem
Virga frondens profert florem
Nucemque cum nucleo;

2 b. Incompluta manet tellus,
Dum complutum madet vellus
Gedeonis horreo.

3 a. Res miranda, virgo prolem,
Palmes vitem, stella solem,
Homo Deum baiulat,

3 b. Prodit sponsus nova sorte,
Nunc intactae claustrum portae
Prodiens diffibulat.

4 a. Ave, plena gratia,
Cella pigmentaria,
Cinnamomi calamus,

4 b. Mundi sanctuarium,
Caeli promptuarium,
Trinitatis thalamus.

5 a. Tu trium triclinium,
Trium domicilium,
Trium tabernaculum,

5 b. Patris consistorium,
Filii palatium,
Spiritus cenaculum.

6 a. Audi, mater veniae,
Proscriptos miseriae
Matris Evae filios,

6 b. Per peccatum venditos,
Ad gemendum genitos,
Poenae tributarios.

7 a. Audi reos, o benigna,
Dele thetam, thaü signa
Felici charactere,

7 b. Hoc sigillo Salomonis
Fac monetam Pharaonis
Nummos tuae dexterae.

8 a. Maris stella,
De procella
Nos ad portum protrahe,

8 b. Ex hoc mari fac levari,
Fac servari, fac locari
Nos in sinu Abrahae.

Cod. Civit. Turicen. C 58. saec. $^{12}/_{13}$. — Str. 8 a scheint eine Zeile zu fehlen. — Vgl. Roman. Forsch. IV 499.

157. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater salvatoris,
Flos odoris et honoris,
Honestatis annulus,

1 b. Tu signaculum pudoris,
Vas dulcoris et amoris,
Pietatis rivulus,

2 a. Tu lumen es luminum,
Tu decus es virginum
Et virga fructifera,

2 b. Tu salus es hominum,
Tu purgatrix criminum,
Arbor salutifera.

3 a. Tu fenestra pervia,
Stella maris praevia
Clarum reddens radium,

3 b. Tu cella vinaria,
Mater es et filia
Creatoris omnium.

4 a. Tu es vena veniae,
Tu fons pudicitiae,
Puritatis puteus,

4 b. Tu clavis iustitiae,
Navis continentiae
Et salutis clipeus.

5 a. Quae regina
virginum diceris,
Misereri
digneris miseris,
Ut erecti
de luto carceris
Tecum simus
in caeli curia.

5 b. Mediatrix
Dei et hominis,
Medicatrix
adesto criminis,
Ut soluti
fermento sceleris
Collaetemur
tecum in gloria.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

158. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater veniae,
Venialis gratiae
Venam nobis aperi,

1 b. Salve, virgo virginum,
Placa lumen luminum,
Culpas nostras operi.

2 a. Dominarum domina,
Munda mundi crimina,
Emundatrix criminum,

2 b. Servos serva miseros,
Fac de servis liberos,
Liberatrix hominum.

3 a. Regis regum regia,
Rege nos per varia
Mundi vitae devia,

3 b. Inquietos corrige,
Mansuetos dirige,
Superbos humilia.

4 a. Iuva pusillanimes,
Tempera magnanimes,
Desolatos refove,

4 b. Haereses mortifica,
Fideles multiplica,
Infideles remove.

5 a. Rosa nostri generis,
Genus Adae veteris
Deo reconcilia,

5 b. Ut de domo carceris
Educti cum superis
Laetemur in gloria.

Orat. ms. Domus. Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus.

159. De beata Maria V.

1 a. Salve, virga stirpis Iesse,
Per quam fecit Deus esse
Salutis remedium,

1 b. Novo more salutata
Genuisti fecundata
Dei patris filium.

2 a. Sol de stella prodiit
Et in sole posuit
Suum tabernaculum,

2 b. Terra vermem edidit,
Per quem Ionas perdidit
Et deflet umbraculum.

3 a. Te prophetae praedixerunt,
Patriarchae signaverunt
In figuris dogmatum,

3 b. Apostoli crediderunt
Et gentibus effuderunt
Lumen evangelicum.

4 a. Cum summo gaudio
In hoc tripudio
Regis et filio

4 b. Precamur, domina,
Dele peccamina,
Solve discrimina.

5 a. Rubus ardere cernitur
Rubi virente folio,
Virgo mater efficitur
Salvo pudoris gremio.

5 b. Novus lucifer oritur
Mundi finito termino,
Novo risu perfruitur
Sara nascente filio.

6 a. Novi partus gaudium
Prodiens de virgine
Purgat Adae filium
Veteris caligine.

6 b. Terra pandit lilium
Nullo culta vomere,
Virgo parit filium
Sine viri semine.

7 a. Felix puerpera
Dei et hominis,
Audi suspiria
Gementis hominis
Et redde prospera.

7 b. Confer solacium,
Succurre miseris,
Quae spes fidelium
Et salus diceris,
Intende, propera.

8 a. Placa mare, maris stella,
Via caeli, regis cella,
Vitae cursum militarem
Duc ad portum salutarem
Spei certitudine.

8 b. Regem natum interpella,
Nos ut salvet a procella
Vitae servans puritatem,
Dans antiquam dignitatem
Fracto mundi turbine.

9 a. O Iesu dulcissime,
Sanctorum mitissime,
Piae matris unice,

9 b. Preces nostras hodie
Cum Maria virgine
Miseratus respice.

10 a. Fac in beato munere
Et te solum diligere
Et vitae sequi praemia
Tua ducente gratia,

10 b. Ut digni tuis laudibus
Iuncti choris caelestibus
Pace fruamur sedula
In saeculorum saecula.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. A. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F 343. B. — Grad. ms. Pelsinense anni 1491. Cod. Mus. Bohemici s. n. C. — Cant. ms. Vissegradense saec. 15 ex. Cod. Capit. Vissegraden. s. n. (V Cc η). D.

1b, 3 Dei parens CD. — 2b, 1 ediit A. — 2b, 2 prodiit A. — 4a und 4b fehlen CD. — 6a, 1 gaudio B. — 8b, 5 Fato mundi termino C; Fracto mundi termino D. — 10a, 2 Et fehlt AB. — Von dieser Sequenz steht eine s. g. „christliche Korrektur“ in Cod. Pragen. VII A 13. saec. 16. Hier lautet z. B. 4a:

Fidem docuerunt,
Quam cognoverunt
Divo spiramine,
Quod desideratus
Singulis gentibus
Nasceretur virgine.

Ähnlich das Übrige, namentlich von Str. 7a an.

160. De beata Maria V.

1. Salve, virgo gloriosa,
Arbor vitae pretiosa
Ave, plena gratia.

2a. Virga Iesse florem dedit
Et flos fructum, poena redit
In Iudaeum, qui non credit
Peperisse virginem.

2b. Eat rubor in Iudaeum,
Infernali morte reum,
Qui non credit esse Deum
Pariter et hominem.

3a. Prodit partus, quem natura
Stupet contra carnis iura
Prodiisse sub figura
Et Dei et hominis.

3b. Parit sine viri cura
Genitorem nata, pura
Virgo, cuius genitura
Lavit labem criminis.

4a. Insuetum est audiri,
Quod sit mater expers viri,
De hac sola debet sciri,
Quod virgo pepererit.

4b. O quam miser, quam deceptus
Infidelis et ineptus,
Ab errore interceptus,
Qui sic non crediderit.

5a. Hunc debemus Deum scire,
Qui dignatus est vestire
Vestem servi, ne servire
Posset homo serviens.

5b. Eva pomi morsum ausa
Principalis fuit causa,
Quare nobis fuit clausa
Porta vitam largiens.

6a. Partus ventris virginalis,
Partus sanctus, immortalis,
Ex natura nullus talis
Conceptus in virgine.

6b. Portam vitae reseravit
Et, quos Eva condemnavit
Fructu, luctu relaxavit
Ab aeterno crimine.

7a. Ergo, virgo, mater Dei,
Fundamentum nostrae spei,
Quamvis simus omnes rei,
Te rogamus pariter,

7b. Ut, cum iudex dicit *Ite*
Malis bonis et *Venite,*
Perpetuae simus vitae
Participes iugiter.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Iedenfalls Sequenz.

161. De beata Maria V.

1 a. Stella solem pariens,
Stella casum nesciens,
Mater plena gratiae,

1 b. Stellis stella celsior
Stellisque splendidior
Splendor est ecclesiae.

2 a. Stella, cuius radius
Obscurari nescius
In solis praesentia,

2 b. Quae tanto fit clarior,
Quanto soli propior,
Et fulget in gloria.

3 a. Stella, virgo virginum,
Sol est pater luminum
Virgine progrediens.

3 b. Hic est flos, quem praebuit
Virgula, quae floruit
De Iesse progrediens.

4 a. Huic mirabiliter
Flori porta iugiter
Obserata patuit;

4 b. Sic Dei iustitiam,
Sic et sapientiam
Operari decuit.

5 a. Sic rubus incenditur,
Sic vellus compluitur
Rore misso caelitus,

5 b. Sic est facta madida
Terra prius arida
Nutu sancti spiritus.

6 a. Sic illustrat radio
Sol vitrum, sed vitio
Vitrum caret penitus,

6 b. Sic venit in virginem,
Ut Deum et hominem
Uniret paraclitus.

7 a. Nos obtentu virginis
A reatu criminis
Christi mundet gratia,

7 b. Qui nobis det pectoris
Pacem atque temporis
Et aeterna praemia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1a, 1 Vale solem. — 1a, 3 Maria plena. — 3a, 3 Ex virgine. — 7b, 3 Et fehlt. — Jedenfalls Sequenz.

162. De beata Maria V.

1. Tibi dicant omnes Ave,
Quia mundum tollis a vae,
Mutasti vocem flentium.

2 a. Sonet vox iucunditatis,
Quia tempus est aestatis,
Iam enim hiems transiit;

2 b. Nam vineae floruerunt,
Flores odorem dederunt,
Iam enim imber abiit.

3 a. Novitate partus casti,
Virgo, cuncta renovasti,
Dum paris clauso cardine.

3 b. Stupet usus et natura,
Quod tu paris, virgo pura,
Sine viri semine.

4 a. Partus tuus singularis,
Purum pura pure paris,
Genitorem filia,

4 b. Ave, virga gignens florem,
Cuius mirantur odorem
Caelum, tellus, maria.

5 a. Audi, mater pietatis,
Nos gementes pro peccatis
Et a malis nos tuere,

5 b. Ne damnemur cum impiis
In aeternis suppliciis,
Peccatorum miserere.

Cgm. Monacen. (ol. Tegurin). 716. saec. 15.

163. De beata Maria V.

1 a. Vale, aula virginalis,
Cum maiestas hic regalis
Dignatur descendere;

1 b. Opus hoc est trinitatis,
Solum cunctis quod beatis
Dat beate vivere.

2 a. Aula mater est intacta,
Sicut templum fabrefacta,
Quo non sonat malleus;

2 b. Ibi sceptrum, rex, corona,
Vitae panis est annona
Liquorque nectareus.

3 a. Terra namque dedit fructum,
Cor confirmat, solvit luctum,
Reddit fructus gaudium;

3 b. Hoc figurat Ruth in messe,
Caleph botrus, virga Iesse
Nucisque mysterium.

4 a. A fructu tritici,
vini et olei
Multiplicata est
iam virtus fidei

4 b. Regis praedivitis
haec sunt donaria,
Qui nostrae usus est
carnis substantia.

5 a. Ipse granum, ipse panis,
Botrus et nux non inanis,
Ipse solus omnia,

5 b. Quo referta fuit cella,
Dei mater, maris stella,
Mater plena gratia.

6 a. Hanc flos ornat castitatis,
Angelorum puritatis
Cognata virginitas,

6 b. In qua res est gratiosa,
Mitis, dulcis et iocosa,
Tam typus quam veritas.

7 a. Rubus non uritur,
Vellus compluitur,
Sol retroflectitur,
Et pecus loquitur,
Anus fit gravida.

7 b. Fons novus oritur,
Fanum destruitur,
De petra bibitur;
Propheta pascitur,
Mitescit rabida.

8 a. Fornax cedit
Et non laedit,
Sed oboedit
His, quos credit
Mori de incendio.

8 b. Manna datur,
Hinc creatur
Et formatur,
Quo signatur
Haec nova creatio.

9 a. Adae plasmatio,
Arcae constructio,
Iordanis siccitas,

9 b. Fiscellae ratio
. . . . . .
Signant te novitas.

10 a. Sal respergit fontem totum
Et camelis fessis potum
Dat Rebeccae hydria,

10 b. De conceptu Sara ridet,
Se calcari serpens videt,
Canit tympanistria.

11 a. Aeri serpens similatur,
Sputo lutum temperatur,
Cherubimque obumbratur
Propitiatorium.

11 b. Muliere vir ambitur,
Porta clausa pertransitur,
Gigas currit, via scitur,
Floret vallis lilium.

12 a. Sol sub nube non densatur,
Horto clauso fons signatur,
Sine manu mons secatur,
Stella solem praeconatur,
Sol de stella rutilat.

12 b. Stat praesaepe foeno plenum,
Christi corpus tam serenum
Nobis cibum dat amoenum
. . . . . .
Sic cor ad hoc vigilat.

13 a. Ad honorem tuum iure
Famulantur hae scripturae,
Sit de nobis tibi cura,
Pia virgo, mater pura,
Ut simus in gloria.

13 b. Ubi nec cras nec hesternum,
Ubi semper hodiernum,
Ubi salus, ubi vita,
Ubi pax est infinita,
Ubi Deus omnia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 10 a, 1 respargit. — 11 a, 1 simulatur. — 13 b, 4 est sempiterna.

164. De beata Maria V.

1 a. Vale, pura pariens
Virgo, nata fertilis,
Per quam nobis oriens
Ex alto visibilis

1 b. Exstitit, esuriens,
Palpans et palpabilis,
Pro peccatis moriens,
Dulcis et amabilis.

2 a. Porta Dei,
Mater spei,
Maria,
Clausus hortus,
Vitae portus
Et via.

2 b. Cella lucis,
Summi ducis
Et mater et filia,
Tuo nato
Nobis dato
Pie nos concilia.

3 a. O serena
Vitae vena,
Sancti plena
Spiritus,

3 b. Sume vota,
Quae cum nota
Mente tota
Promimus.

4 a. Vale, mater Domini,
Per quam salus homini
Reformatur perdita,

4 b. Ad nos manum porrige
Et nos salvans corrige,
Mundo salus edita.

5 a. O Maria,
O lilium
Convallium,
Flos virginum,

5 b. Stirps regia,
Spes omnium
Fidelium,
Lux luminum.

6 a. O . . . . filia,
Evae matri contraria,
Vale, virgo de gratia,

6 b. Nos redimens per filium,
Vale, ave, remedium
Nos eximens miseria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 374. — 1 a, 3 quem. — 5 a, 1 O clemens Maria.

165. De beata Maria V.

1 a. Vale, sancta peccatorum
Maria refugium,

1 b. O devote recolenda,
Flentium solacium.

2 a. Te laudare nos dignare
Cum devoto carmine,

2 b. Emundemur, liberemur
Sic ab omni crimine.

3 a. Rubens rosa tu formosa,
Pia dux errantium,

3 b. Medicina et regina,
Salus paenitentium.

4 a. Advocata reis data,
Tu pro nobis rogita,

4 b. Nubes clara, Deo cara,
Nos solando visita.

5 a. Cinnamomo vel amomo
Nomen habens dulcius,
In scripturis sub figuris
Figuraris crebrius.

5 b. Alma mater orphanorum,
Votis nostris adnue,
Conflictus daemoniorum
Ne nos tangant, erue.

6 a. Nulli gravis, o suavis,
Tuos servos erige,

6 b. Tu adiutrix, vitae tutrix,
Nobis manum porrige.

7 a. Vale stella, Dei cella,
Rutilans in gloria,

7 b. Te precamur, ut ducamur
Ad sanctorum gaudia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Melodie jedenfalls: O beata beatorum.

166. De beata Maria V.

1 a. Vale, stirps Davidica
Et mater deifica,
Potens mundi imperatrix,

1 b. Plena Dei gratia,
Vale, virgo regia,
Adflictorum miseratrix.

2 a. Vale, decens et decora,
Lucis clarior aurora,
Vera lux es omnium.

2 b. Lucens pulchre plus quam luna,
Quam fideles petunt una,
O lumen fidelium.

3 a. Vale, sancta, quae de portis
Nos exaltas dirae mortis,
Labe pura,
Spes futura
Vere paenitentium.

3 b. Vale, semper veneranda
Et a cunctis invocanda
Gubernatrix
Et salvatrix
Ad te confluentium.

4 a. Vale, mater admiranda
Et prae cunctis praedicanda
Genetrix veri luminis.

4 b. Radix David generosa,
Tota semper gloriosa
Templumque sancti flaminis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

167. De beata Maria V.

1 a. Vale, virgo, vas pudoris,
Salve, mater creatoris,
Ave, doctrix et lux moris,
Gaude, lilium candoris,
Vale, mater Maria.

1 b. Vale, navis castitatis,
Remum gestans caritatis
Et in arca castitatis
Spem futurae libertatis
Praebes et solacia.

2 a. Ave, virgo dives Deo,
Vale, portus patens reo,
Salve, lux et gratia,

2 b. Gaude, mundi reparatrix,
Ave, caeli imperatrix,
Nostra pura gaudia.

3 a. Vale, vitae condimentum
Evae leniens lamentum,
Vetus per te testamentum
Ruit, surgit sacramentum
Re signans caelestia.

3 b. Vale, boni fundamentum,
Castitatis ornamentum,
Caritatis dans unguentum,
Suavitatis in augmentum
Temperans carnalia.

4 a. Vale, Deum gestans alis,
Ave, malas iungens malis
Et labellis labia,

4 b. Salve, Marthae functa cura,
Gaude, maesta circa plura
Exhibens obsequia.

5 a. Vale, salus, decus, vita,
Astris poli redimita,
Illuc tecum nos invita,
Ubi gaudes infinita
Pace et laetitia.

5 b. Ave, lapsi reparatrix,
Errabundi revocatrix,
Caeli, terrae mediatrix,
Utriusque solidatrix
Christo nos concilia.

6 a. Ave, dulcis Sunamitis,
Pulchra, casta, simplex, mitis,
Membra fovens regia,

6 b. Ave, fida poli scala,
Super astra tecum cala
In superna curia.

7 a. Ave, clara maris stella,
Quae, cum hostis movet bella,
Es asylum, arcus, cella,
Ne involvat nos procella
Per haec mundi maria.

7 b. Ave, nostri vis vigoris,
Finis longaevi doloris,
Salus es summi valoris,
Honor caeli, lux splendoris,
Tibi laus et gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

168. De beata Maria V.

1 a. Vale, virgo virginum,
Salve, lumen luminum,
Ave, plena gratia.

2 a. Vale, salus hominum,
Portans, regem, Dominum,
Ave, stella praevia.

2 b. Vale, nostrum gaudium,
Gaude, spes credentium,
Peccatorum venia.

3 a. Vale, vena veniae,
Ave, mater gratiae,
Hostium victoria.

3 b. Vale, porta gloriae,
Ros misericordiae,
Ave, fraudis nescia.

4 a. Vale, mundi gloria,
Sanctorum laetitia,
Ave, per quam gaudium
Speramus caelestium.

4 b. Vale, virgo celebris,
Lux lucens in tenebris,
Ave, lumen cordium,
Salve, candens lilium.

5 a. Vale, pia,
Gaude, via.

5 b. Salve, vitis,
Ave, mitis.

6 a. Vale, parens
Labe carens,
Ave, suavissima,

6 b. Vale, rosa
Speciosa,
Ave, splendidissima.

7 a. Salve, virgo singularis,
Gaude, stella clara maris,
Vale, carens simili.

7 b. Vale, mater, lux solaris,
Ave, quae tantos solaris
Hoc in mundo flebili.

8 a. Vale, decus angelorum,
Vale, salus miserorum.

8 b. Vale, nostrum refugium,
Plena bonorum omnium.

9 a. Vale, decus castitatis,
Salve, mater pietatis,
Gaude, munda
Et fecunda,
Vale, lux caelestium.

9 b. Vale, templum puritatis,
Ave, scala claritatis,
Ora natum,
Ut optatum
Nobis donet praemium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

169. De beata Maria V.

1 a. Virga Iesse generosa,
Dulcis fructus onerosa,
Salve, mater inclita.

1 b. Christum Deum, gloriosa,
Genuisti gaudiosa,
Super omnes edita.

2 a. Solem sidus es prolata,
Tamen incontaminata
In aeternum permanes,

2 b. Per te terra illustrata,
Per te cuncta restaurata,
Et omnia contines.

3 a. Salve, mater regum regis,
Conditoris nostrae legis,
Carentis initio,

3 b. Cuncta bona quippe regis
Criminum et mala tegis,
Es nobis ablutio.

4 a. Pulchra rosa sine spina,
Quam non urit sol, pruina,
Nil habens miseriae,

4 b. Mitis simplexque regina
Velut more columbina,
Fons misericordiae.

5 a. Tu es porta circumdata
Margaritis et ornata,
Quam propheta asserit

5 b. Te vidisse, radiata,
In domo Dei fundata,
Qua nullus transierit.

6 a. Pura luna, soli aequa,
Purior aurea theca,
Qua Christus emittitur,

6 b. In te non sunt vota maecha
Tabes nec libido caeca,
Cor tuum nec vertitur.

7 a. Cuncta autem haec mundana
Mala sunt et nimis vana
Et plena illecebris;

7 b. Unde te precamur, sana
Plagas nostras et insana,
Dei duc cum angelis,

8. Ut ibi semper laudemus
Hymnis te angelicis.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

170. De beata Maria V.

1 a. Virgo peramabilis,
Mater admirabilis,
Maria puerpera,

1 b. Splendor ineffabilis,
Flos incomparabilis,
Virga salutifera.

2 a. Radix innocentiae,
Sedes sapientiae,
Felix thesauraria,

2 b. Tu es vitae pabulum,
Pudoris signaculum,
Concha smaragdinea.

3 a. Diadema fulgidum,
Sidus semper rutilum,
Peccatorum venia,

3 b. Pauperis umbraculum,
Foederis oraculum,
Sanctorum laetitia.

4 a. Vale, vas clementiae,
Portus indulgentiae,
Pia gestans viscera,

4 b. O culpae remedium,
Dulce refrigerium,
Regnans super aethera.

5 a. Vale, lumen luminum,
Purgatrix peccaminum,
Christo nos confoedera.

5 b. Vale, quae peccantium
Misereris omnium,
Nos iuvare propera.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vor 1a, 1 geht die überzählige Zeile vorher Vale peroptabilis. Mel. jedenfalls Veni sancte spiritus.

171. De beata Maria V.

1. Virgulae florentis laudes
Aaron, Iesse, Moysi,

2 a. Quae lavit Evae fraudes
In fonte paradisi
Sine hypocrisi,
Turba, laudes.

2 b. Mors et vita duello
Virginali flagello,
Cum Mariae fructus
Tersit luctus.

3 a. O sancta Maria,
Sis nobis vitae via,
Excessum mundi labentis
Affectu dele
devotae mentis.

3 b. Christianos gestes
Extra morbos et pestes.
Surrexit virga ferrea
Iudae confringens
corda saxea.

4 a. Credendum est plus prophetis
Legisque secretis
Quam Iudaeorum
nugis deletis.

4 b. Scimus botrum virgae siccae
Fructum protulisse,
Veram carnem
Christum sumpsisse

5. Ex Maria.

Miss. Ambianense imp. Parisiis 1487. A. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506. B. — Melodie: Victimae paschali laudes.

171a. De beata Maria V.

1 a. Ad supernae gremium
Matris gratiarum
Sonet vox fidelium
Per orbem terrarum
Caeleste praeconium.

1 b. Verbi patris atrium,
Vas provisum, carum
Neumatis palatium,
Trium personarum
Nobile triclinium.

Sequent. ms. Sedunense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedunense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Sedunen. s. n. B. — Den vollen Text siehe unter den Reimgebeten Anal. XV, 13 b; Varianten zu dem dortigen Texte: 5, 5 Sinus AB. — 7, 5 Cherubino collegium AB. — 8, 3 vitae praevium AB. — 10, 2 Regnas AB. — 10, 4 Stas AB. — 11, 1 Caeli terrae. AB. — 12, 2 Virgo invitata AB.

171b. De beata Maria V.

1 a. De spineto nata rosa,
Arbor vitae speciosa,
Ave, plena gratia!

1 b. Nos ad lucem verae lucis
Levas, trahis et perducis
Ducens via regia.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. A. — Orat ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. (unter einer Folge von Sequenzen) B. — Den vollen Text siehe unter den Reimgebeten Anal. XXXII, 79. — Lesarten: 1b, 2 Levans A. — 2, 5 Sed et ipsis angelorum A; Sed et lucis angelorum B. — 2, 6 Praeminens AB. — 4, 2 demonstrata AB. — 4, 4 et languores AB. — 4, 5 Mentem munda forma AB. — 5, 2 purgatos AB. — 5, 3 ad gaudia AB.

III.

DE SANCTIS.

172. De Omnibus Sanctis.

1. Immense omnium
rex angelorum
et hominum, sedulo
cui oboedit
orbis machina,

2 a. Famulatur aetheris
terrarumque
latitudo liquidi
necnon maris
cuncta fluenta,

2 b. Quem oportet gloria,
laus et honor,
salus, vita, veritas;
qui diceris
pacis speculum,

3 a. Clementi aure supplicum
tuorum
carminula
inter superna
modulamina
concipe,
licet non sint
digni servuli.

3 b. Concurrat universitas
gentium
collaudando
immensitatem
patris aeterni,
geniti
spiritusque
sancti gloriam.

4 a. Novenos qui caelo
choros mire
ordinavit
obsequio,
discretos
caritatis honores
pulchre tenentes.

4 b. Haec festa omnium
sanctorum sunt,
sapientia
quos a primo
splendore
mundi fecit usque in
finem saeculi.

5 a. Hinc celsorum
patrum colenda
est nobis probitas,
patriarchae vocati,
gloriosi qui patres
perditi
generis humani.

5 b. Prophetalis
ordo, futura
praedicens, virginis
de impolluto templo
Christum olim nascendum
spiritu
repletus canebat.

6 a. Lumina
vos bis sena
mundi, amici Christi,
apostoli,
fundamen ecclesiarum,
nostrae vitae favete.

6 b. Martyrum
purpuratae
phalanges, nos beati
nunc cruoris
flumine a criminibus
apud Deum solvite.

7 a. O doctores strenui
et confessores pii,
invisibili
hosti rebelles,
viles iuvate.

7 b. Mater virgo Maria,
turba virginum sancta,
miseris assis
clemens et nostri
pia adiutrix.

8 a. O sancti spiritus,
interdum angeli
vocati,
indignos precibus
vestris semper firmate.

8 b. Te, Christe, poscimus,
redemptor optime,
ne sinas
creaturam perire,
sed da tecum regnare

9. Et cunctos sanctos
pro propriis
fac orantes.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed. V 9. — 6 a, 1 Numina. — 7 a, 4 repelles. — Melodie: Symphonia.

173. De Omnibus Sanctis.

1. Sancta Dei mater,
virgo benigna, Maria,

2 a. Tu nos miseros adiuva
atque Christi gratiam
nobis impetra,

2 b. Quae nos tua per merita
devitare faciat
cuncta noxia.

3 a. Beate Michael,
tu pro nobis
maiestatem
superni regis invoca,

3 b. Et cuncti caelibes
simul cives,
commendate
nos Deo prece sedula.

4 a. O Iohannes,
Christi baptista,
tu Deum pro nobis
iugiter ora.

4 b. Et tu, Petre
sancte, dignare
cuncta disrumpere
nostra vincula.

5 a. Omnes Domini
apostoli,
solvite
nostra delicta,

5 b. Quia vobis est
a Domino
potestas
ad hoc concessa.

6 a. Vos, Christi martyres,
qui vestra
tradidistis corpora

6 b. Pro Christi nomine
libenter
multa ad supplicia;

7 a. Vos quoque confessores
Christi et sacerdotes,
virginumque sanctarum
turma praeclara,

7 b. Precamini pro nobis,
ne nos extollat hostis
neque vana gloria
nec laus humana.

8 a. Omnes sancti Dei,
verba pro nobis ferte pia,

8 b. Rogate Dominum,
ut nostra deleat crimina

9 a. Et nos evadere
faciat
inimici scandala
et inferni claustra,

9 b. Nos quoque per suam
collocet
pietatem requie
saltem in aliqua,

10 a. Ut libeat nos dicere:
honor, laus et gloria

10 b. Sancta tibi sit trinitas
per aeterna saecula.

11. Amen dicant simul cuncta,
amen, redempta.

Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16 A. — Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacen. 716. B. — Missale Abulense imp. Salmanticae 1510. C. — Miss. ms. Murense anni 1532. Cod. Aaraugien. M K 5. D.

1, 1 sq. Sancta virgo Dei mater C. — Str. 2a fehlt B. — 2a, 2 mater Christi gratiam C. — 2b, 2 facias B. — 4a, 3 pro nobis indignis BCD. — 4b, 1 sq. sancte Petre C. — 4b, 4 delicta nostra C. — Str. 5a fehlt C. — 5a, 1 Omnes sancti (Domini fehlt) B. — 6a, 1 Nunc Christi BD; Nunc sancti C. — 6b, 3 ad multa BC. — 7a, 3 sacrarum B. — 7a, 4 turba BC. — 7b, 2 seducat hostis CD. — Str. 8a fehlt B. — 9a, 1 Ut nos B. — 9b, 1 Nos atque BCD. — 10a, 1 Ut iubeat C. — 10b, 1 sit tibi CD. — 11, 2 fehlt D; die ganze Clausel fehlt C; lautet in B: Tu nos salvans semper conserva.

174. De Omnibus Sanctis.

1. Sancta ac digna
die sacrata
sunt recolenda
mysteria.

2 a. Propterea
Christo debita
concine, cohors, cantica,

2 b. Quae dicata
Dei vivida
sanctis sunt iam memoria.

3 a. Nostris posita persistat
Maria sensibus, domina
pia mundi et lucerna,

3 b. Quae intacta virgo celsa
creatorem intra gestavit
sua Dominum viscera,

4 a. Vitae atria
per lignum perdita
vetitum et ipsa
reddit prole sua.

4 b. Ipse agmina
restaurat supera,
effectus nam nostra
Christus factura.

5 a. Pars laetare dena,
ultima creata,
lymphis sanctis perfusa,
tibi quia dantur aethera,

5 b. Ubi lux immensa
et virtus beata,
ubi est corona
sanctis decenter praeparata.

6 a. O quam lucida
iustorum loca
et felicia regna
illis promissa!

6 b. Ibi organa
sonant inclita,
cantica praedulcia
necnon et nova.

7 a. Ibi est angelica
et archangelica,
principum eximia
et caterva infinita,

7 b. Virtutum cohors pulchra,
potestatum praediva,
dominatio magna
atque thronorum munia.

8 a. Cherubim multa
ac flaminum sacra
et ignea
Seraphim dantia
laudum munia,

8 b. Michael fortissima
et Gabriel summa
pneumata,
Raphael praestantia
ac dignissima.

9 a. Haec nos militia
cum prophetis pretiosa
cum cuncta martyrum nitida
et virginum turma,

9 b. Apostolorum gloriosa,
patriarcharum clara,
confessorum vera
et contio benigna,

10. Per haec saecla
acquirere aeterna
protegant veneranda
dando nobis iuvamina.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. in. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — 3 b, 3 Domini. — 5 b, 4 sanctorum. — 6 a, 2 sunt loca. — 8 a, 2 ac flamma flaminum. — Der Parrallelismus erstreckt sich namentlich in der zweiten Hälfte der Prose mehr auf die Satzglieder als auf die Silbenzahl.

175. De Omnibus Sanctis.

1 a. Cordis voto commendemus
Factoris praeconia,

1 b. Nisu toto decantemus
Sanctorum sollemnia.

2 a. Quos vocavit et beavit
Dans finale bravium,

2 b. Quo fruuntur et conduntur
Intra caeli gaudium,

3 a. Quod beati, honorati
Nostris nunc in laudibus,

3 b. Consecuti sunt et tuti
A maligni fraudibus.

4 a. Ubi status intellectus.
Finis appetituum,

4 b. Ubi ratus est perfectus
Abest causa fletuum.

5 a. Iam Assuerus ille verus
Cenam dat principibus,
Angelorum beatorum
Debriatis potibus.

5 b. Iam devicto Philistaeo,
Ursu et leunculo,
Coronatur, palma datur
David regni solio.

6 a. O nunc, Christi confessores,
Arcanorum conscii,

6 b. Vestri nos imitatores
Et caelorum praemii

7 a. Procurate viva prece,
Ut post transitoria

7 b. Iubilemus una voce
In perenni gloria.

Grad. ms. Gracense saec. 14. Cod. Gracen. 36. — Mel.: O beata beatorum.

176. De Omnibus Sanctis.

1 a. Reboat angelica
Laude domus caelica,
Alleluia.

1 b. Laus est haec trifaria
Voce novenalia,
Alleluia.

2 a Per caelorum spatia
Resonant palatia,
Alleluia,

2 b. „Sanctus“ ter clamantia
Pari consonantia,
Alleluia.

3 a. Vatum per praeconia
Dulcis est harmonia,
Alleluia.

3 b. In fide catholica
Laus est apostolica,
Alleluia.

4 a. Quam sequuntur fortia
Martyrum consortia,
Alleluia,

4 b. Quorum transitoria
Mors est, non victoria,
Alleluia.

5 a. Confessorum lilia
Concinunt similia,
Alleluia.

5 b. Virginum munditia
Carnis vincens vitia,
Alleluia,

6 a. Matrum continentia,
Pudor et prudentia,
Alleluia,

6 b. Laudum canunt neumata
Digna per celeumata,
Alleluia.

7 a. Ipsa lux aetherea
Cohorsque siderea,
Alleluia,

7 b. Solis, lunae lumina,
Aer, tellus, flumina,
Alleluia,

8 a. Temporum volumina,
Montium cacumina,
Alleluia,

8 b. Ventorumque flamina,
Frondes, herbae, gramina,
Alleluia,

9 a. Ex aquis reptilia,
Pisces, volatilia,
Alleluia,

9 b. Haec simul et alia
Deo dant magnalia
Alleluia.

10 a. Et nos in ecclesia
Melodum carthesia,
Alleluia,

10 b. Profundamus sapida
Mente de non vapida,
Alleluia.

11 a. Dulcis laus Alleluia,
Sed laus ista aevia,
Alleluia,

11 b. Eius, qui potentia
Manet in essentia,
Alleluia.

12 a. Eïa et Eïa,
Sonent Euterpeïa,
Alleluia,

12 b. Voce licet varia
Vota fiant paria.
Alleluia.

Miss. ms. Glogavien. saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 355. A. — Miss. ms. S. Mariae Magdalenae Wratislavien. saec. 14. Cod. Civit. Wratislavien. M. 1121. B. — Miss. ms. Cracovien. saec. 15 in. Cod. Capit. Cracovien. 8. C. — 1 b, 1 triumpharia C. — 1 b, 2 Voce non alia C. — Str. 2 b fehlt C. — 2 b, 1 clamantia fehlt A. — 2 b, 2 Patri A. — Str. 5 b fehlt C. — 6 a, 1 Patrum C. — 6 b, 2 celeamata AB. — 10 a, 1 Ut nos C. — 10 a, 2 cartachesia A; cartheria B. — 11 a, 2 laus istacina B. — 12 a, 2 Sonet Euterpe A; Sonent en corporea C. — Die Sequenz ist in C für das Fest der ss. Innocentes verwendet; inhaltlich lehnt sich dieselbe an das Canticum trium puerorum an.

177. De Omnibus Sanctis.

1 a. Sit laus summae trinitati,
Cuius vultu delectati
Vivunt cives caelici.

1 b. Laus devota sit Mariae,
Quae profudit lac Messiae,
Verbi mater deici.

2 a. Maiestati laus divinae,
Quam collaudant sine fine
Spiritus angelici.

2 b. Patriarchae venerentur,
Et prophetae collaudentur,
Vates honorifici.

3 a. Laus sit nato summi regis,
Cuius gerant curam gregis
Coetus apostolici.

3 b. Christo laudes tribuantur,
Cuius vultu satiantur
Martyres almifici.

4 a. Sit laus turmae confessorum,
Per quos gaudet plebs iustorum
Pane vitae refici.

4 b. Laus sit choro virginali,
Qui contactu noxiali
Carnis sprevit inflci.

5. Praestet nobis rex sanctorum,
Ut concives electorum
Mereamur effici.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414.

178. De Omnibus Sanctis.

1 a. In hac die rex caelorum
In consilio iustorum
Congregat concilia;

1 b. Gaudent animae sanctorum,
Nam illius et illorum
Festa sunt communia.

2 a. Mater Dei gloriosa,
Super omnes speciosa,
Prima est in curia,

2 b. Quasi murra pretiosa,
Sicut balsamus et rosa,
Fragrans plus quam lilia.

3 a. Chori novem angelorum
Huius cantant ante thronum:
Ave, plena gratia.

3 b. O quam canticum sonorum,
Terra resonat eorum
Voce cum melodia.

4 a. Verbi vates, agonista
Canens increpat baptista
Cantus paenitentia.

4 b. Ille dulcis organista
Intonat evangelista
Verba verbi dulcia.

5 a. Sanctitas patriarcharum
Veritasque prophetarum
Legunt semiverbia.

5 b. Dulcis evangelistarum
Sonus resonat alarum,
Cantant evangelia.

6 a. Dignitas apostolorum
Supra vires aliorum
Volat ad sublimia.

6 b. Turba condiscipulorum,
Mensae regis sociorum,
Loquitur magnalia.

7 a. Martyres vivificati
„Facti sumus consolati"
Cantant cum laetitia;

7 b. Ubi corpus, congregati
Gloriantur imitati
Capitis vestigia.

8 a. Beatorum confessorum
Necnon et orthodoxorum
Sapiens facundia

8 b. Flores legit scriptuarum,
Sapor redolet earum
Medullarum pinguia.

9 a. Virgines tenentes chorum
Cantant canticum amorum,
Dulcis est symphonia.

9 b. Iubilo iuvencularum,
Sono tympanistriarum
Regis sonat regia.

10 a. Istis ergo supplicemus
Omniumque flagitemus
Omnes patrocinia,

10 b. Ut cum ipsis decantemus,
Regi nostro iubilemus:
Tibi laus et gloria.

Miss. Petragoricen. imp. Petragoricae 1525. — 1 a, 3 consilia.

179. De Sancto Achatio.

1 a. Regi caeli iubilemus
Melo, fibris hymnizemus
Et cum turma exsultemus
Decem milium militum.

1 b. Hos lictores invaserunt,
Bis tres reges adhaeserunt,
Adriano persuaserunt
In necem horum martyrum.

2 a. Hermolaus,
Pater sanctus,
Horum ductor,
Felix rector,
Divus praesul,
Cum his exsul
Hos instruxit fideliter:

2 b. Este fortes,
En, consortes,
O athletae,
Votis laete
Mundi regna
Dispernenda,
Triumphate viriliter.

3 a. Gentes regum dis libarunt,
Quod hi sancti recusarunt
Et profana praedicarunt
Fore haec daemonia.

3 b. Impudici machinantur,
Sancti viri animantur
Nec terrore alterantur
Anhelantes gaudia.

4 a. Torti sunt iuxta Ararath
Fronde denso cum immenso,

4 b. Acutierum fulmine
Quas immanitas pararat.

5 a. Crucem tollunt abs terrore,
Spineis sunt coronati.

5 b. Christum fantur sin horrore,
Astra petunt laureati.

6 a. Solis fulgur dirimitur,
Lunae splendor discerpitur,
Stellis color diruitur
Per poenas livoratas.

6 b. Petrae quatiuntur scissuras
Per immensas infixuras
Inflictas piis duras
Crudeliter sauciatas.

7 a. Fel, acetum sumunt potum,
Morientes petunt votum,
Quod caelitus promittitur
Per voces angelorum:

7 b. Ut orastis, impetrastis,
Vestri vernae perserventur,
Diva luce perfruentur
Cum thronis supernorum.

8 a. Hi, qui pressuras tolerant
Perturbiis se macerant,

8 b. Perpessi mala suspirant,
Caelestia opimant.

9 a. Terrae motus vergit magnus,
Aeraque nigrescunt,

9 b. Tollunt plagas quasi agnus,
Poenae rubore tremescunt.

10 a. Et omnia supplicia
Infideles per Iudaeos
Tulerunt hi, similia
Quae passus est homo Deus.

10 b. Venerantes passionis
Denorum mille meritum
Exsilient interitum
In statera agonis.

11 a. Hi pro Christo trucidati,
Fragra fide adunati,
Flagris sertis coronati
Mansione siderea.

11 b. Horum ob alta praemia,
O Alpha, nos salvifica
Et pelle fel, da tuum mel,
Ut perlustremus trivida

12. Per infinita
saeculorum saecula.

Miss. Wratislavien. imp. Cracoviae 1505. — Der verwilderte Text spottet jeder Verbesserung; ob er ursprünglich besser aussah? Nur einige Emendationsvorschläge: 4 b. 1 l. aculeorum. — 7 b, 2 l. praeserventur. — 8 b, 2 obtineant. — 11 b, 4 l. trifida.

180. De sancto Adalberto.

1. Annua recolamus
sancti Adalberti gaudia

2 a. Martyris, exsultant
unde caelorum lumina,

2 b. Hodie qui laxa
victor ascendit ianua

3 a. Et mundi votiva
suspendens,
quem crucifixit, spolia.

3 b. Nulla iam turbandus
procella
pace quievit placida.

4 a. Bohemia, filii
cunulas
osculando iubila,

4 b. Edentulo lactea
quae mater
immulsisti ubera.

5 a. Saxonia,
plaude discipuli gloria,
Quem tenera
stringens a puero ferula
Aaron induis infula.

5 b. Quid praesuli
Praga obstrepis indomita?
Si sequeris
huius praevii vestigia,
nulla foedaberis macula.

6 a. O fortis athleta,
post delicias
terens cilicio latera,

6 b. Pedester exemplum
in monachica
Romam intraveras regula.

7 a. Sed praedo sanctae invidens
obsequelae
fracta poculum
effundendo
laguncula
tua occubuit dextera.

7 b. Postremo multis precibus
evocatus
tuis ovibus
salutatis
in Prussia
carnis exueras vincula.

8 a. Polonia
ergo tanti
sepeliens
floret martyrii
pignora.

8 b. Otto Caesar
tua nisus
confidentia
Romanis retulerat brachii
munera.

9. Quem Deo
cum clero et plebe
commendare digneris
sibimet subiecta.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — Melodie: Mater; die Silbenüberschüsse in 8 b entsprechen denen der Stammsequenz.

181. De sancto Adalberto.

1 a. Adalbertus, praesul gratus,
Iesu Christo copulatus,
Assit nunc imploratus.

1 b. Bonus pastor, confortatus,
Deitate insignitus,
Stola bina ornatus,

2 a. Caelos scandit laureatus.
Scientia decoratus,
Ad apicem provectus,

2 b. Dignitate fulgens praesul
De patria fuit exsul;
Deum vivum colendo,

3 a. Ecclesiam gubernando,
Iura eius defendendo,
Oppressis condolendo,

3 b. Fecit pietatem aegris,
Compatiens Christi membris
Per Iudaeos venditis.

4 a. Gneznam intrans subministrat
Scientiam effundendo,
Polonos instruendo,

4 b. Hominibus simplicibus,
Timentibus, humilibus,
Salutem quaerentibus.

5 a. Iucundetur Polonia
Sacra agens sollemnia,
Implorans suffragia.

5 b. Ora, pater, supplicando,
Gregem tuum protegendo
Ab incursu hostium.

Miss. Cracoviens. imp. Venetiis 1532. — Ob ursprünglich ein vollständiger Abecedar?

182. De sancto Adalberto.

1 a. Gaude, praesul Adalberte,
Quia caeli portae per te
Sunt diversis apertae.

1 b. Lingua tua caeli clavis
Facta Latmis necnon Slavis
Et in fide ignavis.

2 a. Forma gregis, norma legis,
Lux insignis, ardens ignis
Gentium in tenebris.

2 b. Lampas lucens, stella ducens,
Vas solare, consolare
Flentium illecebris.

3 a. Dignitate praesulari
Sitivisti epulari
Mundi in voragine,

3 b. Ut post posses collocari,
Rubra veste decorari
Caeli in propagine.

4 a. Florens decus confessorum,
Via morum, lux doctorum,
Consolator peccatorum,

4 b. Pugil fortis sis in portis,
Ne nos mali servi mortis
Comprimant Sion in hortis.

5 a. Bone praesul Iesu Christi,
Potum calicis bibisti
Mortis hic in stadio,

5 b. Ubi caput amisisti,
Regnum Dei invenisti
Truncatus cum gladio.

6 a. Doctor clemens, ad te gemens
Clamat tremens, fere demens,
Plebs tua pro venia,

6 b. Atque laudis absque dolo,
Toto zelo, velut audis,
Haec tibi dat naenia.

7 a. Speculando speculare
Omne, quod est saeculare,
Virtute deifice,

7 b. Atque cura procurare,
Dare, stare et amare,
Gratia reficere.

8 a. Dei arca, manus parca
Non sit tibi, sed nos ibi,
Ubi tu es, colloca;

8 b. Ac ab imis, quibus nimis
Sumus mersi nos perversi,
Festinanter revoca.

Sequent. ms. cum Commento saec. 15. Cod. Wratislavien. IV Q 81. — 1 b, 2 Facta Latmis et Sambitis nel^e [sic!] Selavis.

183. De sancto Adalberto.

1 a. Ave, sancte Adalberte,
Vota nostra conduc per te
Excusando scelera

1 b. Ad Dominum Iesum Christum,
Quo vicisti mundum istum
Spernens eius foedera.

2 a. Vale, pie mediator,
Esto noster consolator
Consolando miseros,

2 b. Propter tuam passionem
Tutum nostrum fac agonem
Ducendo ad superos.

3 a. Gaude, martyr pretiose
Et pontifex gloriose,
Da post mortem vivere;

3 b. Es a Deo nobis datus,
Quam cito fuisti natus
De Slavonum genere.

4 a. Pie miles Iesu Christi,
Hostes tuos, quos vicisti,
Fac nos eos vincere;

4 b. Mundum, carnem et draconem
Iesu Christi per amorem
Da nobis subicere.

5 a. Eia, pater et patrone,
Nos certantes in agone
Iuva piis precibus,

5 b. Ut per tuum adiuvamen
Sentiamus consolamen
In necessitatibus.

6 a. Praesul Pragae dum fuisti
Vitam sanctamque duxisti
Verbo, voto, opere,

6 b. Vitam, mores conspexisti
Bohemorum, correxisti,
Pie pater, verbere.

7 a. Sed gens prava et perversa,
A nefandis non conversa,
Spernit pium praesulem;

7 b. O gens dura et delira!
Dolo plena atque ira
Patrem facit exsulem.

8 a. Sed tu, pater o sincere,
Volens fidem adaugere
Te transfers Hungariam,

8 b. Poloniam et Prussiam,
Per doctrinam saluberrimam
Frangis idolatriam.

9 a. Nos in fide confortasti,
Multos Christo sociasti
Tuam per industriam;

9 b. Sed dum genti Pruthenorum
Dona propinas caelorum
Arguens perfidiam,

10 a. Gens ignara vitae verae
Non veretur exercere
In te hanc saevitiam,

10 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

11 a. Sanctum Dei spernere,
Lanceis configere,
Immanem dementiam!

11 b. Caput et deponere
Atque palo figere,
O magnam vesaniam!

12 a. Boleslaus, dux praeclarus
Per suam clementiam

12 b. Corpus tuum venerandum
Transtulit in Trzemesznam.

13 a. Sed paulo post atque parum
Pii patris caput carum
Translatum est in Gneznam,

13 b. Ubi sunt absconsa ossa
Multa patris nostri grossa
Nobis in solacium.

14 a. Ergo, pater noster care,
Te precamur, ut servare
Tuos velis sub tegmine,

14 b. Ut post mortem piam sortem
Consequamur, operare,
Corporis et animae.

Miss. ms. Cracovien. anni 1490. Cod. Capit. Cracovien. 1. — 5 b, 3 Nostris in. — 6 a, 3 Verbo vita. — 11 b, 3 In magnam. — 13 b, 1 Ubi ossa sunt absconsa.

184. De sancto Aegidio.

1 a. Laudem Dei veneretur
supplicum devotio,

1 b. Qui nos suae caritatis
illustravit radio.

2 a. Mira visitatio,
Mira consolatio
Profluit divinitus,

2 b. Quam ut mentis gremio
Videamus oculo,
Veni, sante spiritus.

3 a. Iste sanctus, ut nos mundet
Et in bono nos fecundet,
Missus est a Domino,

3 b. Sed ne missus dubitetur,
Missus esse perhibetur
Dei testimonio.

4 a. Qui pro suis meritis
Reis et immeritis
Contulit remedium.

4 b. O miranda gratia,
Quae dedit solacia
Sanctum per Aegidium!

5 a. Virginis infirmitas,
Karoli iniquitas
Cessat et naufragium,

5 b. Angelus apperuit
Facinus, quod latuit,
Sanctum per Aegidium.

6 a. Non in signis vult laudari,
Sed occulte saeculari
Cedit a contagio,

6 b. A mundana cedit vita,
Fit remotus eremita
Confisus in Domino.

7 a. Huic cerva mittitur,
Cuius lacte pascitur
Divina clementia,

7 a. Et ab hoc accipitur,
Quidquid bene petitur,
Sine differentia.

8 a. Pater ergo celebris,
Nos ab his illecebris
Suffocando vitia,

8 b. Ne nos umbra funebris
Longis damnet tenebris,
Transfer ad caelestia.

Miss. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Mus. Cassovien. s. n. A. — Miss. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 158. B. — 1 a 1, veneremur B. — 2 b, 1 mortis A. — 3 b, 2 prohibetur A. — 5 a, 2 Caruli A. — 6 b, 1 O mundana A. — 6 b, 3 Confusus A.

185. De sancto Aegidio.

1 a. Cesset ira, cesset fletus;
Cantus dulcis, cantus laetus
Frequentetur;

1 b. Sanctum festum Aegidii,
Nostri patris egregii,
Celebretur.

2 a. Hic Athenis,
urbe clarissima,
Natus stirpe
de nobilissima
Duxit originem;

2 b. Iste quidem
suam prosapiam
Propter sibi
datam industriam
Fecit plus nobilem.

3 a. Literarum
statim ad studia
Fuit missus
in puerita
Corde pollens docili,

3 b. Scripturarum
ut per scientiam
Elongaret
omnem inertiam
A se mente vigili.

4 a. Sub aetate iam tenera
Praeclara patrat opera
Miserans pauperibus:

4 b. Vestem praestat mendicanti
Et salutem aegrotanti
Fusis Deo precibus.

5 a. Sancti fama excitatus
Suos mittit magistratus
Ad eum rex Franciae,

5 b. Ut se velit visitare,
Mentem eius emundare
A peccati scabie.

6 a. Orat sanctus, et testatur
Angelus, quod condonatur
Iam peccatum regium.

6 b. Sic pro nobis semper oret
Trinitatem et imploret
Pro peccatis omnium.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 2b, 1 sq. Iste qui de sua prosapia AB.

186. De sancto Aegidio.

1 a. Salve, pater coronate,
Caeli regnis adunate,
Sitisti nam martyrium.

1 b. Auge tuis supplicibus
Tuarum precum fructibus
Praemia post exsilium.

2 a. Normis vernas electorum,
Fac adesse angelorum
In thronis contemplantes.

2 b. Conquire nobis lucida
Hinc per tua suffragia
Gaudia consequentes.

3 a. Tu vicisti lubrica
Despexistique lucrida
Post obitum parentum;

3 b. Uirtus haec deifica
Explevit in te nimia
Lucraturus talentum.

4 a. Solve reatus vincula
Averteque pericula
Post vitae exterminium.

4 b. Sancte pater, funde preces
Fugaturus nostrae faeces
Squaliditatis criminum.

5 a. Euge, patrone extollende.
Viribus totis recolende.
Eremi tu subditus,

5 b. Gyrans mundi per vagabunda
Spernens et saecli laetabunda,
Tractus sic divinitus.

6 a. Ima intrasti tu rubeta,
Antra quaesisti plus secreta
Habitatione sedula;

6 b. Dira rupe tunc fons scaturit,
Cervaque nutrix lac protulit
In petrae angustae cellula.

7 a. Inter feras habitasti,
Throni fulvum tu lustrasti,
Per meritorum exitus.

7 b. Ueta planctus tu inferi
A nobis sic, ut cernui
Con . . . . . .

S . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Siles. Fol. I 83 h. — 1 a, 3 Siteris nam. — Das Akrostichon „Sanctus Egidius“ zeigt, dafs eine Schlufsstrophe fehlt; vielleicht ist 4 b, 1 zu lesen: Alme pater.

187. De sancto Agerico.

1 a. Congaudeat civitas,
Plaudat universitas
Virdunensis patriae;

1 b. Agerici gratia
Innovantur gaudia
Filiis ecclesiae.

2 a. Hunc, priusquam veniat
In mundum, praenuntiat
Angelus triennio.

2 b. Praesulatus infulis
Decoratus populis
Praesidet praesidio.

3 a. Sol solito clarior
Et terris vicinior
Totus incanduerat,

3 b. Pulsis procul nubibus
Et suspensis imbribus
Sata terrae laeserat.

4 a. In conspectu omnium
In luctu degentium
Se sanctus humiliat,

4 b. Sitientem precibus
Terram potat imbribus
Et aquis inebriat.

5 a. Ruit imber et procella,
Christus solus est pro cella
Et pro tecto praesuli;

5 b. Praesul in sereno situs
Fundit imbres, tenent litus
Aquas circa populi.

6 a. Homo vernat aridus,
Daemon fugit pavidus
Ipsius imperio;

6 b. Clausa dudum lumina
Reparat in femina
Virtutis collirio;

7 a. Et praesulum praesuli
Revelantur loculi,
Quos declarant saecula;

7 b. Solo sancti poculo
Et crucis signaculo
Fecundantur vascula:

7 c. Vinum, quod defuerat,
Vincit et exsuperat
Childeberti pocula.

8 a. Si quis ista reprobat,
Exitus acta probat,
Mors aperta facie:

8 b. Sancti prodit meritum,
Cum emittit spiritum
In columbae specie.

8 c. Delectare laudibus
Nostris, praesto precibus
Sis, pastor egregie.

Miss. ms. Virdunense saec. 15/16. Cod. Virdunense 99. A. — Miss. Virdunense imp. Pasisiis 1509. B. — Miss. Virdunense imp. Parisiis 1554. C. — 4a, 2 lugentium C. — 6a, 2 fugat AB. — 7a, 2 Relevantur C.

188. De sancta Agnete.

1 a. Praesens coetus
Agneti decantet laetus
Alleluia,

1 b. Quam signavit
Christi sanguis, et ornavit
Res miranda.

2 a. Agnes agnum sequitur,
In palam producitur
Sol de stella,

2 b. Sponsum Christum indicat
Et hunc voce praedicat
Semper clara.

3 a. Preces, minas, verbera
Contemnit et munera
Pari forma.

3 b. Caeditur exterius
Nec per hoc interius
Fit corrupta.

4 a. Nulla tam amabilis
Nec tam admirabilis
Valle nostra.

4 b. Ad lupanar trahitur,
Sed nunquam corrumpitur
Carne sumpta.

5 a. Crines crescunt, mittitur
Ipsi vestis; moritur,
Cuius mens convincitur
Esse caeca.

5 b. Surgit, qui perierat,
Et ad fidem properat,
Populus considerat
Haec praedicta.

6 a. Igne non laeditur,
In quo proicitur,
Nec sic convertitur
Gens misera.

6 b. Ense perimitur,
Sic agno iungitur
Agnes, quem genuit
Puerpera.

Miss. Romanum imp. Parisiis 1517. A. — Miss. Metense imp. Metis 1545. B. — Melodie offenbar: Laetabundus.

189. De sancta Agnete.

1 a. Exsurgat propere
Chorea virginum,
Festinet libere
Laudare Dominum
Regentem culmina;

1 b. Prudentes, surgite
Sumentes munera
Sponsoque dicite:
Iam nobis resera
Conclavis limina.

2 a. Agnetis proelium
Necnon constantiam
Coetus fidelium
Laudet ad gloriam
Sexus feminei.

2 b. Virgo laudabilis
Tormenta pertulit,
Christo placabilis
Se totam obtulit,
Exemplar fidei.

3 a. Praefecti genitus
Agnetem diligit,
Quem virgo penitus
Et dona negligit
Licet insignia;

3 b. Assensum renuit
Dare monitibus,
Nec uti libuit
Coniungi nexibus
Spernens conubia.

4 a. Tunc ad prostibula
Nuda distrahitur,
Sed eius formula
Capillis tegitur,
Ut pudens lateat;

4 b. Et turpitudinis,
Qui erat squalidus,
Ingressu virginis
Locus fit nitidus,
Ut virtus pateat.

5 a. Sed auctor sceleris
Praesumens ingredi,
Relictis ceteris
Hanc temptans aggredi,
Repente cecidit;

5 b. Stupet Symphonius
Nato sic perdito,
Deus propitius
Agnetis merito
Mox prolem reddidit.

6 a. Extinctis ignibus
Percussa gladio
Iam cum caelestibus
Potitur bravio,
Quod mente petiit.

6 b. Precemur iugiter,
Ut cum hac virgine
Vivamus pariter
In Christo, nomine
Pro cuius obiit.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 4 b, 4 Luctus AB. — 6 b, 2 Et cum AB. — 6 b, 4 In Christi AB.

190. De sancto Albano.

1 a. Hac in die
Mentis piae
Vota Christo decentia

2 a. Moguntina
Solvat prima,
Tota dehinc ecclesia,

2 b. Et Albani
Nomen manifesta colat laetitia.

3 a. Quem tamdiu perscrutatum
Iam patronum habet tutum
In caelesti curia;

3 b. Hodierna enim die
Sunt ostensae caeli viae
Illi pro victoria.

4 a. Qui, dum hic in mundo vixit,
Legi carnis contradixit
Christi se negotio.

4 b. Subdens, quem et praedicatur
Et talenta duplicatur
Functus sacerdotio.

5 a. Adit tandem Moguntinos
Cives atque peregrinos
Necat cultus, ne divinos
Faunis dent ac Satyris.

5 b. In quem saevit turba multa,
Crux debetur cui multa
In inferno consepulta,
Rea morte martyris.

6 a. Nam ab ipsis fustigatur,
Caput dehinc amputatur,
Quod mox ipse amplexatur
Firmis utens gressibus.

6 b. Martyrum te dicunt florem,
Nam humanum transis morem
Augens decus et honorem
Ceteris martyribus.

7 a. Sprevit funus libitinam,
Urbem vertit Moguntinam
In stuporem, vim divinam
Sentiunt, qui aderant.

7 b. Quo erroris nulla via
Est iam, neque themesia
Deitatis ab usia
Arrii ablacerant.

8 a. A quo tua laus dictatur,
Quamvis plene non cantatur,
Sana hoc capitulum;

8 b. O Albane, o patrone,
Assignatos iam repone
Tuum nos in titulum.

9 a. Et ex valle lacrimarum
Transfer nos ad lumen clarum,
Caeli lucens curiae,

9 b. Ut post huius vitae legem
Contemplemur caeli regem
In decore gloriae.

Miss. Merseburgense imp. Lipsiae 1502. — 2a, 1 Moguntia. — 2a, 2 primo. — 2b, 2 Non manifesta. — 5a, 4 Phanis. — 5b, 1 quem sentit.

191. De sancto Amato.

1 a. Almum pastorem
Nobilis prosapiae,
Praedicatorem
Folii iustitiae,
Nunc imploremus
pro salute veniae.

1 b. Qui monachorum
Normas Agaunensium
Centuriorum
Didicit indicium,
Elegit antri
deserti tugurium.

2 a. Spernit mundana,
Montem solus graditur,
Respuit vana
Nec peccato vincitur,
In monte celso
domus huic struitur.

2 b. Sed elongatur
Quaedam trabs, quae scinditur,
Et declaratur
Sanctitas, quae tegitur
Prius, a plebe
mire trabs inspicitur.

3 a. Iam coeperat ruere
Saxum quoddam mobile
. . . . . .
. . . . . .
Sed signo crucis
fecit illud stabile.

3 b. Molam torrebat
Amatus lapideam,
Corpus domabat
Et catenam ferream
Gestabat stricte
iuxta cutem carneam.

4 a. Sex nucleis [hic]
tempore ieiunii
Contentabatur
semper hora prandii;

4 b. Mel, aquam iussit
fluere ex silice
Et ut Moyses
fecit haec mirifice.

5 a. Calciamenta
non gerit in pedibus,
Laeduntur plantae,
fremit in frigoribus.

5 b. Recusans aurum,
quod praeses obtulerat,
Avari ritus
exemplis vituperat.

6 a. Sed Sedunensis
Praesul post efficitur,
Vallesiensis
Plebs per hunc instruitur,
Ipso loquente
daemon fuga rapitur.

6 b. Imperatoris
Praeceptis exsilio
Aemulatoris
Credentis consilio
Est deputatus
severo iudicio.

7 a. Afflictiones
Relegatus pertulit,
Temptationes
Diaboli reppulit,
Thymiamata
coenobiis intulit.

7 b. Daemoniorum
Maxima potentia
Et obsessorum
Ab eis saevitia
Statim fugatur
Amati prece pia.

8 a. Sanctae Mariae
Dum templo prosternitur,
Lucis nimiae
Iubar caeli mittitur,
Plenum gloriae
Desuper conspicitur.

8 b. Nobis bravium
Detur prece praesulis
Caeli civium
Cum ornatis infulis,
Utamur secum
Caelestibus epulis.

Grad ms. Sedunen. saec. 13. Cod. Capit. Sedunen. s. n. add. saec. 14 A. — Sequent ms. Sedunen. saec. 14. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — 3 a, 1 Zwei Silben zu viel; die Strophe ist überhaupt verderbt. — 4 b, 1 sq. aquam fluere iussit AB. — 8 a, 3 Claritatis nimiae AB. — 8 a, 5 Plenum magnae gloriae AB.

192. De s. Angelo Custode.

1 a. Celebremus
Praesentis diei festum
Mente pura,

1 b. Ad aeternum
Angelus consistit regnum
Custos in qua.

2 a. Quem Deus de hierarchia
Nobis dedit pro custodia
Ense data.

2 b. Offert Deo bona nostra
Nobis dans subsidia
Voce digna.

3 a. Neque servos deserat,
Sed nos semper protegat
Prece pia,

3 b. Pastor noster inclitus
Nostros ferat gemitus
Super astra.

4 a. Oves suas foveat,
Alat, mores instruat
Atque vota.

4 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

5 a. Prosequamur laudibus,
Iubilemus vocibus
Et odis insignibus
Eius festa.

5 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

6 a. Custos egregie
Dulcis familiae,
Quae dat hodie
Praeconia.

6 b. Tibi canamus
Omnes una, cuncta
Te veneramur
Per saecula.

Officia ms. Gerundensia saec. 15. Cod. Semin. Gerunden. 2309. — 6 b, 2 sq. una te veneramur cuncta. — Melodie: Laetabundus; Sinn und Form vielfach verderbt, namentlich in 1 b, 2 a, 6 b.

193. De sancta Anna.

1. Ad matris Annae annua
Extollenda praeconia

2 a. Confluat mente devota
Redemptorum ecclesia.

2 b. Haec regis et patriarchae
David proles et Abrahae,

3 a. Haec aurora
Stellam mundo protulit,

3 b. In area
Vellus haec exposuit.

4 a. Haec est radix stirpis Iesse,
Ex qua virgo sumpsit esse,
Quae divinum profert florem *
Et fert fructum contra morem.
Virga florem,
Vellus rorem *
Suscipit.

4 b. Stella solem,
Virgo prolem
* Edidit.
* * Fabricatur in hac Anna,
* * Quae supremum clausit manna,
* Arca novi testamenti
Et res magni sacramenti.

5 a. Manna verum,
quo mundus pascitur,

5 b. Est hic puer,
qui nobis nascitur.

6 a. Haec est terra,
de qua veritas ascendit,

6 b. Est hic panis,
qui de supernis descendit.

7 a. Vere felices dominae,
Per quas Deus in homine
Salutem operatus est.

7 b. Felix mater cum filia,
Quibus sanctorum milia
Canunt epithalamia.

8 a. Ergo, tanta
ditatae gloria,
Vos reorum
tangat memoria,

8 b. Dum pro servis
rogatis filium,
Non negabit
pius auxilium.

9 a. Praestate,
Quod debetis reis;

9 b. Astate
Unico pro eis,

10 a. Ut in cena generali
Et in veste nuptiali

10 b. Sponso psallamus pariter
Precantes illum iugiter,

11. Ut nos in gloria sua
Secum faciat gaudere;
Ubi pax et lux festiva,
Decantemus Hosanna.

Prosar. ms. Cantuarien. saec. 12 ex. Cod. Londin. Calig. A XIV. A. — Miss. ms. Augustan. saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Londinen. Add. 11669. B. — Miss. ms. Olomucen. saec. 14. in. Cod. Capitul. Olomucen. 131. C. — Miss. ms. Olomucen. saec. 14. Cod. Capit. Olomucen. 138. D. — Miss. ms. saec. 15. Cod. Scotorum Vindobonen. 53 d 18. E. — Miss ms. Voravien. saec. 15. Cod. Voravien. 35. F. — Miss. ms. Cenomanen. saec. 15. Cod. Cenomanen. 353. G. — Miss. ms. Cenomanen. saec. 15. Cod. Cathedr. Cenomanen. s. n. H. — Miss. ms. Rotomagen. saec. 15. Cod. Rotomagen. 284. I. — Miss. ms. Rotomagen. saec. 15. Cod. Rotomagen. 280. K. — Miss. ms. Strigonien. saec. 15. Cod. bibl. publ. Salisburgen. V. 1 B. 23. L. — Cod. St. Petri Salisburgen. b II. 30. saec. 15. M. — Die Varianten von A fehlen leider.

2 a. 2 Redemptoris ecclesia C. — 2 b, 1 et patriarchae fehlt C.; Haec regina L. — Nach 2 b, 2 folgt: Orta ex alto genere, summum genus digna gignere M. — 4 a, 1 radix et stirps BL. — 5 a, 2 per quod mundus C. — 5 b, 1 Hic est puer G. — 6 a, 2 ex qua Dei CM. — 7 b fehlt B. — 8 a, 2 deitatis gloria B; deitatis gratia L. — 8 a, 4 cingat nunc memoria BM. — 8 b, 1 Cum pro GHL; Nunc pro BM. — 8 b, 2 rogetis B. — 9 b, 1 Astante L; Astare BM. — 9 b, 2 unigenito pro eis L; vincto pro eis G. — Von 10 a, 1 an ist eine dreifache Recension vorhanden, nämlich aufser der vorstehenden in BM:

10 a. Ut in cena generali
Exultantes pariter

10 b. Et in veste nuptiali
Psallant tunc alacriter,

11 a. Ut cum sanctis in supernis
Fruamur donis aeternis

11 b. Et Maria necnon matre
Suo nato atque patre.

12. Istud Anna cum Maria
Nobis praestent prece pia.

In HIK dagegen:

10 a. Ut in cena generali
Et in veste nuptiali
Sponso psallamus pariter,

10 b. Ubi sempiternus cantus,
Ubi sanctus, sanctus, sanctus
Auditis aeternaliter.

11 a. Ibi pax et lux festiva,
Ibi rex omnis conviva,

11 b. Illic tecum manet Anna,
Ibi cantemus Hosanna.

Welche von diesen drei Lesarten ist die ursprüngliche? Von der ersten, der im Text, sagt Misset (Supplementum p. 184), sie habe ni rime, ni rythme ni construction grammaticale; es wäre zu wünschen, er hätte der Melodie einige Aufmerksamkeit geschenkt; er würde vielleicht bemerkt haben, dafs nur ein Text den Parallelismus derselben unverdorben läfst.

194. De sancta Anna.

1. Summi patris gratia

2 a. Coaeternum per filium
Vitae parans remedia

2 b. Incarnari constituit
Hunc de virgine Maria.

3 a. Quae cunctorum
per prophetarum
repromissa
diu praeconia

3 b. De sanctorum
patriarcharum
est exorta
genealogia.

4 a. Nam ipsius inclita
genetrix Anna,
Iesse stirpis propago
regia,
iusti uxor
Ioachim socia,

4 b. Sanctissimam genuit
natam Mariam
Gabrielis per verba
nuntia;
o aeterna
salutis gaudia!

5 a. Magna sunt sanctae
merita Annae,
Christus de cuius
natus est prosapia.

5 a. Crucis per mortem
qui vincens fortem
vitae redemptis
reseravit atria.

6. Cui cum patre spirituque
sancto par est et gloria.

Miss. ms. Sanblasianum anni 1491. Cod. Paulanus Sanbl. memb. 64. A. — Miss. ms. Constantiense anni 1510. Cod. Capit. Constantien. s. n. B. — Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. C. — Miss. Basileense imp. s. l. et a. D. — Miss. Constantien. imp. Basileae 1485. E. — Miss. Curiense imp. Augustae 1497. F.

1—4 a, 2 fehlen F. — 2 b, 2 intacta virgine E. — 3 a, 2 per fehlt A; per promissa BC. — 3 a, 3 prophetarum BC. — 3 a, 4 Diu fehlt C. — 3 b, 2 est exorta BC. — 3 b, 3 patriarcharum AB. — 4 a, 4 ff. fehlt bis Schlufs C. — 4 b, 1 Sanctissima AB. — 5 b, 4 reserat ADEF. — 6, 2 et fehlt DE. Vergl. Roman. Forsch. IV, 514.

195. De sancta Anna.

1 a. Omnis mundus
Decantet et sit iucundus,
Alleluia.

1 b. Nova festa
Nunc assunt sed diu gesta,
Res miranda.

2 a. Virga Iesse produxit,
De qua Christus illuxit,
Sol de stella.

2 b. En, dilecti pariter
Vixerunt feliciter
Fide clara.

3 a. Tandem illis visio
Monstratur ab angelo
Pari forma.

3 b. Crediderunt nuntio,
Nec horum devotio
Fit corrupta.

4 a. Post haec Anna credidit
Et Mariam peperit
Valle nostra,

4 b. De qua Christus nascitur.
Eius lacte pascitur
Carne sumpta.

5 a. Iste Dei filius
Missus erat caelitus,
Sed hunc plebs Iudaica
Damnat caeca.

5 b. Inde crucifigitur,
Lancea perfoditur;
Fecit haec per delicta
Plebs praedicta.

6 a. Iesu, nos adiuva
Cum matre Maria,
Educ de valle
hac misera

6 b. Ad caeli gaudia,
Ubi tu cum Anna
Regnas et matre
puerpera.

Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. — 2a u. 2b umgestellt. — 6b, 3 et mater. — Melodie natürlich: Laetabundus.

196. De sancta Anna.

1 a. Anna, mater gloriosa,
Stella micans pretiosa,
Salutis initium.

1 b. Concepisti modo miro
A Ioachim tuo viro
Salvatricem omnium.

2 a. Nostra salus fit puella,
Quam in tua Deus cella
Reclusit pro homine;

2 b. Tu naturae contra ritum
Fetum nutris inauditum
Caelesti spiramine.

3 a. Ave, cuius viscera
Contra iuris foedera
Ediderunt filiam;

3 b. Ave, carens simili,
Mundo diu flebili
Dedisti laetitiam.

4 a. Ave, virtutum lucerna,
Per quam fulsit lux superna
His, quos umbra tenuit.

4 b. Ave, mater, de qua nasci
Et de cuius lacte pasci
Virgo dulcis decuit.

5 a. Ave gemma,
caeli luminarium,

5 b. Ave, sancti
spiritus sacrarium.

6 a. O quam mirabilis
Atque laudabilis
Haec est maternitas,

6 b. In qua per angelum
. . mirificum
Fulget fecunditas.

7 a. O quam sancta, quam serena,
Quam benigna, quam amoena
Felix Anna creditur,

7 b. Per quam servitus finitur,
Porta caeli aperitur
Et libertas redditur.

8 a. O puritatis lilium,
Placa matrem et filium,
Qui caput est humilium,

8 b. Ne nos pro nostro vitio
In flebili iudicio
Subiciat supplicio.

9. Sed nos sua sancta prece
Mundans a peccati faece
Collocet in lucis domo;
Amen dicat omnis homo.

Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1497. A. — Miss. Bisuntinum imp. Venetiis 1551. B.

197. In Inventione s. Annae.

1 a. Ad honorem Dei patris
Celebretur Annae matris
Votiva memoria,

1 b. Eius quoque filiarum
Recolantur beatarum
Festiva sollemnia.

2 a. Materteras [tres] luminis
Regis veneretur nostri
Devota celebritas,

2 b. O quam felix, quam serena,
Triplicata luce plena
Coruscat festivitas.

3 a. Castitatis casta cella,
De qua maris orta stella
Lucet mundo celebris,

3 b. Per quam vidit magnam lucem
Et adesse Christum ducem
Plebs sedens in tenebris.

4 a. Felix fuit mater Anna,
Nobis pluens dulce manna,
Dum Mariam genuit,

4 b. In qua puer nobis natus,
Est filius Dei datus,
Nobis salus adfuit.

5 a. Anna mater tres maritos
Virtutibus insignitos
Habuisse creditur.

5 b. Et de tribus tres Marias,
Sanctitate plenissimas,
Peperisse legitur.

6 a. Haec Ioachim, sponso primo,
Post Cleophae datur bino
Salomaeque tertio;

6 b. Istos trinos genitores
Habuerunt tres sorores
Divino iudicio.

7 a. Prima soror Ioseph nupta
Virgo manens incorrupta
Per aeterna saecula;

7 b. Desponsatur et Alphaeo
Bina, trina Zebedaeo
Coniugali copula.

8 a. Naturali suo more
De Iacobo fit minore
Praegnans soror altera,

8 b. Sed maiorem trina fudit
Et Iohannem non excludit
Felix haec puerpera.

9 a. Hae sunt, quae ad monumentum
Unctionis complementum
Ferunt aromaticae.

9 b. Magdalena cum matronis
Istis resurrectionis
Praeco fit dominicae.

10 a. Quae dum volunt introire
Et sepultum invenire,
Quem credebant mortuum,

10 b. Has angelus sic dixerit,
Dicens: Christus iam surrexit,
Ecce locum vacuum.

11 a. Ergo matrem atque natas
In hoc festo tam beatas
Colamus assidue,

11 b. Ut caelorum super sedes
Claritatis nos heredes
Faciant perpetuae.

12 a. Anna, mater gloriosa,
Puritatis fragrans rosa,
Parens tantae subolis,

12 b. O sacrarum par sororum,
Nos in regno beatorum
Iungite caelicolis

13. Per aeterna saecula.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 2a, 1 Materterae. — Auf Strophe 10b folgt noch:

Non oportet vos timere,
Vobis enim dico vere:
Surrexit a mortuis.

Da diese Strophe kein Parallelglied enthält, so ist dieselbe entweder eine Interpolation, oder die Antistrophe ist ausgefallen. Wahrscheinlicher dürfte ersteres der Fall sein, da der Gedankenfortschritt durch Auslassung der Strophe nicht gestört wird.

198. De sancto Antonino.

1. Celebranda
praeclari martyris
tropaea

2 a. Redimit hodie
anni orbita,
quem genus exornat
sanctaque vita.

2 b. Nobilis etenim
stirpe regia,
nobilior fide
propter opera,

3 a. Eruditus denique
lege sacra
doctores habuit
magnos in ecclesia.

3 b. Ordine, moribus,
vita, gratia,
quae non discreparent
a lege catholica.

4 a. A quibus, factus levita,
missus erogare semina

4 b. Multorum rigat arida
fluento perenni pectora.

5 a. Patrat miracula,
pellit daemonia,
fugat cuncta vitia.

5 b. Sic Romae propinqua,
sic et plura loca
visitat in Gallia.

6 a. Confessio pretiosa
sanctum Christi militem
vexit ad caelestia.

6 b. Nam pro fide catholica
caesus caput plectitur
in castro Appamia.

7 a. Cuius ut una
cruor stillavit in fluenta
gurgitis in fundo
adnexus lapidi,
non est lapsus cum aqua.

7 b. Ilic, hic, natura,
hic amisisti tua iura,
liquidum liquido
nequis confundere,
sicut eras solita.

8 a. Famulatur subinde
sors angelica,
quae caput susceperunt
in navicula
et sub aquilarum forma
vati nobili
praebent sancta pignora.

8 b. O res mira, res nova,
res inaudita,
quae sibi contigisse
stupet natura,
retrograditur carina,
quamvis humana
desint adminicula.

9 a. Corpus in frusta
caeditur multa,
gurgitis spargitur
in fluenta,
sed nihil proficit
invidia.

9 b. Compage sua
nectuntur membra,
corpori redditur
forma sua,
siccum remanet
in arena.

10 a. Mirandis succedunt miranda,
quia cursum suspendit unda,
sceleris pro vindicta
tendit in Appamia,
diruit aedificia.

10 b. Stupens ergo tot miracula
ad se gentilis plebs reversa
vana spernit idola
et ad fidem conversa
baptismo lavit crimina.

11 a. Sic operatur vis divina,
frumenti granum sorbet terra,
ex eo subcrescit seges multa,
quae cum summa laetitia
sancti martyris levat pignora.

11 b. Levatur corpus ex arena,
levatur sanguis clausus petra,
Iohannes et Almachius una,
et sociat sepultura,
quos iunxerat fides et opera.

12 a. O Antonine inclite,
o martyr sancte,
o pastor et fortis athleta,
o doctor bone, tua
deposcimus suffragia,
tibi iunge nos
in caelesti curia.

12 b. Tibi sanctorum agmina
congratulantur
de tibi collata gloria,
caelestis aula summa
tripudiat laetitia,
et praesens tibi
supplicat ecclesia,

13. Cui locum impetra
in sempiterna gloria.

Miss. Tolosanum imp. s. l. anno 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 2a, 1 Redemit AB. — 8a, 6 vali B.

199. De sancta Apollonia.

1 a. O felix Apollonia,
Quanta te suspiria
Pulsant, quae innumera
Sustulisti verbera.

1 b. Tu caeli freta iubilo,
Prona sis auxilio
Tuis, virgo, famulis,
Qui te colunt precibus.

2 a. Gratiarum stipendia
Porrige certantibus
In valle lacrimosa,
Ut luce beatitudinis
Fruamur copiosa.

2 b. Superorum stipendia
Adhibe gementibus
Tua per suffragia,
Quos carnis aestuat stimulus,
Colona olymporum.

3 a. A dolore dentium,
A languore mentium
Tu serva vernantes,
Ne laudum vota
Irrita fiant per
contraria.

3 b. Ut calore spiritus
Inflammatus promptior
Sit noster conatus
Neumarum novas
Ad pangendas odas
in patria.

4 a. Ad amoena paradisi
Nos transferre satage,
Quo Seraphim et Cherubim
Sanctus clamant iugiter.

4 b. Quo iubilo melliflua
Modularis carmina,
O felix Apollonia,
Nobis assis in hora

5. Ultima.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. C. — Form und Haltung bekunden hinreichend die liturgische Sequenz.

200. De sancto Augustino.

1 a. Cedrus alta Libani,
Valle de Gethsemani
Surgens impinguata,

1 b. Vox clamantis, organi,
Chori, tubae, tympani,
Vox articulata,

2 a. Turris fortitudinis,
Vallis pulchritudinis
Flore picturata,

2 b. Speculatrix numinis,
Aquilini luminis
Avis sublimata.

3 a. Augustino verius,
Si legis interius,
Haec sunt comparata;

3 b. Intellecta dulcius
Sapiunt sapidius,
Haec exenterata.

4 a. Virtus cedri penitus
Serpentinos halitus
Fugat odorata:

4 b. Augustini spiritus
Redolens divinitus
Necat venenata,

5 a. Inaequalis Arrii,
Turbidi Sabellii
Verba toxicata,

5 b. Impii Nestorii,
Tumidi Pelagii
Dicta scelerata;

6 a. Verbo frangit, diruit,
Dissipat et destruit
Veritas armata;

6 b. Haeresis occubuit,
Per hunc cito corruit
Fraus inaniata.

7 a. Prima patrum regula
Vetus per hunc cartula
Fuit restaurata.

7 b. Dulcis eius fistula
Concinit, ut singula
Sint communicata,

8 a. Amor et concordia
Et oboedientia
Simul foederata,

8 b. Pariter sint paria,
Pereant disparia,
Paritas est grata.

9 a. Ergo, praesul praesulum,
Veritatis speculum,
Mens elucidata,

9 b. Auge Christo populum,
Nomen notat cumulum,
Res sit augmentata.

10 a. Custos gregis, adveni,
Pastor, oves praeveni,
Serva commendata;

10 b. Augustine, subveni,
Precibus interveni,
Duc nos ad optata.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 6 b, 2 hunc vita corruit.

201. Votivalis prosa Aurelii Augustini.

1 a. Concors sono
Patrono
Decantet vita
Alleluia.

1 b. Surda aspis
Fit iaspis
Ex Basan cita,
Res miranda.

2 a. Ut audit sanctum, mente
Augustinus fit lente
Sol de stella.

2 b. Quem dum sacer fons novat,
Pia genetrix ovat
Semper clara.

3 a. Ut fert verbum fidei,
Haeresis Manichaei
Fit corrupta.

3 b. Cibum mandit grandium,
Quo fit pars humilium
Carne sumpta.

4 a. Triginta nec non mille
Libros dictavit ille
Valle nostra,

4 b. Per quos ad caelos ille
Nos transferret tranquille
De valle taetra.

5 a. Coaequalem filium
Patri probat, Arrium
Quo confutat devium
Mente caeca.

5 b. Miser, miser Arrius!
Quia fide dubius,
Crepuit hic medius
Post praedicta.

6 a. Dulcis Augustine,
Finem culpae trinae
Fer, ne simus
gens misera.

6 b. Mente, verbo, opere
Munda nos propere,
Dans, quem genuit
puerpera.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhus. s. n. — Melodie offenbar: **Laetabundus.**

202. De sancto Augustino.

Infra Pascha et Pontecosten.

1. Incliti doctoris laudes
intonent christiani

2 a. Augustini, qui oves
lapsas reduxit patri,
vita, verbo docens
peccatores.

2 b. Mors et vita duello,
conflixere mirando,
errore mortuus
dum fit vivus.

3 a. Dic nobis, quo pia
Tanta tibi sophia?
Sub ficu iacens dum flebam,
„Tolle, lege“ intus
audiebam.

3 b. Ad caelicam vocem
Aperui codicem;
Mox luxit Christus, spes mea,
Infusa veri luce
serena.

4 a. Credendum est magis tuae
doctrinae veraci,
Quam perfidorum
sectae fallaci.

4 b. Scimus Christum te sumpsisse
ad superos vere;
Tu nobis, pater,
dux, miserere.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusense anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 3301. saec. 16. B. — 3a. 1 qua B. — 3a, 4 lege cantus A. — Melodie: Victimae paschali.

203. De sancto Augustino.

1 a. Augustino laudes demus,
Augustini qui gaudemus
Meritis et gloria;

1 b. Clerus ipsum veneratur.
Per quem cleri sublimatur
Dignitas et gratia.

2 a. Hic est Augustinus pater,
Quem seductum pia mater
Et secutum devia

2 b. Post innumeros errores
Ad virtutum traxit mores
Per multa suspiria.

3 a. Hic est ille vir beatus
Die nocte meditatus
In lege dominica.

3 b. In quo veritas laetatur,
Per quem semper obpugnatur
Pravitas haeretica.

4 a. Iste pater clericorum,
Forma regularium
Et exemplar est cunctorum
Sub norma degentium;

4 b. Iste rivus sacri fontis
Rigatoris mentium,
Hic est collis eius montis,
Qui mons exstat montium

5 a. Ecce, palmes vitis verae
Multum fructum adferens;

5 b. En, Israelita vere
Nullum dolum proferens.

6 a. Qui de servo fit amicus,
Quem non laedit inimicus
Qualibet iniuria;

6 b. Qui talentum duplicavit,
Duplicatum reportavit
In regis praesentia.

7 a. Tu vectis imputribilis,
Intromissus in circulis,
Ut portes arcam foederis,

7 b. Et mensa reflexibilis,
Divini panis fertilis,
Id est verbi et operis.

8 a. Tu fiala, tu cyatus
Candelabri, tu calamus
Auri fulgore rutilus,

8 b. Et tuba tabernaculi
Convocans coetum populi
Audire iussa Domini.

9 a. Tuque reclinatorium
Salomonis mirificum
Et sedes sapientiae,

9 b. Tu columna argentea
Sustentans aedificia
In figura ecclesiae.

10 a. Tu lapis aedificii
Illius Salomonici,
Hoc est templi dominici,

10 b. Qui quadratus ad regulam
Perornas Christi fabricam,
Catholicam ecclesiam.

11 a. Pane vitae satiatus,
Salutaris debriatus
Aqua sapientiae.

11 b. Iam per terras veneraris
Et in caelis adornaris
Stola innocentiae.

12 a. O caeli luminarium
Et vas sacrarum artium,
Doctor doctorum omnium,

12 b. Fer clero patrocinium,
Sis clericis refugium,
Ne fiant in opprobrium.

Miss. Gebennen. imp. Gebennae 1498. A. — Miss. Gebennen. imp. Lugduni 1521. B. — Miss. Lausannen. imp. Gebennae 1522. C. — 1 b, 3 clerus AB.

204. De sancto Augustino.

1 a. Corde, voce Deum laetus
Semper laudet noster coetus;
Eius beneficio,

1 b. Augustine, tuam normam,
Regularis vitae formam,
Assumpsit religio.

2 a. Hanc fervore primitivo
Pulso procul sub nocivo
Fasce torpens glacies

2 b. Opprimebat ad defectum,
Nec spondebat hinc profectum
Vernalis temperies.

3 a. Imminebat iam securis
Intentando perituris
Ruinosum terminum;

3 b. Augustinus se opponit,
Placat iram et adponit
Salutarem cophinum.

4 a. Clericalis vitae scita
Docet verbo, docet vita,
Dignam scribens regulam,

4 b. Dum fervore sanctitatis
Et amore paupertatis
Sese praebet formulam.

5 a. Datur imber temporinus,
Disciplinae manat rivus,
Rigantur areolae;

5 b. Promunt lilia candorem,
Rosae gratum dant ruborem,
Purpurescunt violae.

6 a. Cedit languor oppressivus,
Regnat vigor redivivus
Et floret in clericis;

6 b. Fiunt sanctum Dei templum,
Dum vivendi dant exemplum
Prout debent laicis.

7 a. Ira Dei iusta quidem
Per prophetam dixit pridem:
Clerici non proderunt;

7 b. Augustino praedicante,
Prophetiam iam vocante,
Dignos fructus proferunt.

8 a. Augustinum, decus cleri,
Clerus omnis intueri
Debet tamquam speculum;

8 b. Decor cuius renitentis
Tergit vultum intuentis
Et permundat oculum.

9 a. Cuius vita nos reformat,
Lingua Deo nos conformat.
Qui vocamur clerici,

9 b. Qui iactura sanctitatis
Et antiquae dignitatis
Merebamur proici.

10 a. Ergo laudes demus ei,
Per quem nobis tanta Dei
Promulgatur gratia,

10 b. Ut doctore tanto freti
Mereamur tandem laeti
Caeli frui gloria.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. s. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Miss. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Hagen. I 10. B. — 10 b. I doctori B.

205. De sancto Augustino.

1 a. Exsultet plebs catholica,
Cum regna scandit caelica
Augustinus.

1 b. Laetificat ecclesiam,
Caelestem ornat curiam
Augustinus.

2 a. Ab errorum laqueis
Liberatus,
Piae matris lacrimis
Est renatus
Augustinus.

2 b. Gaudium Ambrosii
Est impletum,
Cum se subdit fidei
Mansuetum
Augustinus.

3 a. Pestem fugat Arrianam,
Destruit Sabellianam
Augustinus.

3 b. Manichaeam pravitatem
Delet, docet veritatem
Augustinus.

4 a. Bellator fortissimus,
Miles invictissimus,
Hostes Christi detegit
Augustinus.

4 b. Clipeus muniminis,
Turris fortitudinis,
Cives suos protegit
Augustinus.

5 a. Imitatus primitivam
patrum formam
Reformare sacram studet
vitae normam
Augustinus.

5 b. Quod terrenis praeponenda
sint divina,
Tam exemplo monet fratres
quam doctrina
Augustinus.

6 a. Novo privilegio
Adhaesit Valerio
In sublimi culmine
Augustinus.

6 b. Faustus victus deficit,
Fortunatum deicit
Publico certamine
Augustinus.

7 a. Universam pellit
Pravorum perfidiam,
Haereses expellit,
Confirmat ecclesiam
Augustinus.

7 b. Corde diligenti
Sacris instat literis,
Novi testamenti
Scrutator et veteris,
Augustinus.

8 a. Mille voluminibus
Et librorum milibus
Distinctis codicibus
Fulget ut sol inter astra
Augustinus.

8 b. Signorum frequentia
Certa dat indicia,
Quanta fulget gloria
Super alta caeli castra
Augustinus.

9 a. Pater laudabilis,
Praesul mirabilis,
Nobis sit placabilis
Augustinus.

9 b. Suam familiam
Per Dei gratiam
Perducat ad patriam
Augustinus.

Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. B. — Brev. Caesaraugustan. imp. Venetiis 1496 C. — 2 a, 4 regnatus A. — 4 a, 1 Zelator A. — 5 a, 3 reformaret A. — 6 b, 1 Fastus AB; devictus C. — 8 a, 4 ut fehlt BC. — 8 b, 4 Super caelis astra BC. — 9 b, 1 Tuam BC.

206. De sancta Barbara.

1. Laus tibi, Christe,
qui res rerum et naturas
ducis et figuras;

2 a. Mirum non miraris,
quod miramur
nos sedulo,

2 b. Quia perscrutaris
renes, corda
in singulo.

3 a. Qui contra gregem
malignum
feminam fragilem

3 b. Ad veram legem
serasti
in mente stabilem.

4 a. Fecit fenestram
in patris iram
Barbara,
superatrix barbarorum,

4 b. Trina fenestra
in trinitate
de Deo
docens fidem beatorum.

5 a. Formulam generis
praeclari dum conderet
turris in arcano,

5 b. Iubilans ad Deum
et latens non latuit
constans corde sano.

6 a. Minarum strepitus
non horruit,
poenarum ictibus
se praebuit,
exsultans in poena,
spernens idola
haec virgo nobilis.

6 b. Hanc tortor addidit
ergastulo,
quam sanam invenit
de stimulo,
angelus pincerna
lucem obtulit
nuntius humilis.

7 a. Haec est filiola,
quae tibi placet,
o patris sapientia,

7 b. Nata discipula
felicissime
ad caeli fausta praedia.

8 a. Patris carnalis
spernens mandata
est patrem caelicum
imitata.

8 b. Nec blandimentis
neque tormentis
a Christo exstitit
segregata.

9 a. Virgineum
latus datum
lampadum flammatis facibus,

9 b. Vim virorum
per cor gratum
tulit virtuosis viribus.

10 a. Pessima crudelitas
tortorum gladio
decus mamillarum
amputabat
pudico corpori,

10 b. Et nuda virginitas
regis perfidio
veste privabatur,
cessit ibi
decus dedecori.

11 a. Sed candens cito
condidit hanc stola,
fuit angelus hic verna.

11 b. Cursu finito
patre decollata,
regna scandit ad aeterna.

12. Rex regum, dives in omnes,
nos salva gubernando
nos cum sancta Barbara,
sanctorum spes et gloria.

Grad. ms. Cranenburgense anni 1340. — Mel.: Laus tibi Christe, qui es creator (Godescalcus Lintpurgensis).

207. De sancta Barbara.

1 a. Ave, fulgens martyr Christi,
Aromatum exstitisti
Summi regis cella.

1 b. Barbara, dum credidisti,
Patris idola sprevisti,
Flagrans Dei stella.

2 a. Castus sponsus te dilexit
Teque sibi sic adnexit,
Ut sis eius socia.

2 b. Domum patris, quam fundasti,
Trina luce illustrasti
Trinitatis gratia.

3 a. Eia, mundum superasti,
Patris iram non curasti
Quaerentis te invenire.

3 b. Figuram tu trinitatis
Patri narras verbis ratis
In praesenti tempore.

4 a. Gaudet nunc turba caelica,
Arma sumit bellica
Virgo puerilis.

4 b. Haec est patris confusio,
Deorum illusio,
Dum certat subtilis.

5 a. Induitur cilicio
Ad carnis detrimentum,
Conspuitur (in) supplicio,
Gratiae augmentum
Suscepit piissimum.

5 b. Karissima haec nobilis
Rosa sine spina,
Castissima nec mobilis,
Ut de Engadina
Vinum est dulcissimum,

6 a. Luce divina
in caritate grata;
Insanus, profanus
Prece nolens carae gnatae
Mite in flagitio.

6 b. Maximiano
[crucianda] tradita,
Haec expoliata,
Discerpta, est praeparata
In Dei servitio.

7 a. Nudata, crine tecta,
Porta recta, lecta, vecta
Ad Uriel,
Quae fit fortiter Ariel
In luctu certaminis.

7 b. Omnibus gratiosa
Rosa, prosa, glosa ora
Et formosa,
Super multas virtuosa
Dono Dei flaminis.

8 a. Pastor mutatus
Tunc in saxum,
Oves fiunt locustae.
Haec fecit Deus
Clamans „Pax sum“,
Qui honeste et iuste
Punit pro excessibus.

8 b. Quatiata,
Multa passa
Firmam tenebat mentem,
Confortata
Pacis massa,
Quae docet Dei gentem
Ire piis gressibus.

9 a. Regi regum copulata,
Postquam virgo copulata;
Cum patris iuvamine

9 b. Sacra pneumatis in unda
Filia suscepit munda
A malo spiramine.

10 a. Tu. virgo. debes Dominum
Reis conciliare
Atque manna caelicum
In fine procurare
Contra robur daemonis.

10 b. Virgo. in mammis offensa
Deum semper colis
Et in flammis tu immensa
A zabulo doles,
Ebur Salomonis.

11 a. Xristum, virgo, canis laetum,
Qui absterget omnem fletum,
Quae non curas malum metum.
Nos perduc ad eum tecum,
Qui est super sidera.

11 b. Yesse florem invenisti,
Ancorae spei adhaesisti,
Cosmi chaos respuisti,
Calanxiam didicisti,
Quae ducit ad aethera.

12. Zyma Babel aufer laete,
Ne nos prendat Dagon rete,
Qui praesumunt semper de te.
Senem, natum, flamen pete,
Ut festinet ad conductum
Nostrum auferensque luctum.
Ut det ferre pium fructum
Tecum laete post examen,
Fiat, fiat, Amen.

Cod. Wernigeroden. Zu 22 m. saec. 15. — 1 b, 1 Barbara Deo credidisti. — 2 b, 3 Tu trinitatis. — 4 a, 1 Gaudeat. — 6 a, 3 Insanus fanus. — 6 b, 4 Nervis crudis discerpta etc.; stört jede Symmetrie. — 7 a, 1 Nudata trina tecta. — 8 a, 1 sq. Pastor tunc mutatur in. — 8 b, 5 De pacis. — 9 b, 1 Sacra pneuma fit in unda — 10 a, 2 Reos hic illustrare? unleserlich. — 10 a, 5 robur hamonis. — 10 b, 3 tu mensa. — 10 b, 4 In sabulo solis. — 11 a, 1 carnis letum. — 11 a, 4 ad eius tecum. — 12, 1 aufer nunc lete. — 12, 2 prendet. — 12, 7 det chere pium. — Auch die manchen Emendationen lassen den schrecklich verwilderten Text kaum genießbar werden.

208. De sancto Bartholomaeo.

1. Psallat, concinat vox
Eia.

2 a. Sion sancta
Laetabunda
Promat Christo cantica;

2 b. Cleri chorus
Christi totus
Pangat vocis organa;

3 a. Plebs devota
Mente tota
Sumat haec sollemnia;

3 b. Omnis coetus
Rite laetus
Plaudat in laetitia,

4 a. Venerando
Et laudando
Superna magnalia.

4 b. Praesens festum
Omne maestum
Pellat ab ecclesia;

5 a. Quo Bartholomaeus,
Summi Dei servus
Subiit caelestia,

5 b. Sicut orbis totus
Christi morte lotus
Credit fide sobria.

6 a. Iste Christi nomen
Portans verbi lumen
Diffudit in India.

6 b. Per hunc universa
Plebs ibi conversa
Dereliquit idola.

7 a. Astaroth immundus
Quasi verecundus
Amavit silentia;

7 b. Auxit turba poenas
Ferro secans venas,
Quassa fuit victima.

8 a. Berith nondum mutus,
Sed vix tamen tutus
Dat missis indicia;

8 b. Post carnis candorem
Et vestis nitorem
Signa pandit propria:

9 a. „Vox est“, inquit, „quasi tuba,
Mediocris est statura,
Ante lustra quinque facta
Integra sunt sandalia,

9 b. Nasus aequus, nigra coma;
Quae praedico vobis verba,
Iam praenovit arte mira,
Sic mens eius est praescia“.

10 a. Daemon vociferans,
Per turbas properans
Nec sibi moderans
Senatorem nominat.

10 b. Vox apostolica
Confundens hostica
Virtute caelica
Spurcum hinc eliminat.

11 a. Mox regalis filia
Sedata saevitia
Redditur innoxia;

11 b. Astaroth corruerat,
Fidem rex acceperat,
Baal casum fecerat.

12 a. Diri pectus Astriagis
Torquetur invidia
Propter deos furens magis
In sancti supplicia;

12 b. Christi carum condemnavit,
Immittit ferocia,
Diu caesum mox necavit
Colla truncans placida.

13 a. Athleta fortissime,
Nostras voces suscipe
Assumptus in aethera.

13 b. Pietate solita
Te poscentes adiuva
Conscendere supera,

14 a. Ubi Christo perennia
Solvamus praeconia,

14 b. Cui cum patre gloria
Semper est per saecula.

15. Amen dicant omnia.

Tropar. ms. Dertusense saec. 13 in. Cod. Capit. Dertusen. s. n. A. — Miss. ms. Valentin. anni 1417. Cod. Capit. Valentin. s. n. B. — Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. C. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. D. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. E. — 1, 1 concina DE; plebs A. — 2b, 1 sq. Clericorum Christi chorus A. —

2b, 2 Christi thorus DE; wahrt freilich reinen Reim, aber derselbe ist oft (2a; 5a; 6a; 9a; 9b; 13b) nicht genau beobachtet. — 3b, 2 Intellectus BC. — 4b, 2 Omnem A. — 5a, 3 Petiit D. — 5b, 1 sq. Cuius verbo docta | Christi pars electa BCD. — 5b, 3 Credidit D. — 6a, 1 numen D (cfr. Note zu 2b, 2). — 7b, 1 Ivit B, Quit et C, Luit D, Fuit E; tuba A. — 7b, 3 Cassa ABCDE. — 8a u. 8b umgestellt E. — 8a, 1 Gerit B; Beerit D. — 8a, 3 missis India BC. — 9a, 1 est eius quasi BCDE. — 11a, 2 Sed data A. — 11b, 3 cassum DE. — 12a, 1 Dirum BCE. — 12b, 2 Immutata BC; Immitti D. — 13b, 2 Reposcentes AB. — 13b, 3 superna B. — 14a, 1 Tibi Christo per omnia DE. — 14b, 2 Semper in saecula BC. — 15 fehlt A; vielleicht späterer Zusatz.

209. De sancto Bartholomaeo.

1a. Laudes Dei filio,
Qui nos ab exsilio
Duxit, celebremus,

1b. Dulcis vocis iubilo
Nos in cordis nubilo
Christo iubilemus.

2a. Qui ditavit hunc patronum,
Tam sollemnem, tam decorum
Celebri memoria,

2b. Huius nobis summi bonum
Et consortium sanctorum
Conferat victoria.

3a. Hic est una nubium
Per caelos volantium,
Dei pluens gratiam,

3b. Hic est lumen Indicum,
Hic est caelum inclitum
Dei narrans gloriam.

4a. Unde, diri quos infecit
Hostis virus, hic refecit
Rore sancti spiritus,

4b. Ut insana gens sanetur,
Profiteri non veretur
Verbum missum caelitus.

5a. Cuius verbi per virtutem
In credentium salutem
Astaroth obmutuit,

5b. Alter horridus aspectu
Daemon palam in conspectu
Gentium apparuit.

6a. Ut hoc viso gens confusa,
Deo suo gens delusa,
Deum verum coleret,

6b. Daemon idem quos ligavit,
Dei servus liberavit,
Qui nos quoque liberet.

7a. Hic, quem verbo praedicavit
Deum verum, adfirmavit
Operis sequentia,

7b. Nam pro Christo promptus mori
Corpus suum dat tortori
Magna cum laetitia.

8a. A quo dure flagellatur,
Decollatur, immolatur
Deo placens hostia;

8b. Pro morte tam gloriosa
Datur merces copiosa,
Sempiterna gaudia.

9a. Ergo nos exaudi, Deus,
Per quem tot Bartholomaeus
Claruit miraculis,

9b. Tuo flatu nos fecunda,
Nos conserva, nos emunda
Scelerum a maculis.

10a. Da vi tanti nos patroni
Meritis caelestis throni
Simus in praesentia,

10b. Ubi fons et lux bonorum,
Ubi merces beatorum,
Ubi vera gloria.

Miss. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Mus. Cassovien. s. n. A. — Brev. ms. Francofurtense saec. 15. Cod. Wirceburgen. Mp f 85. B. — Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander 546. C. — 1b, 2 corde iubilo C, corde iubilo A. — 2a, 3 memoriam A. — 2b, 1 Huius BC. — victoriam A. — 3b, 1 lumen inclitum A. — 4a, 3 sancto A. — 4b, 2 non meretur ABC. — 5a, 3 Ascaroth A. — 5b, 1 aspectum A. — 5b, 2 palam cui B; conspectum A. — 6a, 1 Et hoc A; confisa C. — 6a, 2 divisa C. — 7b, 1 Iam pro B. — 8a, 1 duce B. — 8b, 1 Pro mente C. — 9b, 1 Quo datu A, falsche Initiale. — 10a und b fehlen C. — 10a, 1 Da in tanti AB. — 10a, 3 Ut sumus in A.

210. De sancto Bartholomaeo.

1. Vox sponsae sponsum excitet,
Ut sibi det
Psallere gaudenter.

2a. Quae nescit dolum,
Sola mater est iustorum;

2b. Iam digne solum
Laudet regem angelorum.

3a. Qui destinavit heredem,
Ut servum sanaret,

3b. Et praeparavit mercedem,
Ut electis daret,

4a. Et ex Hebraeis
Bartholomaeum
illustrem
Sociavit apostolis,

4b. Ut novae legis
Dux et auriga
salutem
Daret Indis et barbaris.

5a. Indiam ingreditur,
Astaroth confunditur,
Tacet nec loquitur.

5b. Hinc Berith exquiritur,
Qui formam apostoli
Prodit, qua noscitur.

6a. Barbarus saevit, Indus
fremuit,
. . . . . .
. . . .
Ut iustum
Ut sanctum
Edaci morsu disperdat
gens effera.

6b. Mirum, si bestiae dens
hebuit,
Et calor torvae mentis
friguit,
Blanditur,
Sopitur,
Incultus ager salutis
capit semina.

7a. Fulgent miracula,
Quae per te fiunt,
O patris sapientia;

7b. Cedunt daemonia
Et a te pereunt,
Cessat idolatria.

8 a. Maurus videtur,
Ne sibi detur
Ultra [id], quod Christo debetur;

8 b. Fides docetur,
Fons exhibetur,
Ut vetus homo renovetur.

9 a. Regni caput inclinatur,
Dum proles regia liberatur;

9 b. Nova mater elevatur,
Tenellus infans lacte cibatur.

10 a. Ut iubet apostolus,
Praesul fit Polemius,
Qui crescit in virtute,
Regna spernit Dei caritate.

10 b. Astries his invidus
In pios fit lividus,
Sanctum decoriari
Iubet et post a se trucidari.

11 a. Corpus defunctum
Fit dignissime sepultum,
Hinc basilica superfultum.

11 b. En, quia rubrum
Christi praeconis indumentum,
Qui dat lassis adiutorium.

12. Regnorum
Rex universorum,
Credentes sancti tui
Fac nosse suffragia
Per infinita saecula.

Grad. ms. S. Mariae Magdalenae Brunsvicen. saec. 13. add. saec. 14/15. Cod. Beverin. 683. A. — Miss. ms. Hildesheimense anni 1505. Cod. Guelfen. 33 (Helm. 30). B. — 2 b, 1 Nam B. — 4 a, 1 Ut B. — 4 a, 4 vocavit apostolum A. — 4 b, 1 Et B. — 6 b, 3 calor totus mentis B. — 7 b, 3 cessant B. — 9 b, 2 lacte nutritur. — 11 b, 3 lassis adiumentum. — „In prima translatione S. Bartholomaei“ B.

211. De sancto Benedicto.

1. Inclita
nobis haec dies festa

2 a. Patris nostri
detulit annua

2 b. Benedicti
Domini gratia.

3 a. Cuius amore puer
dereliquit
saeculi gaudia

3 b. In specu tribus annis
macerando
membra tenerrima.

4 a. Nam die quadam
daemonis impias
specie
avis commotas

4 b. Temptationes
superans spinea
vulnera
tractat dumeta.

5 a. Inter miracula,
quae fecit sublimia,
pater praeclarus
puerum
defunctum suscitat.

5 b. Spiritus rabies
immundi pestifera
nutu iubentis
effugit
obsessa corpora.

a Manu posita
parvulum quendam
liberat atra
ab elephantia.

6 b. Urbis moenia
spiritu sancto
iam praedixerat
hoste non casura.

a. Hic omnium
iustorum, plenus
spiritu, iugiter
fundat oramina,

7 b. Ut famulis
noxa repulsa
Dominus tribuat
dona perpetua

8. Benedicti gratia.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. A. — Grad. s. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. B. — 1, 2 nobis fehlt . — 4 b, 2 spineas A. — 6 b, 3 iam fehlt A. — 7 a, 4 fundit B. — 8 gloria B.

212. De sancto Benedicto.

a. Reveretur hodie
Canticis laetitiae
Fructus ventris Mariae
Benedictus,

1 b. Cuius lotus sanguine
Mundus est a sanguine,
Natus claro sanguine
Benedictus.

2 a. Vas solidans precibus
Fugit spretis opibus,
Ne pereat laudibus,
Benedictus.

2 b. Hinc in specu latitat,
Quo servire mactitat
Deo, cui militat
Benedictus.

3 a. Sic iustorum omnium
Ob virtutum meritum
Promeruit spiritum
Benedictus.

3 b. Monachorum legifer,
Pastor fit et signifer,
Fulgens vita lucifer,
Benedictus.

4 a. Quis stilus quaeve lingua
Referre quit omnia,
Quae fecit insignia
Benedictus?

4 b. Mortuos resuscitat
Multisque signis micat
In vita et post vitam
Benedictus.

5 a. Nunc regnat sine fine
Cum sanctorum agmine,
Vita, morte, nomine
Benedictus.

5 b. Cuius prece sedula
Mundat omni macula
Nos, qui est in saecula
Benedictus.

Oration. ms. Trudonense saec. 16 in. Cod. Leodien. 395. — Melodie edenfalls: Plebs devota psallite (s. Anal. IX, Nr. 192.).

213. In Ordinatione s. Bonifatii.

1 a. Laudes Deo, plebs fidelis,
Personare digne velis
Pio cordis iubilo.

1 b. Animeris ad concentus,
Quibus sacer sit intentus
Merso luctus nubilo.

2 a. In praesenti nempe festo
Neuma dignum fervens esto
Promere beatius,

2 b. Quod condigne celebratur,
Ut antistes cordinatur
Sanctus Bonifatius.

3 a. Ex praeclara stirpe fidum
Christi servum hunc Winfridum
Anglia genuerat,

3 b. Qui contempta mundi sorde,
Quem quaesivit toto corde,
Dei cultor fuerat.

4 a. Statu functus regulari
Sancte coepit conversari
Tactus sacris motibus;

4 b. Dilatavit Christi fidem,
Ad quam multos traxit idem
Divis fultos dotibus.

5 a. Bonis factis sic politus
Romam petit, accersitus
Summum per pontificem;

5 b. Quem ministrum et salutis
Papa dignae sic virtutis
Suscipit opificem.

6 a. Qui probatus, qui benignus
Et compertus vere dignus
Omni laude latius,

6 b. Archipraesul hinc est factus
Maguntinus nomen nactus
Inde Bonifatius.

7 a. Quem sic papa consecratum
Donis multis et ditatum
Legat ad Germaniam.

7 b. A culturis idolorum
Quam convertit, et errorum
Adimit vesaniam.

8 a. Sic fidelis iste verna
Multos ducens ad superna
Aeve beatificat;

8 b. Sic athleta fortis Dei
Plures sacras domos ei
Dotat et aedificat.

9 a. Inde multis illustratis
Et in fide solidatis
Frisiam adiverat;

9 b. Quo cum suis trucidatur
Et in caelis coronatur,
Dudum ut cupiverat.

10 a. Sancte pater, hinc nos audi,
Bonifati, tuae laudi
Promptos et memoriae,

10 b. Ut post huius vitam mundi
Sociemur laetabundi
Sempiternae gloriae.

Antiph. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hannoveran. I 101 a. Mit eigener Mel. — Ebenda eine Sequenz de S. Bonifatio: „Pretiosa mors sanctorum Plenam nobis etc., die inhaltlich de communi ist.

214. De sancta Caecilia.

1. Virgo devota cunctis,

2 a. Fave votis
plebis tuae indignis;

2 b. Tuis festis
promunt munia laudis.

3 a. Tu, casta matrona,
non fabularis
cum incerta persona.

3 b. A gentili sponso
spernis ferali
te donari persona.

4 a. Caecilia,
sponsi summi
subarrhata es annulo
Et angelicae
visionis
splendore coronam clara
meruisti.

4 b. Haec sponsalia
regis magni
signa sunt victricia,
Quibus hodie
redimita
supremis sequeris agnum
candidatum.

5 a. Qui gloriosa sorte *
sua redemit
* *
*
* *
Mortem amaram, *
usurpabat

*5 b. Iniuste sibi
gentes quae cunctas.
*
Tu sobria Christo,
quem mente tua

6 a. Caste portasti, nosmet

6 b. Fac laetare gaudiisque

7. suis mereri.

Cod. Vatican. Palat. (ol. Laurissen.) 833. add. saec. 10. — Titel der Sequenz „Adducentur“. — 3b, 1 A geniali sponso. — 4a, 6 corona. — 4b, 1 hat eine Silbe mehr, 4b, 3 eine weniger als die Parallelzeile; ein gleicher Überschufs ist 5a, 1 und 5b, 2.

215. De sancto Castore.

1 a. Sidus, ave, cella mellis,
Mentis tenebras et fellis
Plus purgans, fons optime.

1 b. Lux et opus tu ut stellae,
Castor, pietatis melle
Serenas sic animae.

2 a. More Ioseph Iesu duce
Castor fulsit, ut a luce
De sole puerpera,

2 b. Gignens luna velut solem
Castorem de patre prolem
Luce salutifera.

3 a. Sua, sese Christo dare
Castor coepit et occare
Claris probra moribus.

3 b. Auctum, Maximine, virum
Fama virtuteque mirum
Provehis ordinibus.

4 a. Fit divinis sociatus
Praeco Dei verbi gratus,
Via luxque tenebris.

4 b. Cardonum vir, virgo pudens,
Intrans eremique prudens
Cultor ovat latebris.

5 a. Mercator ei sal dirus
Nauta negat, cui vir mirus
Prece sedat flumina,

5 b. Sacrat quem mox morte caro
Per odoris signo claro
Flagrantis spiramina.

6 a. Gemmam clausit humus sanctam,
Visu pandit lucem tantam
Marcius hanc patribus.

6 b. Viomadus et a lare
Terrae transtulit hanc clare
Proprio cum laudibus.

7 a. Ecce, gleba salutaris
Fulsit signis sacra claris,
Lumen ut a tenebris

7 b. Nos ad te, vera sophia,
Ducat Castor, ubi via,
Lux es, vita celebris.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. — 1 b unverständlich; wohl verderbt. — 6 a, 2 ducem. — 6 b, 1 Vuiomandus.

216. De ss. Cosma et Damiano.

1 a. Rutilantis phoebi ortu
Dies sacra refulget,
In qua sancti martyres
Pro fide dimicantes
Tyrannorum diversa
Vicerunt supplicia.

1 b. Cosmas atque Damianus,
Incliti bellatores,
Parvipendentes omnia
Saeculi blandimenta,
Corpus dabant in mortem,
Adipiscerent ut vitam.

2 a. Laureati coronis
Aetherei splendoris
Modo laeti in caelis
Christum laudant cum angelis,
Qui talem semper suis
Dat coronam testibus.

2 b. Ad horum ossa inclita
Christi nitescit gratia
Aegris praestans varia
Morborum medicamina,
Caecis visum refundens,
Claudis gressum componens.

3. Hinc iam pronis mentibus
Illis preces fundamus,
Ut dignentur nobis Christum
Facere propitium,
Quem amabant, cum quo regnant
Nunc et in perpetuum.

Miss. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 337 b. — 1 a, 2 fulget. — 1 a, 5 Tyranni. — 2 a, 4 Christum collaudant.

217. De ss. Cosma et Damiano.

1 a. Chorus et vox, harmoniae
Novae vita concors piae,
Modulentur in hac die
Vocali concordia.

1 b. Haec est dies celebranda,
Summa laude veneranda
In sanctorum adoranda
Sollemni memoria.

2 a. Christus diem hanc beavit,
Qua patronos coronavit
Et martyrio ditavit
Praesentis ecclesiae.

2 b. Istos habet advocatos,
Quos scit morte laureatos
Et in caelis coronatos
Corona institiae.

3 a. Imitentur christiani,
Clerus, plebes et plebani
Cosmae atque Damiani
Miranda vestigia.

3 b. Qui sub flore iuventutis
Petentes ortum salutis
Sacris instant institutis
Praeventi ad gratiam.

4 a. Medicinae artis gnari
Remedio salutari
Consuerunt medicari
Gratis absque praemio.

4 b. Laude florent temporali,
Sed mercede spiritali
Munerantur, triumphali
Gaudentes martyrio.

5 a. In Aegea civitate
Idolorum vanitate
Cedata crudelitate
Coguntur decipere.

5 b. Quorum florem castitatis
Nec vernantis flos aetatis
Nec vis ulla vanitatis
Potuit illudere.

6 a. Flagellati, lapidati,
Sagittati, decollati
Et per multa cruciati
Tormentorum genera.

6 b. Torcularis in pressura
Faex deorsum sed vis pura
In sempiternum mansura
Manavit ad supera.

Miss. Gratianopolitanum imp. Gratianopoli 1532. — 3 a, 3 et Damiani.

218. De sancto Cyriaco.

1. Pangamus Christo laudes
voce, simul iubilo,

2 a. Qui natus pro nostra
pati salute voluit,

2 b. Mortuus, sepultus,
surgens ad caelos rediit,

3 a. In semet credentes
sperare
eadem docens gaudia,

3 b. Pro eius amore
si carnis
devincat desideria.

4 a. Hac primum spe incliti
corpora
morti dant apostoli,

4 b. Innumerus martyrum
sequitur
dehinc quos exercitus.

5 a. Micuit
ex his Cyriacus levita,
Qui nobilis
natu, sed fide atque signis
plus spectabilis enituit.

5 b. Nam Caesaris
natam Artemiam sanarat,
Quam spiritus
per multa iam tempora plena
crudeli[tate] vexaverat.

6 a. Tobia, Persarum
regis filia,
morbum compatitur similem.

6 b. Hic sanctus advenit
ac sola verbi
virtute sanam hanc reddidit.

7 a. Sed postquam haec et talia
fecit multa,
tentus cum Largo
et Smaragdo
compellitur
fidem negare catholicam.

7 b. Sed scelus fortis abivit
et perfusus
pice fervida
constans mansit,
tandem caesus
ense victor caelos petiit.

8 a. Exaudi, o
Cyriace,
cunctos tua
quaerentes modo
iuvamina.

8 b. Nosque Deo,
sancte, tuos
speciali
supplicatione
commenda famulos,

9. Ut post hanc
occiduam vitam
regni caelestis sede
frui valeamus.

Missale Wormatiense imp. s. l. et a. (1522.). — 8b, 1 Hosque. — 8b, 3 sq. supplicatione speciali. — Melodie: Mater.

219. De sancta Dorothea.

1 a. Agonista Christi fortis,
Dorothea, (in) hora mortis
Da solamen caelicum.

1 b. Castitatis florens rosa,
Prece canit speciosa
Clerus carmen mellicum.

2 a. Tu victrix Fabricii,
Te attigit supplicii
Nullus dolor; urget

2 b. Hanc, nec prece neque minis
Flecti potest a divinis,
Sed cor eius turget.

3 a. Haec triumphat in agone
Firma utens ratione,
Quae virgo constantissima,

3 b. Mittit rosas haec notario
Theophilo de viridario
Sub odore gratissima.

4 a. Virgo prudens et athleta,
Te subire mente laeta
Mortem non abhorruit,

4 b. Ut sis mater clericorum
Et solamen miserorum,
Quorum fames cor aruit.

5 a. Diris uncis lacerata,
Dorothea, [virgo] grata,

5 b. Carcere taetro allata,
Novem diebus non cibata.

6 a. Tu flagellis verberata
Demum exstas decollata
Ob argumenta fidei.

6 b. Ergo, martyr Dorothea,
Cor in nobis mundum crea
Ad aeterna provehi.

Miss. ms. Glogaviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 370. — 1b, 2 l. Pro te canit? — 3b, 2 Theophili. — 4b, 1 Ut sit. — 6b, 2 munda.

220. De sancta Dorothea.

1. Ave praeclara Dorothea,
A labis scoria nos bea
Puram mentem crea.

2 a. Euge, desponsata
Christo, beata
Senatorum nata,
Stirpe clara propagata,
Dorotheo patre,
Theodora matre.

2 b. Virgo Nazarea,
Urbs Caesarea
Te gignit, fetaris
Pneumate, dum baptizaris,
Azmina limaris,
Cor sincerum paris.

3a. Te plenam fide
Fabricius urget dire,
Gazas spondet immensas,
Ut thori socia
Adores idola.

3b. Tu, lignum vitae,
Parvipendis gazas rite
Velut fimum praefecti,
Spernis conubia
Christo subarrhata.

4a. Te agnum regem
Praeses trux confitentem
Tradit dolio,
Ferventi oleo
Exsultas tamquam balsamo
Sis peruncta.

4b. Tu nec furentem
Paves nec blandientem
Curas, miraclum
Astantum lustravit
Mentes, errore penitus
Expiavit.

5a. Hinc gentium
Multi gentilium
Convertuntur
Ad Dei filium,
Ex praestigio
Praeses hoc putans
Ergastulo recludi
Te iubet, custodiri
Abs alimentis,
Novenariis
Diebus educaris
Ab angelis.

5b. Hinc manna verum
Libas in tenebris
Ac caelitus
Pie consolaris;
Communionis
Esum da nobis,
Dum mortis instat hora,
Confessique contriti,
Christo nutriti,
Transferamur ad
Alta trabeatorum
Consortia.

6a. Fac fontem Christum
Te conservantem
E carcere ductam
Nos salvare.
Venustam te spectans
Pro tribunalique
Iubet impius
In eculeo
Te praeses exustari.

6b. Fac igni sancto
Idolo fuso,
Audito clamore:
Cur nos vastas
Insolito more?
Paganorum multis
Ad Christum versis
Per poenas facis
Hos caelo propinquari.

7a. Audi nos,
Uncis, scopis que
Virgis, flagris torqueris.

7b. Salva nos,
virgo, mamillis
Faculis adoleris.

8a. Dafontem, Christogermanas
Adiungens fuste caederis,
Munde respicere.

8b. Quo hausto plecti capite
Iuberis, rosas malaque
Mandas dirigere.

9. Christianismi
Fidem corroboras
Exorando
Pro invocantibus;
Ex huius incolatu
Saeculi fac nos
Ad te transire.

Miss. ms. Iaurinense anni 1476. Cod. Capit. Iaurinen. 539. A. — Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. B. — 1, 2 A fehlt B. — 2a, 4 Insigni stirpe A. — 2a, 5 sq. umgestellt A. — 2b, 1 Virgo mitis, pia A. — 2b, 4 Pneumate, lympha baptizaris A. — 3b, 1 Te A. — 3b, 3 Velud fumum A. — 4a, 2 Praeses mox A. — 4a, 3 Trucidat doleo A. — 4a, 6 Esses peruncta A; Sis uncta B. — 4b, 3 miraculum AB. — 4b, 4 Astantium lustrat B. — 4b, 5 errores B. — 4b, 6 Intus pavit A. — 5a, 4 Colentes Dominum A. — 5a, 8 Te fehlt B. — 5a, 11 Educans A. — 5b, 5 Nobis quaesumus A. — 5b, 6 Esum hunc praesta A. — 5b, 8 Confessi contritique B. — 5b, 9 Ipso nutriti A. — 5b, 10 Perducamur A. — 6a, 4 Nos salvare cum sincera fide A. — 6a, 5 Venusta spectans A. — 6a, 6 que fehlt A. — 6a, 7 impius fehlt A. — 6a, 8 In fehlt A. — 6a 9 speculari A. — 6b, 2 Idola B; concusso A. — 6b, 6 Paganorum milibus B; Milibus paganorum A. — 6b, 8 sq. Mundis labiis cordeque propinquare A. — 7a, 2 scopis B: fiscinulis A. — 7a, 3 Flagellis A. — 7b, 3 Faculisque A. — 8a, 1 Christum B. — 8a, 2 Adiunges A. — 8b, 3 Mittis Theophilo B. — 9, 2 corroborans B. — 9, 3 Exorans B. — 9, 4 Pro te B. — 9, 6 Saecli B. — Melodie: Ave, praeclara maris stella.

221. De sancta Elisabeth.

1 a. Decorata novo flore
Christum mente, votis, ore
Collaudet ecclesia;

1 b. Nova nobis lux illuxit,
Nova stella, quam produxit,
Nobilis Hungaria.

2 a. Elisabeth, stirps regalis,
Victis huius mundi malis
Migravit ad gaudia;

2 b. Illa quondam habens ratum
Velle patris et mandatum
Contraxit sponsalia.

3 a. Viro semper sic servivit,
Quod plus Christum concupivit
Quam carnis commercia;

3 b. Hoc defuncto tandem dote
Spoliata liti motae
Cessit, vendens omnia.

4 a. Aegros inde procuravit,
Nudis vestes erogavit
Quasi Dorcas altera:

4 b. Nocte stratum flens rigavit,
Eius carnem maceravit
Vestis pilis aspera.

5 a. Vitae cursum sic peregit,
Quod cum Christo modo degit
In aeterna gloria,

5 b. Pro qua Christus condescendit
Nobis, quibus nunc impendit
Multa beneficia.

6. Deo sit igitur,
Quo duce regitur
Praesens ecclesia,
Laus, honor, virtus et gloria.

Grad. ms. Strahoviense II O 1. saec. 16. A. — Miss. Praemonstrat. imp. Parisiis 1578. B. — Ohne Mel. A.

222. In Translatione s. Elisabeth.

1. Viduae virtuti canat,
psallat plebs christiana.

2 a. Polum, tellus, maria
Plaudent, et, Ungaria,
Simul ovans esto
In hoc festo.

2 b. Ex te proles exiit,
De qua salus prodiit
In hoc orbe multis
Fide fultis.

3a. Dic nobis suavis
De symphonia avis.
Prompsit voce tam iucunda,
Quod cecini mente
laetabunda.

3b. Dic, dic, quid vidisti
Post fletum, quod risisti?
Summe bonum cernens clare
Risi, non videns
flevi amare.

4a. O sancta Elisabeth,
Ipsum, qui omnia habet
Suo pugillo
Fixo sigillo,

4b. Qui portas mortis contrivit
Et regnat et vivit,
In omni hora
Pro nobis ora.

Miss. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselian. M. theol. Fol. 120a. A. — Miss. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselian. M. theol. Fol. 132. B. — 1, 1 virtute cana AB: l. virtute canae? — 2b, 3 In hac AB. — 4b, 1 Qui partes B. — Melodie offenbar: Victimae paschali.

223. De sancta Engratia.

1a. Gratuletur urbs Amoena,
Et exsurgat vox amoena
In laudes Engratiae.

1b. Donis plena non angusta
Refulget Caesaraugusta
Dono amplo gratiae.

2a. Rosa florens inter spinas,
Virgo o Engratia,
Quae spernis ducum ruinas
Et horum solacia;

2b. Te puellam generosam
Sequitur Lupercius,
Quam concernens virtuosam
Astabat sollertius.

3a. Ad tuum forte certamen
Currebat militia,
Quorum robur et conamen
Angebat iustitia.

3b. Hi sunt viri triumphantes
In hostili agmine
Et mire agonizantes
Pro Christi solamine.

4a. Hostes laxantur profani,
Dum necantur christiani,
Nec est certa copia;

4b. Ampliatur Iesu clerus,
Conturbatur princeps ferus
Ex posse inopia.

5a. Gloria Deo cantatur,
In excelsis intonatur
Dulci modulamine.

5b. Idola vana prostrantur,
Martyres sanctificantur
Supernali lumine.

6a. Ergo gaude, plebs devota,
Nec sit tua mens in rota
Huius orbis flebilis,

6b. Sed emitte cor in sursum,
Ne te premat dolor rursum
Atque mundus debilis.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraug. 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae, 1498. B. —

224. De sancto Erasmo.

1a. Sancto Erasmo
Psallat laetus iste coetus
Alleluia,

1b. Quem perfudit
Primo flore, laeto more,
Lux divina.

2a. Praesul signis claruit,
Quia pure coluit
Creatorem.

2b. Karolus quod fregerat,
Prece munda reparat
Ad vigorem.

3 a. Ad desertum evolat,
Nudus crucem baiulat
Salvatoris;

3 b. Ibi carnem macerat,
Ibi pugna superat
Vim ardoris.

4 a. Cum sic Christo militat,
Capadociam intrat
Ad aeterna.

4 b. Quibus ipse voluit,
Apta bona petiit
Ter quaterna.

5 a. Eia, pater pauperum,
Noxas dele scelerum,
Ignem quod tartareum
Evadamus.

5 b. Tuis fer auxilium,
Ut nos post exsilium
Tecum Dei filium
Videamus.

6 a. Ora pro tuorum
Statu filiorum
In conspectu
summi regis,

6 b. Ut nos a peccatis
Mundans perpetratis
Donet esse
dextrae gregis.

Miss. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. 354. — Melodie natürlich: Laetabundus.

225. De sancta Eulalia.

1 a. Sit laus plena,
Sit amoena,
Psallens Deo
Pro tropaeo
Martyris Eulaliae.

1 b. Mens sincera,
Fides vera
Ditant, mundant,
Cor fecundant
Virginis eximiae.

2 a. Sponsa laeta
Christo freta
Legi credit
Et oboedit
Plasmatoris omnium.

2 b. Cunctam fortis
Poenam mortis
Nec profani
Daciani
Timet tirocinium.

3 a. Sprevit mundum,
Hunc immundum,
Subit bella,
Fert flagella,
Superat eculeum.

3 b. Dum in cruce
Pendet truce,
Christum orat
Et implorat,
Globum vincit igeum.

4 a. Virgo recta.
Nive tecta,
Ad beatum
Transit statum
In columbae specie.

4 b. Cum de fossa
Trahunt ossa,
Adgravantur
Nec cremantur,
Pandunt vim fragrantiae.

5 a. Urbs patrona
Barcinona
Semper gaude
Digna laude
Possidens Eulaliam;

5 b. Quae languentem
Sanet gentem
Nos conducens
Et adducens
Ad sanctorum gloriam.

Brev. ms. Praedicatorum Hispan. saec. 15. Cod. Scorialen. a III 3. — Es heifst dort ausdrücklich: „Prosa in Missa".

226. De sancta Euphemia.

1 a. Pace, virgo, sancta pasce
Nos, ut sacrosancti Paschae
Pascamur deliciis.

1 b. Compesce pestes, reatus,
Ut sit honor Deo gratus
Nostris de primitiis.

2 a. Piscis assi manducasti
Segma, quando degustasti
Passionis poculum.

2 b. Posce nobis posse stare,
Virtuosum purga clare
Nostrae mentis oculum.

3 a. Pusillanimes conforta,
Tua namque vita torta
Multis est suppliciis;

3 b. Quae pro tuo sponso vere
Voluisti sustinere
Eiusque divitiis.

4 a. Per capillos es suspensa,
Tibi luxit spes immensa
Domini de gratia,

4 b. Qui te fortem animabat
Et in bono confortabat
Tibi dans solacia.

5 a. Famelica virgo pia,
Satiaris, Euphemia,
Per angelos caelitus.

5 b. Post haec mitteris ad ursos,
Quorum te non tangit morsus
Nec angit anhelitus.

6 a. O beata virgo, grata
Deo, gladio necata,
Locum tui lateris

6 b. Qui transivit, ut sitivit
Tua vita, quae petivit
Caelum mox, sic pateris.

7 a. Priscus et Apellianus
Ruunt daemonis in manus,
Quos statim extinxerat.

7 b. Hinc puella tumulatur,
Iustis gratia donatur,
Quos amor astrinxerat.

8 a. Eia, virgo, nos tuere,
Confer, caelum ut sincere
Valeamus scandere.

8 b. Ora Deum, ut praedignum
Sui vultum et benignum
Nobis velit pandere.

Miss. ms. S. Mariae Magdalenae Brunswicen. saec. 14. Cod Beverin. 681. Mit Melodie.

227. De sancto Eusebio.

1 a. Arnhem gaudeat ab intra,
Siti circumquaque iuxta
Exstent toti iubili

1 b. De tam nobili collato
Illis praemio, delato
Corpore Eusebii.

2 a. Orthodoxa fide plenus,
Paganismo alienus,
Zeli tactus iaculo,

2 b. Sic moratus est in mora
Sanctitatis omni hora
Abnuendo saeculo.

3 a. Videns eius facultatem
Stipes dabat, libertatem
Malens aeternaliter.

3 b. Confessorum vixit norma
Post triumphat recta forma
Martyrum aequaliter.

4 a. Suo die nationis
Vestit Caesar se leonis
Vellere Aurelius,

4 b. Ut est leo rex ferarum
Dictus, sic creaturarum
Optans dici dominus.

5 a. Iste Romam convocavit,
Herculi turificavit;
Sectam hanc Eusebius,

5 b. Dei martyr, confutavit,
Christi fidem praedicavit
Omnibus fidelibus,

6 a. Docens paenitentiam,
Pellens idolatriam
Deum adorabat.

6 b. Prosunt sancta dogmata
Pluribus proposita,
Iulium salvabat.

7 a. Miles hic cum sociis
Penditur eculeis,
Nervis flagellatur;

7 b. Huic poenae gaudio,
Cui Dei visio,
Dum fustigabatur.

8 a. Huius sancti latus ustum
Servat angelus inustum:
Antoninus credidit

8 b. Linguam hinc abscissam esse,
Passus nil potest prodesse,
Quin et laudes reddidit.

9 a. Tunc amicus deitatis
Est mactatus cum plumbatis,
Quem mox caelum rapuit.

9 b. Nunc in terris fulget signis,
Dat vexatis a malignis
Opem, quod El placuit.

10 a. Mutis linguam reseravit,
Claudis gressum reparavit
Dei medicamine.

10 b. Maris undas quietavit,
Mares plures hic servavit
Maris a disturbine.

11 a. Cancros atque plures pestes
Sanat, exstant multi testes,
Multis dat remedia.·

11 b. Ergo nobis sis, patrone,
Asta, bone, in agone,
Duc nos ad caelestia.

Append. ms. saec. 16. in Miss. Bursfelden. imp. Hagenoie 1518. — 1 a, 3 toto. — 1 b, 2 Illic primi a delata. — 1 b, 3 corporis. — 2 a, 1 pleni. — 2 a, 2 alieni. — 2 a, 3 tacti. — 11 b, 3 Duc nobis.

228. De ss. Fabiano et Sebastiano.

1 a. Praesul sancte Fabiane,
Qui curasti nec inane,
Fidem ut extolleres.

1 b. Tu legasti, congestasti
Scribas septem, nec ineptam
Necem ut colligeres

2 a. Athletarum, quos haud parum
Sparsos more, en, cruore
Microcosmos recolat.

2 b. Interpella sic, procella
Saevi maris, tuearis,
Ne nos forte impetat.

3 a. Tua pura prece cura,
Quod septena dona plena
Ruant, fluant largius:
Dies enim festivus agitur,
In quo plene votum admittitur
In tui memoriam.

3 b. In agone, passione
Roborati sumus rati,
Iucundemur laetius;
Dum e corde spiritus mittitur,
Absque sorde iter nanciscitur
Ad aeternam gloriam.

4 a. Ad quam tende, o, perpende
Tota mente ac repente
Anhela quantocius;

4 b. Nam in ea simul laeta
Vita datur absque meta
Cunctis evidentius.

5 a. O instructe tiro Christi,
Potens, vincens, necnon scisti
In calle certantium

5 b. Ire vere te sincere
Consulari, militari
Chlamide bellantium.

6 a. Sub figura decusasti
Fidem tuam, sic celasti
Sane, Sebastiane;

6 b. Vernas Christi tu solaris,
Verbis caris sic adfaris:
Dimicent constantius.

7 a. Fratres binos roborasti,
Quos in fide solidasti,
Spernant ut ardentius

7 b. Blandimenta mundi, rerum
Conditorem, caeli erum
Clarius conspiciant.

8 a. Fac, mortales ut stent rati,
Fide firmi roborati,
Bravium percipiant.

8 b. Tu loquelam reddidisti,
Zoe virum decrevisti
Taliter convertere,

9 a. Tunc praefectum Romae primum,
Gnatum suum post supinum
Toto nisu absque risu
Ad fidem perducere.

9 b. O dilecte martyr Christi,
Corpus tuum subiecisti,
Perquam mire tu vicisti
Poenarum certamina.

10 a. Tu nos cura tua prece,
Mundi simus ut a faece,
Tuos, neos, serva, ne nos
Tangant, frangant fulmina.

10 b. Rursum praesta, nobis asta,
Ne nos restis, mala pestis
Cingat, tingat et astringat
Acrius in inguine.

11 a. Sicque lota mente tota
Iesum Christum te et istum
Veneremur, cum tenemur
Haud ingrati, ne privati
Simus eius sanguine.

11 b. Fac, ut vales, nos mortales
Erigamur, rapiamur,
Trinum unum, summum bonum
Intuamur, contemplamur
In perenni lumine.

Grad. ms. S. Elisabethae. Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesici Vol. I 40 c. — 1 b, 2 l. inepte? — 7 b. 3 Clarius conspicavit. — Melodie: Laudes crucis. — Die Schlufszeilen der korrespondierenden Halbstrophen reimen; Str. 6 sqq. machen hiervon eine Ausnahme, jedoch so, dafs die korrespondierende Halbstrophe zur Schlufszeile der nächsten Halbstrophe reimt, nämlich 6 b mit 7 a, 7 b mit 8 a u. s. f.

229. De sancta Felicitate.

1. Hunc laeti diem cuncti
rite venerantur populi,

2 a. Quem fore felicem
sancta fecit Felicitas,

2 b. Pignorum septeno
martyrizata numero.

3 a. Nam septem praemissis
octava
fit cruciata filiis,

3 b. Maternos perpessa
dolores
singulorum martyrio.

4 a. Primus Ianuarius
plumbatis
plagatus oppetiit;

4 b. Felix atrocissimis
cum Philippo
mactatur fustibus.

5 a. Silanus
per praecipitium
occubuit;
Alexander
cum Vitale simul addito
Martiale decollati sunt.

5 b. Constanter
illorum genetrix
sanctissima,
Tot dolores
passa animo, novissime
corporaliter occiditur.

6 a. Ex his Alexandrum,
florem nitidum
gemmamque pretiosissimam,

6 b. Dulcem margaritam,
dignis laudibus
tota Germania celebrat.

7 a. Divina quem benignitas
de Romana
sede nostrae salvationi
transmiserat
his Alemannicis partibus.

7 b. Hic multis miraculorum
fulgens signis
salutifera solet clarus
solamina
suis ostendere civibus.

8 a. O decus, o
nostra salus,
o martyrum
tu venustissime
florens floscule,

8 b. Cum fratribus
et cum matre
Felicitate
perennem implora
beatitudinem.

9. Qui tibi
servimus in terris,
tuis precibus in caelis
sis fautor nobis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Grad. ms. Vercellense saec. 11. Cod. Capit. Vercellen. CLXI. B. — 3 a, 2 sit. B. — 4 a, 2 plumbatus B. — 5 a, 5 addicto B. — 5 b, 2 sq. sanctissima genetrix AB. — 5 b, 4 sq. Tot passa dolores B. — 6 a, 1 Ex istis Felicem B. — 6 a, 2 flora B. — 6 a, 3 gemmaque pretiosum B. — 6 b, 3 tota Italia celebret B. — 7 a, 4 salvationis B. — 7 a, 6 istis Italicis partibus B. — 7 b, 1 sq. fulgens miraculorum signis AB. — 7 b, 4 sed et clarus B. — 7 b, 6 ostenderet B. — 8 a, 1 O Deus (o fehlt B. — 8 a, 4 tu fehlt B. — 8 a, 5 flos floscule. — 8 b, 4 implorato A; implorat B. — Melodie: Mater.

230. De sancta Felicitate.

1 a. Regi regnum iubilantes
Laudes demus exsultantes
Debitas martyribus,

1 b. Qui pro Christo trucidati
Nunc ab ipso coronati
Gaudent in caelestibus.

2 a. Hos per vias diversorum
Iubet ire tormentorum
Ferox praeses Publius.

2 b. Hinc plumbatis dire caesus
Mortem subit sed illaesus
Fide Ianuarius.

3 a. Inde Felix et Philippus
Fustium ferentes ictus
Offerunt se Domino.

3 b. Iubet iudex hinc profanus,
Morti cedat ut Silanus
Datus praecipitio.

4 a. Praesentati Martialis,
Alexander et Vitalis
Mortem gustant gladio.

4 b. Quos Felicitas mactatos
Mater sancta sanctos natos
Sequitur martyrio.

5 a. Ergo tantos veneremur
Christi testes et precemur
Nos ipsorum precibus

5 b. Regi summo commendari
Et laetanter adgregari
Sanctis in caelestibus.

Grad. ms. S. Alexandri Embecen. saec. 14. Cod. Gotingan. 241. — 4 a, 2 Alexandri. — In der Hs. ist die Sequenz für das Fest des h. Alexander verwertet.

231. De ss. Ferreolo et Ferrutio.

1 a. Pangat chorus alternatim
clara modulamina,

1 b. Absit ut diaphonia,
concors sit melodia.

2 a. Odas solvat et decenter
nostra vox harmonica

2 b. Summo regi, qui beatos
doxa donat caelica.

3 a. Cui Ferreolus servivit
verus ut christicola

3 b. Et Ferrutius levita
parili constantia.

4 a. Veritatis quod fuere
testes sine macula,

4 b. Hos Aureliani iussit
puniri saevitia.

5 a. Actibus ut impleretur
iussio tyrannica,

5 b. Variis protraxit poenis
gens illos maniaca.

6 a. Ungulis sulcatae carni
affuit mastigia,

6 b. Hinc remoti distrahuntur
tirones ad troclea.

7 a. Malleis infixae cingunt
subulae post capita,

7 b. Tuncque magis disserebant
de fide catolica.

8 a. Mirum, quod non siluere
divina magnalia,

8 b. Lingua sunt evacuati
postquam sermonis sua.

9 a. Sibilat tyrannus stridens
dentibus ut vipera,

9 b. Incitat crudeli victus
colla caedi romphea.

0 a. Imperterritis athletis
poena datur ultima,

10 b. Flexo genu sursum corda
caelo dant spiramina.

1 a. Gaudet polus angelorum,
sonant et tripudia,

11 b. Compta gemmis hisque binis
exsultat Bisontia.

12. Horum precibus muniti
vivamus per saecula.

Grad. ms. Bisuntinum saec. 11. Cod. Borgian. M VI 27. — 6 b, 1 stuluntur. — 6 b, 2 ut troclea. — 8 b, 2 sermonis lua.

232. De sancto Florino.

a. Florinus amabilis,
Sacerdos laudabilis
Sanctitatis gloria,

1 b. Fulget in caelestibus
Cum sanctorum coetibus
Peracta victoria.

a. Ibi summa trinitas,
Indivisa unitas
Consolatur omnia.

2 b. Huius praedicatio,
Huius operatio
Sit salutis nuntia,

2 c. Terrena despicere
Docens et acquirere
Paradisi gaudia.

3 a. Exstitit pro speculo,
Dum vixit in saeculo,
Huius Deo placita
Vita est intuita.

3 b. Fugans idolatriam
Emundavit patriam,
Ampla Rheni spatia
Perlustravit gratia.

4 a. Nil terrenum ambiebat,
Quia vere diligebat
Iesum super omnia;

4 b. Apud ipsum obtinere
Velit, ut possimus flere,
Quod mens timet conscia.

5 a. Claris signis decoratur
Locus, in quo veneratur
Operum per merita;

5 b. Daemonia fugat iste,
Haec concedis sibi, Christe,
Semper esse subdita.

6 a. Veneremur hunc patronum
Obtinentem caeli thronum,
Qui nobis beneficia
Largitur in laetitia.

6 b. Huius gaudet praesentia
Nobilis Confluentia,
Qui ut rosa vel lilia
Redolet in ecclesia.

7 a. O Florine, florens rosa,
Te decet laus numerosa,
Tu nos Christo die isto
Clementer concilia.

7 b. Vir antiquae dignitatis,
Ora fontem pietatis,
Ut nos omnes a peccatis
Mundet data venia.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498 A. — Miss. Trevirense imp. absq. B. — 7a, 2 laus innumerosa A. — Melodie: Mane prima sabbatti.

233. De Stigmatibus s. Francisci.

1 a. Corda pia inflammantur,
Dum Francisci celebrantur
Stigmata insignia.

1 b. Crucifixus hic secundus,
Crucifixus fuit mundus
Huic et mundi gloria.

2 a. Crucifixi primi Christi
Mors et vita fuit isti
Iugis meditatio,

2 b. Cuius cordis vim fervoris
Ostendit per membra foris
Stigmatum impressio.

3 a. Foris lucet, intus ardet,
Ut se cunctis exemplar det
Quaerendi caelestia.

3 b. Ordo monstrat haec Minorum,
Sanctae Clarae sic sororum
Et de paenitentia.

4 a. Crucifixe singulari
Modo, cruci conformari
Mente sic et habitu

4 b. Fac nos, ut in regno lucis
Perfruamur fructu crucis,
Quo laetaris frui tu.

Miss. ms. S. Francisci Assisien. saec. 14. Cod. Assisien. 267 (ol. I. 226).

234. De sancto Frontone.

1 a. Petrus petra derivatur,
Petra Christus, qua fundatur
Stabilis ecclesia.

1 b. Petrae nomen ampliatur,
Cum per Petrum dilatatur
Trinitatis gloria.

1 a. Petra primum piscatorem
Romam mittit, ut errorem
Pellat et inania.

1 b. Petrum primum correctorem
Roma tenet et pastorem,
Servet ut ovilia.

2 a. Petrus ad Petragorarum
Terram, gurgitem petrarum
Ex earum copia,

2 b. Fratrem mittit sibi carum,
Molliatur ut illarum
Gentium duritia.

3 a. Hic est Fronto mordens mortem;
Fortior qui fugat fortem,
Mortis aufert spolia.

3 b. Nam Georgium consortem
Supra consuetam sortem
Trahit ad sublimia.

4 a. Chananaeae comparata
Per Frontonem fit sanata
Senatoris filia.

4 b. Visione duplicata
Timet cutis vulnerata,
Congregat concilia.

5 a. Onerantur mox cameli
Properantes et anheli
Deferunt cibaria;

5 b. Christi famulo fideli
Solo ducti duce caeli
Redit pars dimidia.

6 a. Videns Squirius turbatur,
Fidem petit, fides datur,
Sordet idolatria,

6 b. Nomen mutat et mutatur
In baptismo, renovatur
Tota simul patria.

7 a. Mira res, dum celebratur
Missa, praesul soporatur
Hora lucis tertia;

7 b. Tarrasconum properatur,
Christus illum comitatur,
Celebrant funebria.

8 a. Apud istos absens mansit,
Apud illos manens transit,
Manet in absentia.

8 b. Extra corpus praesul an sit,
Chirotheca cum remansit,
Dei scit scientia.

9 a. Tu nobiscum, pastor, mane,
Tuas oves sero mane
Protegat praesentia;

9 b. Esto tuae dux urbanae
Plebis, per te christianae,
Praesul ac custodia.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 1 a, 1 dirivatur. Vgl. Acta SS. Bolland. Octob. XI, 466.

235. De sancto Frontone.

1 a. Ad honorem salvatoris
Laudes vocibus canoris
Frontonis divisis choris
Praesens pangat curia.

1 b. Hic caelitus aspiratus,
Discipulis adgregatus
Baptismique Deo gratus
Suscipit mysteria.

2 a. Salve, Fronto, praesul Christi,
Cuius dilectus fuisti,
Constans fide recepisti
Optionis gratiam.

2 b. Salve, qui nos decorasti,
Quando munus impetrasti,
Ne degamus, exsulasti,
Unquam extra patriam.

3 a. Salve, cuius sumus curae,
Qui fuisti sepulturae
Marthae contra ius naturae
Raptus ad caelestia.

3 b. Imploramus, reverende
Pastor, precibus intende
Nostris et Iesum ostende
In superna gloria.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 1 b, 1 Hic solitus. — 2 b, 3 exsulati. — Melodie offenbar: Verbum bonum.

236. De sancto Gabriele.

1 a. Decantemus Gabrieli
Melos et pangamus ei
. . . . . .
In hymnis harmonicis.

1 b. Ipse astat creatori,
Deservit secretiori
Famulatu, ampliori,
Angelis prae ceteris.

2 a. Committitur Gabrieli
singulari titulo
Nuntiare incarnandum
filium ex virgine,

2 b. Quem natum denuntiavit
ingenti cum radio,
Cum angelis decantando
„Gloria in aethere".

3 a. Curam gerit nati verbi,
ut Herodem fugiat,
Ne ad ipsum revertantur,
magos reges admonet.

3 b. Reverenter consolatur
Iesum, cum agonizat,
Sudoremque detergendo
conversum in sanguinem.

4 a. Per hunc Christum surrexisse
Mariae innotuit,
Ut pergant in Gallilaeam
fratresque admonuit.

4 b. Iesum caelos ascendisse
Gallilaeos astruit,
Quem sic iudicem venturum
testatus asseruit.

5 a. Gabriel, tu praecursorem
Zachariae indicis
Gaudiumque universo
mundo lapso asseris.

5 b. Tu assistens maiestati
divinae in superis,
Supplica, expostulamus,
pro nostris angustiis.

6 a. Patronum te assumpsimus,
nobis quoque subveni,
Ne ab hoste devincamur,
fac, cura pervigili.

6 b. Ut, qui festa tuae laudis
devoti peragimus,
Conregnemus te ductore
in patria sublimi.

Miss. ms. S. Petri Moissiacens. saec. 15. Cod. Tolosan. 106. — 5 a, 2 indidis. — 6 b, 2 fehlt der Reim.

237. De sancto Genesio.

1. Laeta

2 a. Mente annua
celebremus sollemnia
martyris
huius atque
sacrata
iubilemus praeconia.

2 b. Quem Domino
caeli patet egregius
merito
virtutibus
et omni
placere civi caelesti.

3 a. Cuius haec ecclesia
rutilat
miraculorum
exhibitionibus
iugiter
per saecla laudabiliter.

3 b. Caeci hic visum capiunt,
languidi
sani recedunt,
surdis auditus datur,
omnisque
tribulatio sedatur.

4 a. Hunc defensorem
nobis de Iero-
solymorum
partibus
misit Dei filius

4 b. Et hanc patriam
tali voluit
sub patrono
tueri
et ab hoste muniri.

5 a. Quam pretiosus
est iste martyr
sanctus Genesius,
cuius festa
celebramus hodie!

5 b. Per quem Deus nobis
nova semper
atque gloriosa
praestat suis
prodigia servulis.

6 a. Nos eius meritis
Dominus
liberet
omnibus a malis.

6 b. Ipsius et precibus
veniam
consequi
credimus posse culparum.

7 a. Iam famulos tui
hospitii,
hospes transmarine,
solita
pietate conserva

7 b. Et beneficia
fidelibus
populis da clemens
hac die,
sancte martyr Genesi.

8. Ut una gaudentes
sint semper festa colentes.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 7 a, 1 sq. hospitii tui. — Melodie: Hypodiaconcissa, doch des öftern nachlässig gebaut.

238. De sancto Georgio.

1. Laudes Domino concinamus
eiusque omnibus sanctis,

2 a. Ex quibus hanc diem
sacravit
sanguine fuso

2 b. Georgius, Christi
secutor
et agonista.

3 a. Qui passus est
sub Daciano
imperatore cruento,

3 b. Eculeo
extensus, ungulis
membratim laceratus,

4 a. Exustus per latera
lampadibus, exin
carceratus
atque caesus.

4 b. Venenum potaverat
convertit et magum
martyremque
misit astris.

5 a. Impavidus
sartaginem
plumbo ferventem
insiliit
et pausavit.

5 b. Impositus
in aeneam
rotam illaesus
comminuit
et abivit.

6 a. Redacta sunt in pulverem
idola,
Ignis de caelo
ussit idolum,
ac terra
absorbuit idolatras
ex militis
fusa prece.

6 b. Post haec occisus migravit
ad Deum.
O iuncte choris
athleta martyrum,
cum cunctis
supernis civibus ora
pro populo
christiano,

7. Et paenitentibus
in caelis veniam
precare apud Deum.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Miss. ms. Augiense anni 1445. Cod. Heidelbergen. Salemit. VII 111. B. — Miss. ms. Fabariense saec 13. Cod. Archivi Sangallen. VI. add. saec. 15. C. — Miss. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 337 b D.

2 a, 3 sanguine suo BCD. — 3 a, 2 sq. schlecht gebaut. — 4 a, 2 sq. et incarceratus BD; et maceratus C. — 5 a, 5 ac B; pulsavit D. — 5 b, 5 ac B. — 6 a, 5 et B. — 6 b, 2 ad Dominum B. — 6 b, 3 Coniunctus D. — 6 b, 7 pro fehlt D. — 7, 1 Babenbergensibus (Korrektur) A; vielleicht stand hier Et Augiensibus; Et te laudantibus D. — 7, 2 incolis A; hodie veniam D. — Melodie Concordia.

239. De sancto Georgio.

1. Exsulta, Sion,
civitas sancta,
auro pulchra,
gemmis adornata,

2 a. Stellis insignita,
claro lumine splendida;

2 b. Thronus alti regis,
summi solium principis,

3 a. In quo cum Christo beatae
festivantur animae,

3 b. Et angelorum iucunda
gratulantur agmina;

4 a. Mater electa
Christi, Maria,
dilecto
regnat coniuncta filio;

4 b. Apostolorum
chori laetantur,
martyrum,
confessorum et virginum.

5 a. Quos inter gloriosus
Christi miles emicat
sanctus Georgius,

5 b. Qui longa passione
dimicando martyrum
meruit dux esse.

6 a. Tyranno confluunt,
ecce, reges,
duces et populi
multiplices;
agnorum,
taurorum,
milia mactat
et victimas praeparat.

6 b. Rex prior immolat
Appolini,
iubet, sacrificent
omnes, atque
trahuntur,
arentur
fideles Christi
per machinas territi.

7 a. Videns Georgius
perire multas
christianorum animas,

7 b. Exutus chlamyde
clamat: quid facis,
o serpens perditissime?

8 a. Immola Deo,
factori tuo;
nec iam daemonibus
immolabo.

8 b. Idola tua
surda et muta
manu sunt hominum
fabricata.

9 a. Haec audiens inimicus,
nimio furore turbatus:

9 b. Quis es, inquit, homo, pande,
deos audes qui blasphemare?

10 a. Nominor Georgius,
Christi sum famulus,
quem tu, maledicte,
adorares
tyranne potius,

10 b. Qui caelos et omnia
mira potentia
solus adorandus
instauravit
sua de gratia.

11 a. Sanctus ad poenam
sponte ducitur
extremam,
quia properat
ad palmam.

11 b. Oratione
fusa plectitur,
in caelum
eius anima
defertur.

12 a. O quanta sollemnitate
hac die suscepta est
huius sancti anima.
in paradisi gaudia.

12 b. O felix athleta Christi,
Georgi, te quaesumus,
ut nos tuis precibus
rex regum salvet Dominus.

Miss. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Mus. Cassovien. s. n. — 3 a, 2 festinantur. — 3 b, 1 iucundata. — 4 a, 4 coniuncto. — 5 a, 1 gloriosos. — 6 b, 3 sacrificens. — 9 b, 2 audis quis. — Mel: Psallite.

240. De sancto Georgio.

1. Vitae

2 a. *princeps principe*
mortis vincto sub inferis
hos dies
cum resumpta
apparens
carne victor dedicavit.

2 b. *Hinc gratias*
exhibentes unanimes
maxillis
Leviathan
erepti
cum voce corda levemus.

3 a. Ne nos hostis antiquus
captivos
ultra deprimat,
hic miles, cuius colimus
agonem,
legatus regi mittatur.

3 b. Ipse viva hodie
hostia
sancta et placens
. . . . . .
supplicum
non spernit vota suorum.

4 a. Sancte Georgi, te
poscimus, quaerimus
ac pulsamus,
nostris precibus
advigilare digneris.

4 b. Eius amore nos
refove, cuius
dilectionis
igne fervidus
flammam poenarum viceras.

5 a. Qui abnegando
te ipsum mundo,
crucem baiulando,
nos orando
crucifige saeculo.

5 b. Ungulas, flagra,
carcerem, fervens
plumbum atque rotam
tu subisti
cum lorica fidei.

6 a. Tu pro malis
bona restituis
dans mago
caelum pro veneno.

6 b. Legitime
nudus cum nudo cer-
taveras
ac Deo palmam reportas.

7 a. Nunc adiutorium
ecclesiae
contra hostis fraudes
suggere
culpas eius diluens.

7 b. Et in novissimo
iudicio,
cum per ignem cuncta
probantur,
esto noster defensor.

8. Te suum
sentiant cuncti fideles
patronum.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 2b, 3 sq. Leviathan maxillis. — 3a, 2 sq. ultra captivos. — 6b, 4 Zwei Silben Überschufs, wie immer in dieser Melodie. — Melodie: Hypodiaconissa.

241. De sancto Georgio.

1 a. Excellentem
Modum mortalium
Admonentem,
Caelorum lilium
Celebremus;

1 b. Effulgentem
More Georgium,
Fortem lentem,
Verum praesidium
Festivemus.

2 a. Martyr Christi veniens
Silenam Lybiae,
Provinciae muniens
Pectus militiae,
Dyrachiem egrediens
Fert vitam filiae.

2 b. Regis cor inficiens
Per lumen gratiae,
Sic fuit oboediens
Veraci sophiae,
Martyr fuit largiens
Viamque veniae.

3 a. Dacianus idolorum
Actis erigitur,
Fidelis martyr dolorum
Praemio premitur,

3 b. In membris via languorum,
In plumbo mittitur,
Virus nil dono polorum,
Rota destruitur.

4 a. Templum deletur,
Praeses recrudescit,
Coniunx docetur,
In caelo clarescit;

4 b. Morte tenetur
Sanctus et famescit,
Ut laetetur,
Qui vere virescit.

5 a. Orbe legetur
Lensque emarcescit,
Fides augetur,
Infernus rarescit.

5 b. Exspolietur
Hoc, quod evanescit,
[Hoc] glorietur,
In te quod fragrescit.

6 a. Georgi, rosarum rosa,
Peccatorum et aurora,
Navigantium et prora,
Intersis fidelibus.

6 b. Corona martyrum, rora
Qui tenes superiora,
Foveas inferiora
Sicut et gentem huius

7. Civitatis.

Brev. ms. Gerundense saec. $^{14}/_{15}$. add. saec. 15. Cod. Capit. Gerunden. 3. — 2a, 3 sic muniens. — 2a, 4 Et pectus. — 4a, 3 Convinxit docetur. — Nach 5a, 4 folgt noch: Ren (!) Expoliatur. — 5b, 1 Expoliatur. — 6a, 3 et fehlt. — 6b, 4 Sic et. — Zu 1b, 3 vgl. 5a, 2; manches bleibt dunkel.

242. De sancto Gereone.

1. Laetetur ecclesia
iubilans

2 a. Catholica,
prole mater inclita,

2 b. Sed fidei
dote virgo pudica.

3 a. Quos ut puerpera
parturit hic
per tormenta,

3 b. In caeli regia
conspicatur
cives laeta.

4 a. Nam legio martyrum
Thebaeorum sacra

4 b. Haec sanguine rosea
compsit sollemnia.

5 a. Cumque Maximiani
iussa trucis
spernerent fortiter
pro Christo impia

5 b. Et diis nollent
ferre tura,
corporum subeunt
dira supplicia.

6 a. Hinc Verona novenis
splendet mirifica,

6 b. Tripudiat Victore
victrix et Troia.

7 a. Hos inter plurima
Gereon cum turba
dux praesidet
te fovens,
sancta Colonia.

7 b. Huius sociorum-
que meritis freta
laudum Deo
debita
refer praeconia,

8 a. Cui vox omnigena

8 b. Dulci melodia

9. Martyrum pro hac victoria
personet in alta
nunc Amen, Alleluia.

Opp. Bernonis Augien. saec. 10. Cod. Sangallen. 898. A. — Miss. ms. Veteris Montis anni 1273. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI 2. B. — Grad. ms. S. Gereonis Colonien. anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien VI 5. C. 2b. 2 date C. — 3a. 1 Nos ut B. — 3a. 2 haec BC. — 4b. 1 roseo BC. — 5a. 2 trucis fehlt BC. wodurch der Parallelismus hergestellt würde, da in A 5a zwei Silben mehr hat als 5b. — 7b. 1 Cuius BC. — 7, 5 refert BC. — 9. 3 Alleluia fehlt BC. — Verfasser der Sequenz ist Berno von Reichenau, unter dessen Briefen sie steht. Der Name Verona 6a. 1) ist schuld, dafs nach Schubiger (S. 84 Daniel, Kehrein und selbstverständlich auch Chevalier die Sequenz als auf die hl. Verena gedichtet bezeichnen.

243. De sancto Germano.

1. Convenite, melico
iubilate una

2 a. Gloriosi, vos, sceptra
Christi imperatoris
aurea;

2 b. O vos, inquam, aethera
Polorumque adeste
culmina.

3 a. Semitonia
Cum tonis et galasia

3 b. Ad conspicua
Celsi Germani gaudia.

4 a. Cuius et novus helios
Vos quam celebre flamen
irradiat.

4 b. Vobis, caelites, iucunda,
Mortalibus translatio
indigna

5 a. Dignis manibus est acta
Et nunc frequentare
natalitia.

5 b. O vos hyalina freta,
Tellus et cuncta magis
Germania,

6 a. Iure usus clara
Assis, Aquitania
Et Cleromonia,

6 b. Huic deferre grata,
Dulcissima, ut puta,
Heroi cantica,

7 a. Sis, Burgundia,
Nam penes sua
Te nativitas
Floruit, et virtus
perambulat;

7 b. Salutifera
Quippe et sacra
Nobis dogmata
Propinavit atque
miracula.

8 a. Ergo in sancti praeconia
Assidue, caeli harmonia

8 b. Terraeque sphaera, sinceras
Summo regi fer grates, Gallia,

9 a. Quod tantus
tibi apostol(ic)us emicat,

9 b. Inclitus
[quoque] veluti alter Titan.

10 a. Hinc te flagitamus,
o praesulum gemma,

10 b. Concedas votis, qui
tua colunt festa,

11. Gloria frui sempiterna.

Trop. ms. S. Carauni Carnoten. saec. 12. Cod. Angelicus D V 3. A. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1500. B. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1511. C. — 2b, 2 adesse BC. — 3a, 1 Emitonia (= Hemitonia) BC. — 4a, 1 novus elyos A; eleyos BC; man erwartet ein auf a schliefsendes Wort. — 4a, 2 Vosque BC; quam = ut, tamquam. — 5a 1 est aucta A. — 5b, 1 vos galura BC. — 6a, 1 In te visus clara BC. — 6a, 2 Equitania A. — 6a, 3 Cleronomia BC. — 6b, 1 deferte BC; gratia A. — 6b, 3 Heloy A. — 7a, 2 sq. zu verbinden: penes te sua etc. — 8a, 2 Assue caeli BC. — 8b, 2 Uno regi BC. — 6a, 1 Quo ABC; cantus tibi BC. — 10b, 2 colit A.

244. De sancta Helena.

1 a. O Helena, decus mundi
Et decor ecclesiae,
Lux et laus caeli iucundi,
Civis summae patriae,
Duc ad caeli gaudium.

1 b. De te gaudent omnes sancti,
Et extollit Dominus,
Tibi fluunt conregnanti
Summa bona protinus;
Nobis sis praesidium.

2 a. Stabularia fuisti
Pia et laudabilis,
Imperatrix (post) exstitisti
Deo peramabilis,
Dum vixisti saeculo.

2 b. Hierusalem transfretata
Crucem Christi qnaerere
Hanc Iudam angariasti
A terra effodere
Ostensam miraculo.

3 a. Per hanc fides incrementum
Recepit catholica,
Atque satan detrimentum
Cum sui exitio,
Necnon beatificam
laudem Christi passio.

3 b. Es mater imperatoris
Constantini nobilis,
Et amica salvatoris
Devota et humilis
. . . . . .
sancto plena studio.

4 a. Altum Villare congaudet
Belgicae coenobium,
Quod et te habere audet
In suum consortium
Intentum virtutibus.

4 b. Rogamus, sis advocata
Pro nobis ad Dominum,
Corda nostra sint purgata
Ante mortis terminum
Tuis sanctis precibus.

Offic. ms. saec. 16. in. Cod. Semin. Gerunden 2309. — 1 a, 5 Educ nos ad. — 1 b, 4 Summa ergänzt. — 3 b, 1 Fuisti mater. — 3 b, 3 Et es. — 4 a, 5 Intentem. — 4 b, 3 Ut corda. — Aufschrift: „Prosa".

245. De sancta Helena.

1 a. Audi nos,
nam te Dominus
ut reginam honorat.

1 b. Salva nos,
Iesu, pro quibus
te Helena exorat.

2 a. Da, fons undantis gratiae,
Nos purae mentis oculos
In te defigere,

2 b. Ne haustu Stygiaticae
Acherontis glacie
Cruciemur misere.

3 a. Christianismi
Dona fac nos bona
Teque sitire,

3 b. Ut mereamur,
Cum Helena, Iesu,
Ad te transire.

Miss. ms. Hilariense CXVII. add. saec. 15. — Die Sequenz ist auf die Melodie der letzten Strophen des Ave praeclara maris stella, die oft selbstständig als Sequenz vorkommen, eingerichtet.

246. De sancto Hieronymo.

1 a. Puer, natura nobilis,
Ingenio laudabilis,
Tendebat ad virtutem:

1 b. Cum literis se tradidit,
Serviles artes respuit
Aspirans ad salutem.

2 a. Dum vanorum libros legit,
Miro modo sed paterno
A Domino corripitur.

2 b. Quem subegit, hunc elegit,
Verbis, virga mentem fregit,
Culpa sic dimittitur.

3 a. Hic deserti vasta quaerens,
Vitam ibi artam gerens,
Carnem domans iugiter,

3 b. In gravibus laboribus
[Vivens] necnon ardoribus
Vicit hostes fortiter.

4 a. Via arta et vitalis
Huius fuit exemplaris,
In qua perfectus graditur;

4 b. Haec est plena morum norma,
Haec est verae vitae forma,
Qua quis cum Christo patitur.

5 a. Hic sic luxit hic scribendo,
Docens, legens, exponendo,
Quod nullos talem noscit;

5 b. Augustinus, egregius
Doctor, istud sublimius
In scriptis recognoscit.

6 a. Dum hic sacrum dogma pandit
Et ad alta scriptis scandit,
Haereticus prosternitur;

6 b. Dum hic pravum dogma frangit,
Vi verborum pravos angit,
A lupo grex defenditur.

7 a. Hunc baptista singularem
Victu, vita sibi parem
Refert et in praemio.

7 b. Est uterque virgo, doctor,
Vita martyr, mundi victor,
Sed distantes gladio.

8 a. Sertis trinis laureatus
Fulget praeco, cum beatus
Bina dat Ieronymo;

8 b. Augustino revelavit
Haec baptista voce clara
In eius praeconio.

9 a. Quam permagna signa fecit,
Dum errantes vi deiecit
Defunctos tres resuscitans.

9 b. Qui occulta denudabant
Sicque fidem confirmabant,
Quod nullus mansit haesitans.

10 a. Caecos, claudos et obsessos
Et diversis morbis pressos
Prece sua liberans,

10 b. Impugnatos hic protexit
Et ad vitam lapsos vexit
Pius pater miserans.

11 a. Si de sanctitate morum
Scire vis et meritorum
Atque de eius gloria,

11 b. Lege Augustini dicta
Vide et Cyrilli scripta,
Qui dat ei praeconia.

12 a. Ut a malis nos defendat,
Opem ferat et impendat
Prece apud Dominum,

12 b. Invocantes collaudemus
Et laudantes invocemus
Hunc sanctum Ieronymum.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Slesiaci Fol. I 83. — 7 a, 2 Victum.

247. In Translatione s. Hildae.

1 a. Sponso regi castitatis
Nostrae chorus parvitatis
Gratae melos puritatis
Personet alacriter.

1 b. Nam hac caeli luce festa
Venerantur Hildae gesta,
Qua translata carnis testa
Eius est sollemniter.

2 a. Haec Edwini regis neptis
A primaevae vitae coeptis
Iugis Christi in praeceptis
Meditari studuit.

2 b. A Paulino baptizata
Sacramentis et ornata,
Fide sana, verbo grata,
Satis late claruit.

3 a. Spreto luxu saeculari
Haec sub veste regulari
Veri sponsi subarrhari
Annulo promeruit.

3 b. Haec aetate profluente
Puber annis, cana mente,
Ire Christo suggerente
Galliam disposuit.

4 a. Hinc pro voto transfretatur
Et, quae diu suspiratur,
Hereswida visitatur
Calae monasterio.

4 b. Quo per annum commoratur
Et, ut plene doctrinatur,
Aiclani revocatur
Praesulis imperio.

5 a. Revocata consorores,
Quas ascivit iuniores,
Disciplinae docet mores
Prope Wyri fluvium.

5 b. Et post annum hinc recessit
Ad Herutheu processit,
Ubi abatissae gessit
Graviter officium.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390.

248. De sancto Iacobo.

1 a. Festa Christi celebrando
Prosequamur, exsusultando,
Laudes Deo decantando,
Ad Iacobi sollemnia.

1 b. Qui piscator adprobatus,
Regum tamen ramis natus
Exstat Christi et cognatus,
Velut probant natalia.

2 a. De navi Iesus hunc vocavit
Cum Iohanne, quem amavit,
Cui matrem commendavit
Cruci adfixus manibus.

2 b. Quos praefecit piscatores
Animarum et doctores,
Pravos ut deviatores
Prenderent caeli retibus.

3 a. Hic athleta sanctus Dei
Diffudit semen fidei
Per Iudaeam, ut Iudaei
Oboedirent Christo regi.

3 b. Hermogenem et Philetum,
Magos hos et horum coetum,
Cor habentes inquietum
Subdidit sanctorum legi.

4 a. Cum ad mortem damnaretur
Et de foris duceretur
Decollari, ut sanetur,
Rogat paralyticus.

4 b. Gratum quem Iosias cernens,
Iudaeorum legem spernens,
Fide fervens, se prosternens,
Effectus est catholicus.

5 a. Hic insignis quam beatus!
Coram quo transfiguratus
Iesus ut nix dealbatus
Est clarificatus nimis.

5 b. Puellam cum resuscitavit
Et in agone dum oravit,
Huic et Petro demonstravit
Ut amicis intimis.

6 a. Inter servos duodenos.
Fidei fervore plenos,
Caeli cives ad amoenos
Iste primus assumitur.

6 b. Summum sequens artificem
Bibendo mortis calicem
Laetus cum sanctis invicem
Saecli iudex praeficitur.

7 a. Nunc, Iacobe, spes pauperum,
Modo supplanta tartarum,
Cum Christus iudex scelerum
Iudicabit saeculum,

7 b. Atque post hoc exsilium
Placa Mariae filium,
Nobis aeternum gaudium
Sit trinitatis speculum.

Cod. Beverin. 672. saec. 15. — 5 b, 3 His et. — 7 a, 2 In der Hs. m supplanta.

249. De sancto Iacobo.

1 a. Festum agat totus mundus
Hunc, celebret sic iucundus
Iacobi sollemnia.

1 b. Regem caeli imitatus
Apostolus iam beatus
Oboedit per omnia.

2 a. Apostolum sanctum Dei
Filiumque Zebedaei
Laudemus cum gloria,

2 b. Tota mente vigilemus,
Ore, corde iubilemus
In eius memoria.

3 a. Ecce, verus sanctus Dei,
Seminator nostrae spei
In caelesti patria,

3 b. Rursum praeco, legislator,
Vivi Dei excitator
De mundi miseria.

4 a. Modo sectam Iudaeorum
Refutat Pharisaeorum,
Fidem Christi praedicat,

4 b. Ad coronam sempiternam
Docet gentem viam ternam,
Trinum unum indicat.

5 a. Totus in Dei fervore
Positus et in amore
Fervet Iesu gratia,

5 b. Hermogenem et Philetum
Traxit per daemones spretum
Iacobus potentia.

6 a. Et ad pedes eius cadit,
Libros offert et evadit,
Ab errore abiit,

6 b. Vir coepit esse perfectus,
Per servum Christi allectus
Fidem veram adiit.

7 a. Superponunt funem collo,
Stringitur restis in collo,
Patienter subiit,

7 b. Fidem a sancto accepit
Iosias, tenere coepit,
Morte sancta obiit.

8 a. En, Lupa credit regina,
Operatur vir divina
Virtute apostoli.

8 b. Ceterorum multi credunt,
Baptizantur, mox recedunt
A fraude diaboli.

9 a. Iam nos cum beatis vere
Miserere, nos tuere
Cum sanctis in gloria.

9 b. Tecum et iustis gaudere
Da, in aevum permanere
In beata curia.

Miss ms. Strigoniense saec. 15. Cod. Capit. Strigonien. Mss. I 20 — 2a, 2 Filium Zebedaei. — 3b, 2 Vini Dei. — 4a, 1 Modum. — 4b, 2 via trina. — 5a, 1 Votus in. — 6a, 1 Ut. — 7b, 2 Iosia. — 7b, 3 sancti. — 8b, 2 non recedunt. — 9b, 1 Tecum et cum iustis. — 9b, 2 Da fehlt: In sum permanere. — Acrostichon: Frater Matheus fecit.

250. De sancto Iacobo.

1 a. Maior nulla caritas
potest haberi, quam
animam
pro amicis dare,

1 b. Olim quam cunctis sanctis
praedixere fore
culturam
caelesti patria.

2 a. Hanc docuit Iacobus,
sanctus apostolus,
Dominum praedicando
cunctis gentibus.

2 b. Et complevit opere
magno in Hermogene,
cum ad eum remisit
nequam daemones.

3 a. Vinctus quoque ducitur
iubens sanctum
Dei vincere,

3 b. Sed a Phileto solvitur
nec audet
liber pergere.

4 a. O sancte apostole,
qui tantum erga proximum
habuisti caritatem,

4 b. Ut ligatum solveres
et solutum ire semper
praeciperes, ubi vellet.

5 a. Ut summa gaudia,
rogamus, [in] via
det nobis sapientia,

5 b. Et cum laetitia
fidelium turma
(con)gaudeat in poli pinna,

6. In qua fiunt protinus,
quaecunque dicit Dominus.

Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis. 1496. — 1b, 3 culturam perfectius. — 3a, 3 Lies vincire oder vinciri? —

251. De sancto Iacobo.

1 a. Aeterno regi cantemus
dulcia cantica

1 b. Caelestis regni supera
regenti sedilia.

2 a. Rerum quem cunctarum
trino numine
pressa tremit
subdita machina.

2 b. Nigra sed formosa
huic coniubilet
ecclesia,
Sion filia.

3 a. Quae sponsum quaeritans
fessa reperit
pascentem
inter sacra
rosarum lilia,

3 b. Cui sponsus: propera,
sponsa, sint nobis
oscula
intra horti
dulcis aromata.

4 a. Contra: dilecte,
floret vinea nostra,
sum ego ferax
pacifico vinea.

4 b. Illic custodum
tuo ponantur nutu
divina iussa
servantium milia.

5 a. Caterva iam nunc insona
divina
Christo modulamina,
qui suam praefulgida
ecclesiam
ditat custodia.

5 b. Corusca cuius lampada
exstant, en,
Iacobi merita
patris de navicula
vocati
voce dominica.

6 a. Inclitus apostolica
est sublimatus cathedra,

6 b. Rutilat eius doctrina
septena et ecclesia.

7 a. Cuius sanctitas inclita,
vita miranda
fax est ardentissima,

7 b. Caelo hodie fervida
quem machaera
misit Herodiana.

8 a. Et comptum laurea
laetum sumpsit
phalanx caelica,

8 b. Suscepit lucida
cohors quoque
senatoria.

9 a. Ubi plaudunt angelica
sonoris concentibus
dulciter agmina
voceque clamant uranica:

9 b. Tibi, Christe, sit gloria,
mundi cuncta
cluens per climata,
spes sanctorum unica.

10 a. Coetui quorum
nos famulos
clementia
divina socia,

10 b. Supplices sancti
et Iacobi
ad aethera
precibus subleva.

11. Amen laeta
tripudians
persona chorea.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 3 b, 2 sunt. — 5 b, 5 vocatus. — 9 a, 2 sind zwei, 9 a, 4 zwei Silben zu viel.

252. De sancto Ianuario.

1 a. Christum laude celebri
sexus et aetas
invisibilem
omnis canat,

1 b. Hanc qui dieculam
nobis septenis
fecit testibus
celebrandam.

2 a. Quorum primus
electus Dei
Ianuarius
est pontifex.

2 b. Angelico
in vultu semper
Deo serviens
emicuit.

3 a. Hic poenas
sustinuit patiens

Sub principe
saevo Diocletiano
pro Christi
nomine plurimas,
ut hostis cruenti fauces
immunis
evaderet rabidas.

3 b. Libamen
cum sperneret idolis

Christi patris
athleta invictissimus
offerre,
carcerali poena
afficit insanus iudex
atrociter
martyrem Domini.

4 a. Mox inde ignito
traditus furno
ex Domini iussis et
sanus exiit.

4 b. His praeses agnitis
perfurens ira
iussit nervos scindere
militi Dei.

5 a. Post haec ad fidem Dei
incredulos
convertit populos
Timotheo oculos
reddit et claros.

5 b. Christus, volens martyri
certaminis
finem imponere,
decollari permisit
iunctis sociis.

6 a. Conregnant
nunc incliti martyres
in caelis cum Christo
Domino et eius
cunctis angelis.

6 b. O pie
Ianuari, precibus
nos Deo sedulis
commenda cum piis
tuis sociis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Trop. ms. Rhenoviense saec. 11. Cod. Turicen. Rhen. 132. B. — 3a. 5 Christo A. — 3b, 6 poena fehlt B; dafür über der Zeile iussit. — 5a. 5 reddidit B. — 5b, 1 martyris B. — Melodie: Dies sanctificatus. — Vgl. Rom. Forsch. IV, 506 u. f.

253. In Natali Innocentum.

1 a. Alma fulgent omni mundo
Christi natalitia;

1 b. Bella cessant, quia pacis
nuntiantur gaudia.

2 a. Caeli Deum arta stringit
praesaepis angustia,

2 b. Decus nostrum redemptoris
reparat militia.

3 a. Exardescit contra illam
Herodis insania

3 b. Frustra verens, ne amittat
quassa regni solia.

4 a. Gestit ergo scire, quonam
lateat infantia,

4 b. Huius ei metus crebra
ingerens suspiria.

5 a. Inquirensque, nati regis
ubi sint palatia,

5 b. Kara Christo discit esse
Bethlehem dotalia.

6 a. Leto dare immortalem
Vitae parat largitorem
Maxima dementia.

6 b. Morti cedit recens natus
A parentibus delatus
In Aegypti munia.

7 a. Nec a magis se delusum
Rex iniquus fert inultum
Furens ex invidia;

7 b. Omnes parvos iubet caedi.
Quotquot intra sunt reperti
Bethlehem confinia.

8 a. Praeciduntur absque noxa
A bimatu atque infra
Dextera sicaria.

8 b. Qui vix vita fruebantur
Necdum mortis merebantur
Fera tam dispendia.

9a. Xristi testes non loquendo,
Hunc praecedunt moriendo
Caeli ad fastigia.

9b. Ymnum ergo praesens turba
Dulci canat symphonia
Tanta pro laetitia,

10a. Culpa poscens ut deleta
Pura innocentia

10b. Innocentum praestet nobis
Vera Christus gaudia.

Trop. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 3a, 1 illam contra. — 7b, 1 Parvos iubet omnes. — 8a, 1 Trucidantur.

254. De Innocentibus.

1a. Urbis novae Hierusalem
Laudem dicat specialem
Chorus in ecclesia;

1b. Huius urbis est fundator,
Innocentum coronator,
Qui regit caelestia.

2a. Hoc caeleste fundamentum
Semper tendit ad augmentum
Fundatoris gratia.

2b. Quam praeclari sunt lapilli,
Quibus constat domus illi,
Qui continet omnia!

3a. Nova castra
Super astra
Rachelis in gremio

3b. Voce clara
De sub ara
Canunt Dei filio.

4a. Qui dignatus incarnari
Innocentes coronari
Voluit martyrio;

4b. Quos Herodes trucidavit,
Christus natus sulimavit
In caelesti solio.

5a. Christus iacens vili thoro
Innocentes caeli choro
Sociat in gloria;

5b. Ex praesaepe rex caelorum
Turbas transfert puerorum
Ad caeli palatia.

6a. Orto mundi novo duce
Subtrahuntur ab hac luce
Herodis insania;

6b. Sanguinis effusione
Christum laudant, non sermone,
Martyrum tot milia.

7a. Ante neci sunt addicti,
Quam ullius sint delicti
Polluti contagio;

7b. Morte vitam sunt adepti
Ac de mundi sunt erepti
Liberi naufragio.

8a. Quam felices
Genetrices
Puerorum talium,

8b. Qui per mortem
Sumunt sortem
Supernorum civium!

9a. Horum, Christe, chorus iste
Iungatur consortio,

9b. „Sanctus, Sanctus“ qui depromunt
Nato Dei filio.

10a. Qui post caedem
Super sedem
Collocantur gloriae,

10b. Assistentes,
Congaudentes
Faciant in requie.

Cod. Capit. Illerden. 8. saec. 13. in. — Mit Neumen.

255. De sancto Iohanne B.

1 a. Creatarum rector rerum,
Cuius verbum constat verum,
Inquit „Inter mulierum
Natos nullus oritur

1 b. Maior magno praecursore,“
Cuius chorus hic canore
Pangens plaudit servos ore,
Quo Christus extollitur.

2 a. Praeco potens et propheta,
Laudis cuius non est meta,
Vox clamantis est, athleta
Constans esse creditur.

2 b. In deserto vitam duxit,
Vitae viam nos instruxit,
Per quam vera lux illuxit
Et caligo laeditur.

3 a. Vinum vitat et siceram.
Lympham parce potat meram,
Mel, locustas est et veram
Docet paenitentiam.

3 b. Vestis dura carnem domat,
Quo mens pura plus aromat,
Praesens coetus hic depromat
Melod(ia)e sequentiam.

4 a. Miles regem baptizavit,
Qui nos a peccatis lavit,
Quem praedicens demonstravit
Agnum sine macula.

4 b. Te rogamus, o baptista,
Verae vitae dogmatista,
Sis pro nobis agonista
Delens mortis iacula.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11 414.

256. In Decollatione s. Iohannis Bapt.

1 a. Ecclesia
devota
inclita
concinat cantica,

1 b. Sacra quia
rutilant
nunc festa
per orbis spatia.

2 a. Laeta dies instat
et magna,
gaudeat cuncta
dominica caterva,

2 b. Quia de Iohanne
Baptista
iam nunc intonant
praeconia dulcia.

3 a. Cuius martyrii
gloria
claret maxima
laude pia
hac in aula
prodita,

3 b. De qua praeconia
inclita
Christum Dominum
laudantia
per saecula
sunt orta.

4 a. Patri virtute prima
reddidit famina,
loca postea
petit eremitica.

4 b. Illic inter spelaea
arta cluens vita
carni tegmina
circumdat aspera.

5 a. Arva planabat devia
voce conclamans prophetica,
baptizabat corpora,
remedia
praedicans futura.

5 b. Monstrabat Christum interea,
cuius clara rutilant dona,
quibus aeternae vitae
consequimur
magna praemia.

6 a. Baptismi sacra
perfudit unda
lavantem crimina;

6 b. Testimonia
de caelo data
prodit in saecula.

7 a. Tanta post magna
merita
sumit almam
capitis sententiam.

7 b. Cuius exempla
secuta
quam beata
sanctorum sunt agmina!

8 a. Aeterna gloria
laureatus regnat
in aethra,

8 b. Omnium merita
qui transscendit summa
gratia.

9 a. Hic itaque magnifica
sublimatus est doxa
supra altithrona
sedilia
in caeli curia,

9 b. Qua reboant sublimia
trinitatem
cernentia
in gloria
aeterna agmina.

10 a. Omnia mala perpetrata
ac futura avertat
baptista

10 b. Et bona sanctus prece summa
impetret aeterne
. . . . .

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 5 b, 3 quis. — 8 a, 3 aethera. — 9 b, 2 und 3 fehlen je zwei Silben am Verse. — 10 b, 3 ff. fehlen.

257. In Decollatione s. Iohannis B.

1 a. In laude summi verbi
Dei praeconis
multis
ad praesens notantis

1 b. Harmoniae sacra plebis
festa colentis
dignis
sonent tripudiis.

2 a. Hic impiae vesaniae
Herodis
regis affectat
dirimi crimina,

2 b. Quae perpetrat continuo
incestus
sui germani
coniuge Philippi.

3 a. Id furens haec bellua
cognoscens eum
odio habuit

3 b. Incitat ac Lydiam,
regna promissa
penitus renuat.

4 a. Solum sacri capitis
particeps mereretur,
fervens suadet meretrix.

4 b. Haec libens satisfaciens
matri furenti cupit
lance sibi donari.

5 a. Quem rex impius
plecti iussit protinus;

5 b. Caput ipsius
lictor adfert ocius.

6 a. Hunc quaesumus,
ut cunctis populis
in fonte sacro tinctis
fautor exstet celebris,

6 b. Ne scelere
in tanto dediti
fiant, sed sacris donis
charismatum praediti,

7. Ut in perennibus
mereantur consortes
fieri ipsius.

Cod. Vatican. Palatin. (ol. Laurissen.) 833, add. saec. 10. — Ohne Titelangabe. — 3 b, 1 ludiam Hs. — 6 a, 4 exsistat Hs.

258. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

1 a. Iucundetur omnis aetas
Summo regi pangens laetas
Odas in tripudio.

1 b. Virginalis det conventus
Evangelistae concentus
Iohanni cum gaudio;

1 c. Virginali voce gaudent,
Qui virginibus congaudent
In poli palatio.

2 a. Ob amorem spiritalem
Sprevit copulam carnalem,
Quamvis sit difficile.

2 b. Iam cognovit Christo iungi
Magis quam rosa perfungi
Fore sibi utile.

3 a. Stellam maris igitur,
Ex qua mundo nascitur
Spes misericordiae,

3 b. Custodire meruit,
Dum in cruce praebuit
Latus sol iustitiae.

4 a. Postquam virginis lucerna
Se recepit ad superna
Corpore, quo splenduit,

4 b. A nefandis multa dira
Passus est pro fide mira,
Quam servari docuit.

5 a. Ex edicto Romae tractus
Undam Palladis est nactus
Ferventis in dolio;

5 b. Udas vas minas praetendit,
Hunc integritas defendit
Carnis a supplicio.

6 a. Propter sacramenta verbi
Illum principis acerbi
Damnat relegatio;

6 b. Sed perempto fine vano
Principe Domitiano
Redit ab exsilio.

7 a. Per hunc Christus multa signa
Postmodum favore digna
Dat sana colentibus,

7 b. Ut sic error evanescat
Priscus, et corona crescat
Illum confitentibus.

8 a. Saxa gaudent,
Quod sic audent
Vim gemmarum
Et earum
Obtinere pretium.

8 b. Auri quidem
Nuper idem
Indumentum
Per momentum
Confert virgis frondium.

9 a. Piae plebis in augmenta
Unit gemmarum fragmenta
Prece coram populo.

9 b. Drusiana revocata,
Quae concesserat in fata,
Est per hunc a tumulo.

10 a. A mucrone mortis ictum
Natum manibus ad dictum
Viduae restituit.

10 b. Bibens letiferum haustum
Ante duobus infaustum
Illaesus apparuit.

11 a. Morti veneno damnatis
Tulit vitae reparatis
Nodum incredulitatis
Idolorum praesuli.

11 b. Unde plures ex paganis
Glomerati christianis
Fletibus cotidianis
Fiunt Christi servuli.

12 a. Iam per omnes fines mundi
Sint fideles laetabundi,
Summi, medii, profundi,
Huius laudum nectare.

12 b. Has, Iohannes, noster chorus
Odas laetus et canorus,
Ut sis illi tutor magnus,
Clangit pio pectore.

13 a. Ergo, vox spiritus sancti,
Qui genitum generanti
Docuisti coaequalem
Atque consubstantialem,
Quod est luce clarius,

13 b. Auge nobis veram fidem
Et in bono fac nos idem,
Ut per hanc coniunctionem
Paradisi mansionem
Reddat Dei filius.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 3 a, 1 Stella AB. — 3 b, 1 Custodiri. — 5 b, 1 Odas AB: l. Edax? — 7 b, 1 Et AB. — 11 a, 3 Nondum AB. — 12 b, 3 sit B.

259. De ss. Iohanne et Paulo.

1. Laudes

2 a. Omnis sexus et aetas
totis viribus canat
Deo maximo Sabaoth,

2 b. In cuius catholica
fide firmiter fixi
triumphaverunt hodie

3 a. Agonistae fortissimi,
sanctus Iohannes
et Paulus, milites
incliti.

3 b. Cum maxima constantia
Deo haerentes
poenas maluerant
corporis

4 a. Noxias
quam delicias
nequam Iuliani,
regis apostatae.

4 b. Tunc idem rex,
peior pessimo,
misit testes Christi
tormentis affici.

5 a. At illi spe gaudentes
ultro se
impenderunt
tyrannorum manibus,

5 b. Cum diis noluissent
pluribus
immolare
neque tus incendere.

6 a. Unicum Dominum
fatentes colere

6 b. Nullique alio
incensa ponere.

7 a. Semet ipsos
viventem hostiam
nobili cum triumpho
obtulerunt Domino.

7 b. Nunc in caelis
assistunt fulgentes
quasi sol intermixti
angelorum coetibus.

8. Vos, sancti martyres,
pro fidelibus cunctis
Deum precamini.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 6 a, 1 Unum. — Melodie: Mirabilis.

260. De sancto Ioseph.

1 a. Benedictus
es, Ioseph, fili Heli,
qui dignus
in terra vocari
inventus es Dei pater.

1 b. Tu praeclarus
mundi Hesper vocaris,
qui solem
iustitiae pascis,
a quo illuminaris.

2 a. Te Deus noster,
ut Dei pater
fieres
et ipse frater,
cuius eras filius,

2 b. Sanctificavit,
sanctum servavit
et mittens
sic nuntiavit:
Ioseph, fili David,

3. Mariam, tuam coniugem,
timere noli accipere
plenam filio Dei.

4 a. Per illud
arcanum prolatum
et tuum
assensum gratum
est per te
verbum absconsum,
quo videntur omnia.

4 b. Nunc, pater,
exora Iesum
ut nostrum
tollat peccatum
et regnum
det nobis paratum
in caelesti patria.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525.

261. De sancto Ioseph.

1 a. Gaude, Ioseph, fili David,
Per florentem virgulam
Tibi Deus desponsavit
Mariam virgunculam,
In qua sibi praeparavit
Carnis nostrae copulam.

1 b. Gaude, tibi desponsatam
Per angelum monitus
Non relinquens, gravidatam
Videns hanc divinitus,
Credis Deo consecratam
Dono sancti spiritus.

2 a. Gaude, quod de Gallilaea
Bethlehem progrederis,
Processurus sic de ea
Praegnante curam geris,
Donec matre virginea
Christum natum reperis.

2 b. Gaude, natum adorasti
Angelis canentibus,
Fusa luce observasti
Facta a pastoribus
A tribusque conspectasti
Tria dona regibus.

3 a. Gaude, templo praesentasti
Circumciscum puerum,
Cum matre considerasti
Mirans cruorem tenerum,
Simeonisque notasti
Gladium tam asperum.

3 b. Gaude, fugam te inire
Ad Aegyptum celere
Iubet angelus, ut irae
Cedas regis propere
Herodis, post hoc redire
In Nazareth prospere.

4 a. Gaude, quia quem quaesisti
Duodennem filium,
Hunc in templo invenisti
Tui cordis gaudium,
De quo prius doluisti
Sic amisso nimium.

4 b. Eia, quanto te dotavit
Deus privilegio!
Te custodem deputavit
Mariae cum filio
Teque summe exaltavit
In caelorum solio.

5 a. Nobis ergo, pater bone,
Quaesumus suppliciter,
Semper nunc et in agone
Succurre fideliter,
Ut tecum caeli coronae
Iungamur feliciter.

5 b. Iesu, nato salvatori
Ex Maria virgine,
Laus et eius genitori
Sit cum sacro flamine,
Qui nos dulci nutritori
Iungat in cacumine.

Miss. ms. S. Mariae Magdalenae saec. 15. Cod. Wratislav. Civic. M 1150. A. — Miss. Wratislaviense imp. Cracoviae 1505. B. — 1 a, 2 florem virgulam AB. — 2 a, 1 Gaude quae B. — 2 a, 4 Praegnante te AB. — 2 a, 5 Donec mater AB. — 3 a, 4 Mira crura tenerum AB; cruorem zweisilbig? — 3 a, 6 tam fehlt. — 4 a, 2 Duo dierum AB.

262. De ss. Iusta et Rufina.

1 a. Exsultemus congaudentes
Concordi melodia,

1 b. Ad natale consurgentes
Iustae cum Rufinia.

2 a. Quae, cum essent constitutae
Sub adulescentia,

2 b. Moribus erant imbutae
Fugientes vitia.

3 a. Immunes et alienae
Carnis immunditia,

3 b. Divina virtute plenae
Pollebant munditia.

4 a. In paupertate
Tamquam nihilum habentes
Possidebant omnia,

4 b. Deo dicatae
Curam domus disponentes
Magna providentia

5 a. Nunquam vacabant otio
Feminae sanctissimae,
Mos erat in mercando
Vascula fictilia,

5 b. Istoque mercimonio
Cum egenis maxime
Dividebant ministrando
Sua victualia.

6 a. Instantes orationi
Sinceris animis
Atque contemplationi
Vota solvunt mente pura.

6 b. Tempora iam propinquabant
Sui certaminis,
Ad quod sponte properabant
Terrenorum dempta cura.

7 a. Suscitat commotionem
Idolum, quod Salanchonem
Turba vocat impia;

7 b. Zabulus latens in eo,
Qui colebatur pro Deo,
Fregit mercimonia.

8 a. Sanctae virgines commotae,
Non damno sed fide motae,
Fecerunt similia:

8 b. Monstrum illud confregerunt
Et ad terram prostraverunt
Ferventes audacia.

9 a. Praeses Diogenianus
Eas in custodia
Mitti iussit ut profanus
Dicens: sacrilegia

9 b. Contra deos commisisse
Pro tanta iniuria
Reasque morte fuisse
Nulla data venia.

10 a. Iusta quidem blandimentis
Nec inducta nec tormentis
Post multa supplicia

10 b. Deo patri commendavit
Spiritum et exspiravit
Migrans ad caelestia.

11 a. Inclusa mansit Rufina.
Virtute fulta divina,
Vallata constantia,

11 b. Diris verberata loris,
Cervice fracta sororis
Sequitur vestigia.

12 a. Sedes Caesaraugustana
Glorificet Dominum
Voce clara.

12 b. Namque metropolitana
Festis harum virginum
Fulsit ara.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Brev. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1496. B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498 C. — 1 b, 1 natalem A. — 1 b, 2 Rufina B. — 5 a, 1 vacabunt B. — 6 a, 3 Et ABC. — 6 b, 1 appropinquabant B. — 10 b, 2 spiravit B.

263. De sancta Katharina.

1 a. Summo regi iubilemus
dulci cum psallentio;

1 b. Katharina in hac die
nupsit Dei filio

2 a. Trucidantis sprevit minas
freta Christi dextera.

2 b. Propter fidem salvatoris
dira tulit verbera.

3 a. Saevit hostis, ut negaret
Christum Dei filium,

3 b. Laniari membra iubet
usque ad exitium.

4 a. Argumenta tormentorum
inquirit et genera,

4 b. Nequit flecti virgo sacra
spe tendens ad supera.

5 a. Ut granum tritici
teritur

5 b. Nec de verberibus
queritur.

6 a. Flagrat hinc et saevit hostis,
blandimentis utitur,

6 b. Sed nec ita virgo verax
ad negandum ducitur.

7 a. Vapulat haec graviter,

7 b. Sustinet viriliter.

8 a. Spernit ictus ferientum
laetatur conviciis,

8 b. Quidquid suffert propter
Christum,
pensat pro divitiis.

9 a. In hac die Katharina
coronari meruit

9 b. Crucem tollens, Christum
sequens,
sicut ipse docuit.

10 a. Sol in die, luna nocte
non hanc uret amplius,

10 b. Neque luctus neque clamor
continget ulterius.

11 a. Poscat ergo salvatorem
suis sanctis precibus,

11 b. Ut cum illa collocemur
in supernis sedibus.

Antiph. ms. Canonicorum S. Augustini Italic. saec. 14. Cod. Rossian. IX 299. — 3 b, 2 excitium. — 6 b, 2 dicitur. — 8 a, 2 laetatur cum vitiis. — 10 b, 2 contiget.

264. De sancta Katharina.

1 a. Laudes Deo persolvamus
Et in ipso gaudeamus,
Qui creavit omnia;

1 b. Alternando concrepemus,
Concrepando decantemus
Virginis magnalia.

2 a. Virgo sancta Katharina
Regali progenie
Fulget orta,
Cui porta
Caeli patet hodie.

2 b. Quae dum vixit in hoc mundo
Legibus iustitiae,
Se submisit,
Cum derisit
Cultum idolatriae.

3 a. Nec metuit minas mortis,
Dum tyrannum arguit,
Sed secura
Virgo pura
Tormenta sustinuit.

3 b. Quae devictis rhetoribus
Carceris custodia
Detruditur,
Sed fruitur
Angelorum curia.

4 a. Virgis caesa
Neque laesa
Per tormenta
Sunt cruenta
Membra nimis tenera;

4 b. Tenta fastu
Sine pastu
Impinguatur,
Cum turbatur
Caesaris mens misera.

5 a. Ut rotarum
Diversarum
Plebis nece
Sua prece
Dissipatur machina.

5 b. Quod precatur,
Illi datur,
Capitali
Post finali
Plectitur sententia.

6 a. Sexta die coronatur,
In qua Christus exaltatur
Ad se trahens omnia,

6 b. Ut eadem sine mora
Ferrum lictor mergit hora
Diei tunc tertia.

7 a. Sponsa sponso copulatur
Miro sic consortio,
Quod amborum
Iungit thorum
Terminata passio.

7 b. Sponsi laeva mundo tenta
Virginis sub capite
Modo dextra
Sub et extra
Sponsam ornat inclite.

8 a. Sponsa sibi coronatur
Rosis atque liliis
Rubicunda,
Tota munda,
Castis casta brachiis.

8 b. Contemplantur hanc beatam
Ierusalem filiae
Concinentes
Et stupentes
Virginis in specie.

9 a. Cuius corpus pretiosum
Ad sepulcrum gloriosum
Defertur ab angelis,

9 b. Et Sinai mons ditatur
Hoc thesauro, quo frustratur
Urbs cruenta funeris.

10 a. Ibi tumba contra morem
Fundit olei liquorem
Sanans infirmantia.

10 b. Vita, finis, mira signa
Sat testantur, quam sit digna
Dies haec memoria.

11 a. Fulget dies haec praeclara,
In qua virgo Deo cara
Triumphat in gloria.

11 b. Katharina, sacra virgo,
Nos in huius mundi pyrgo
Christo reconcilia.

12. Gloriemur et laetemur
Tecum ut in gloria.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498 B. — 11 b. 2 mundi vite AB.

265. De sancto Laurentio.

1 a. Laurentium venerari
Debet, quisque laureari
Vult caelesti laurea;

1 b. Qui pro dicta veritate
A tyrannis est in crate
Coassatus ferrea.

2 a. Hic, dum Sixtus ducebatur
Ad mortem, hunc sequebatur
Avidus martyrii.

2 b. Tandem laetus accusatur
Pro thesauris et ligatur
De mandato Decii.

3 a. Extorquere quod intendit,
In pauperes iam expendit
Beatus Laurentius.

3 b. In carcere baptizatur
Lucilus, et illustratur
Intus et exterius.

4 a. Hippolytum baptizavit,
Baptizato demonstravit
Choros triumphantium.

4 b. Ad tormenta revocavit,
Nudum dire fustigavit
Decius Laurentium.

5 a. Tunc Romano revelatur
Christus, a quo tergebatur
Sancti cruor profluens;

5 b. Qui mox tentus decollatur,
Martyrio decoratur
Diffiteri renuens.

6 a. Laurentius iam assatur,
A quo Caesar invitatur
Ad assati latera;

6 b. Satis, inquit, est assatum
Iam hoc ede praeparatum,
Pars gyretur altera.

7 a. Tota nocte sic duravit
Supra cratem, exspiravit
Migrans ad caelestia.

7 b. Cuius intercessione
Fortes in confessione
Stemus digni gloria.

Miss. Aɔulense imp. Salamanticae 1510.

266. De sancto Laurentio.

1 a. Gaudet orbis, plebs fidelis
Laudet Dominum de caelis
In sancto Laurentio;

1 b. Quem Iesus manifestavit
Et in Roma sublimavit
Archidiaconio.

2 a. Hic thesauros dispensavit
Per egenos, quos locavit
In caeli aerario.

2 b. Caecos hic illuminavit,
Nomen Christi praedicavit
Sub tyranno Decio.

3 a. Scorpionibus, flagellis
Fractus carne luet pellis,
Passus famem, vincula.

3 b. Exquisitum genus mortis
Suffert laetus pugil fortis
Igne sub craticula.

4 a. „Gyra partem, quam cremasti,
Et manduca, quam assasti“
Dixit sanctus Decio;

4 b. „Portas caeli [iam] intravi,
Iam complector, quem amavi,
Iesum, quem conspicio.“

5 a. Sic exsultans et insultans,
Minas frangens, poenas multans,
Intrat caeli gaudia.

5 b. Omnes ergo deprecemur,
Ut cum Christo iucundemur
In caelesti gloria.

Brev. Oscense et Iaccense imp. Caesaraugustae 1505. — Aufschrift: „Prosa“.

267. De sancto Laurentio.

1 a. Gaudet Hispania
Psallens praeconia
Sancti Laurentii.

1 b. Hispanus genere,
Praepollens munere,
Consors Vincentii.

2 a. Hic urbem visitat,
Sub Sixto militat
Archidiaconus,

2 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

3 a. Thesauros erogat,
Sixtum interrogat:
Heu, quo progrederis?

3 b. Respondet: praevium
Post diem tertium
Me, fili, sequeris.

4 a. Ardens craticula
Hunc sine macula
Non potest vincere.

4 b. Caesar confunditur,
Cum sibi dicitur
Assatum edere.

5 a. Custos Hippolytus
Christi neophytus
Statim efficitur.

5 b. Cirica vidua
Peste continua
Per hunc eripitur.

6 a. Romanus hominem
Tergentem sanguinem
Videt cum linteo;

6 b. Tunc clamat, cursitat,
Baptismum clamitat,
Aquam fert urceo.

7 a. Visum Crescentius
Recepit sobrius
Vico Canario;

7 b. Aurum distribuit
Pedesque abluit
Fratrum cum gaudio.

8 a. Catastam ligneam
Cratemque ferream
Vincit Laurentius;

8 b. Plumbatas laminas,
Ungues spernit, minas,
Quas fecit Decius.

9 a. Assatur, teritur,
In prunis uritur
Pro Christi nomine;

9 b. Tormenta tolerat,
Duci improperat,
Repletur flamine.

10 a. Haec fortis pertulit,
Se ipsum obtulit
In sacrificio.

10 b. Iustinus rapuit
Corpus et posuit
In coemeterio.

11 a. Martyr egregie,
Sidus Hispaniae,
Pro nobis supplica,

11 b. Ut magna curia
Sit nobis socia
Turba angelica.

Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valentin. s. n. A. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. C

268. De sancto Leonhardo.

1. In laude
Christi congaude,
Caterva christiana.

2 a. In Leonardi festo
Nobis, Deus, adesto
Et dare
Dignare
Corda pura.

2 b. Fama fraglat ut nardus.
Ut leo Leonardus
Vir fortis
Ac mortis
Pellens dura.

3 a. Artatis
Est satis
Pius vir pietatis,
Compeditis
Et afflictis
Adest mitis,
Emancipat nexos
Valenti dextra.

3 b. Est bonus
Patronus,
Ut ferri pendens onus
Attestatur,
Clamat, fatur:
Hic solatur
Et iuvat oppressos
Intus et extra.

4 a. Ipse Chlodovei
Linquens aulam Dei
Militem sumpsit
Et gessit vitam.

4 b. Patriam et patres
In aula primates
Fugit, ut esset
Israelita.

5 a. Praesulatus
Est oblatus,
Ille cessit,
Non concessit
Malens fructum quam
folia.

5 b. Foenum floris
Et honoris
Onus sprevit,
Rem complevit
Fugiens . . . . .

6 a. Iesu Christi
Ac magistri
Resculpens
Remigii vestigia

6 b. Christum novit
Et refovit
Intentus
Ergastuli custodia.

7 a. Voto fuit rosa,
Sed inter auroram
Confessor albet lilia.

7 b. Effraim effectus
Cinxit fide pectus,
Remansit verbo labia.

8 a. Post diffusa
verbi Dei semina

8 b. Transit sanctus
ad sanctorum agmina.

9 a. Hic solvendi palmam
Praefert saepe claram,
Praedam praefert ut in vita
Potens ita
Post exitum hominem
Ad talia.

9 b. Hic praedonum praedo sanctus
Carceratis solvit planctus,
In auram solvit
Et resolvit
Nexus hemicyclios
Potentia.

10 a. Confessor Leonarde,
Nos, qui sumus mentis tardae,
Malis vinctos evincula,

10 b. Ut multos catenarum
Sic nos a vinclis culparum
Absolve prece sedula,

11. Praestante Dei gratia,
Qui regit unus omnia.

Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. Ohne Melodie.

269. De sancto Leonhardo.

1 a. Eia, fratres, gaudeamus,
Dum hunc diem honoramus
Debitis obsequiis,

1 b. Leonhardus quo beatus
Est susceptus laureatus
In caeli palatiis.

2 a. Iste sanctus gloriosus
Fuit natus generosus
Ex regum prosapia;

2 b. Eius clari genitores
Erant et inter priores,
Quos habebat Francia.

3 a. Rex illustris Clodovaeus,
Quem praefecit Gallis Deus,
In baptismo tenuit,

3 b. Illum sanctum Remigius,
Archipraesul egregius,
Nutrivit ac docuit.

4 a. Hic in pueritia
Literarum studia
Frequentabat iugiter,

4 b. Relecta cotidie
Commendans memoriae
Retinebat firmiter.

5 a. Recusatis omnibus
Pompis et honoribus
Quasi magno onere,

5 b. Expeditus nexibus
Mundi quasi retibus
Cupit pauper vivere.

6 a. Verbum Dei praedicando,
Corda fera mitigando
Exhortationibus

6 b. Sanitatem aegris dabat
Et oppressos liberabat
Ab infirmitatibus

7 a. Munus istud et regibus
Impetrabat hic precibus
Datum sibi largiter;

7 b. Carceratos visitabat,
Visitatos liberabat
Hoc exercens iugiter.

8 a. Dum regina aegrotaret
Et in partu laboraret
Facta morti proxima,

8 b. Flebat rex et domestici
Eius et cuncti aulici
Prae magna tristitia;

9 a. Leonhardus transiens
Et clamores audiens,
Scisciatari gestiens
Causam tanti gemitus.

9 b. Iter coeptum deserit
Mali causam et quaerit,
Quod regina sic perit,
Audit mali territus.

10 a. Videns reginam cubantem
Miseratus aegrotantem
Preces fundit Domino;

10 b. Statim praegnans liberatur,
Omnis dolor effugatur
Cunctorum ex animo.

11 a. Rex praesentat pretiosa
Dona satis et formosa,
Sed sunt illi iam perosa
Munera regalia;

11 b. Partem silvae poscit tantum,
Circuivit ipse quantum
Nocte, sic rex placat sanctum
Xenia per talia.

12 a. Templo silva decoratur,
Et altare consecratur
Et a multis honoratur
Ob eius magnalia.

12 b. Leonharde, serve Dei,
Nos indigni, nimis rei,
Mereamar per te vehi
In caeli palatia.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 5 a, 3 honore AB. — 7 a, 2 hic fehlt AB. — 8 b, 1 sq. domestici u. aulici umgestellt AB. — 10 b 3 Tantorum examine AB. — Nach 12 b, 1 schiebt B ein: Digne famulatus ei.

270. De sancto Lubentio.

1 a. Maiestati sit supernae
Laus et honor ab internae
Mentis nostrae iubilo,

1 b. Angelorum hierarchias
Quae per ternas tetrarchias
Ornat absque nubilo.

2 a. Regna caeli de caverna
Nam conscendit ad superna
Presbyter Lubentius,

2 b. Concrepando symphonias
Caelicas et euphonias
Iubilans decentius.

3 a. Mire contra Rheni cursum
Cymba ferens corpus sursum
Tendit nutu caelico.

3 b. Ad locum praedestinatum,
Ubi corpus tumulatum
Veneratur oppido.

4 a. Non latere
Sed patere
Virtus huius
Potest, cuius
Caelum tenet animam.

4 b. Nam lucerna,
Quam superna
Vis accendit,
Sursum tendit
Lucendo per gratiam.

5 a. Unde sacrae trinitati
Necnon trinae unitati
Vocum modulamina

5 b. Supplicantes immolemus
Et ovantes hymnizemus
Iubilosque carmina,

6. Cum electis
Et perfectis
Intra chorum
Angelorum
Ut cantemus Alleluia.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. A. — Miss. Trevirense imp. absque (Basileae 1490.) B. — Dem Akrostichon „Marcmannus“ begegneten wir bereits Anal. IV, 185.

271. De sancto Lubentio.

1 a. Ad honorem tuum, Christe,
Repraesentet ecclesia,

1 b. Quae et qnanta martyr iste
Passus fuit crudelia

2 a. Sub regina Brunelchide,
Quae habebat daemonia;

2 b. Prospice, audi et vide,
Quae sit eius malitia.

3 a. Gaudet damnis alienis
Illius avaritia.

3 b. Divitibus et egenis
Tristis est atque anxia.

4 a. In Francorum proceribus
Infert inimicitias, *
Nobiliores sedibus *
Deponebat et gratia,
Infimis nobilibus *
Dans eorum praedia. *

Hanc beatus Lupentius *
Reprehendens de scelere;

4 b. Iussit servis quantocius
* Sanctum poni in carcere.
*
Memor Dei, non oblitus,
Orationi deditus,
* Dum fuisset in carcere
Positus, Deum colere
* Non cessavit humiliter
Sed orabat fideliter.

5 a. Deus sancto Lupentio
Dixit: esto de praemio
Firmus, notro collegio
Addendus es martyrio.

5 b. Valde laetus efficitur
Et a quibus custoditur,
Dixit dissolutionem
Sui, Dei visionem.

6 a. Vadam, inquit, ad Dominum
Non habens longum terminum.

6 b. Statim custodes carceris
Dicunt reginae et ceteris.

7 a. Hic sanctus, cuius hodie
Celebrantur sollemnia,

7 b. Iam revelata facie
Regem cernit in gloria.

8 a. Illic regina virginum
Transcendens culmen ordinum

8 b. Excuset apud Dominum
Nostrorum lapsus criminum.

9 a. Nos ad sanctorum gloriam
Per ipsius suffragia

9 b. Post praesentem miseriam
Christi perducat gratia.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533. — Str. 7 a u. ff. sind der Sequenz Supernae matris gaudia entnommen und unorganisch mit dem vorhergehenden verbunden.

272. De sancta Lucia.

1 a. Lux refulsit actualis,
Toti mundo virtualis.
In effectu nulla talis
Rerum atque nomine.

1 b. Haec Lucia nuncupata
Recte causa dirivata,
Mente, verbo cunctis grata,
Pleno praestat lumine.

2 a. Quam natura sic dotavit
Suis donis et beavit,
Quibus turba rutilavit
Civitatis propriae.

2 b. Cuius vitam intuentes
Vulgo cives amplectentes
Currunt morbo iam medentes
Matris Eutitiae.

3 a. Cum haec templo peroraret,
Claustro lector vocem daret,
Hinc perpendit, ut sanaret
Christus fluxum sanguinis

3 b. Matris suae patientis,
Annis quadris hunc fundentis,
Tam curari cupientis
Arte docti hominis.

4 a. Iam in somnis apparentis
Orans virgo sanae mentis
Vidit vultum adloquentis
Agathae praedulcia.

4 b. Quae confestim nuntiavit,
Quod Lucia postulavit,
Matrem, dicens, liberavit
Tui voti copia.

5 a. Hinc Luciae mitis natae,
Carnis sponso subarrhatae,
Corde tamen Deo datae,
Parens pulsa precibus

5 b. Mundum patris ampliatum,
Quem post dies dabat gratum,
Sponte tulit esse satum
Pauperum in usibus.

6 a. Post haec sponsus dictis favit,
Quibus nutrix eum pavit,
Unde sponsam accusavit
Iudici Paschasio.

6 b. Cum qua diu altercatur,
Praeses victus malignatur,
Iussit spurcus, ut tradatur
Turpi lenocinio.

7 a. Sed, cum multi contrectarent
Fune sanctam, adligarent
Terrae, licet laborarent,
Noys fixit gratia.

7 b. Iudex nequam, furibundus
Magis quaerit ut profundus,
Quibus fudit ut immundus
Olei hanc copia.

8 a. Inde bobus temptaretur,
Multis trahi moreretur,
Pix, resina liqueretur
Eam iussit oleo.

8 b. Quamvis virgo foret pressa,
Numquam tamen his defessa,
Donec ense dire laesa,
Constans fuit adeo.

9 a. Ob hoc tiro catenatus
Per hanc plebi prophetatus
Romae fuit captivatus
Sui iuris meritis.

9 b. Eia, martyr solidata,
Sertis trinis coronata,
Perduc reos ad optata
Lapsis suis debitis.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. B. — 4b 1 Qui AB. — 4b, 3 ducens AB. — 6b, 1 Cum quamdiu AB. — 9a, 3 capitatus A. — Der Text bleibt vielfach recht dunkel.

273. De sancto Lucio.

1. Laus creatori
saeculorum cunctorum,
redemptori
omnium iustorum,

2 a. Veniae datori
virtus, magnificentia,

2 b. Cui flectit genu
orbis trina machina.

3 a. Qui sub peccato
conclusos
reparat gratia,

3 b. Nullum dedignans
supernis
miscuit gaudiis.

4 a. Ad supplementum
ordinis lapsi
dragmam quaerit dudum
perditam,

4 b. Sumpsit lucernam,
domo eversa
supernis monstravit
civibus.

5 a. Gaudium
umeris
ovis vecta propriis
tribuit angelis.

5 b. Timotheum
Galliarum
Paulus mittit partibus
luminis baiulum.

6 a. Ubi, quae sunt oves
erraticae,
reddidit aulae
Christi montivagas;
laetetur, exsultet
trina Gallia
de tanta gratia.

6 b. Fonte abluitur
vivifico,
nascitur Christo.
[sed] mundo moritur,
quem Christus iucundo
fovet gremio
patris in solio.

7 a. Surge, Britannia,
soporis longi
depressa ignavia,

7 b. Nuntia Lucio,
quod venit vita,
nocti successit aurora.

8 a. Stans Thimotheus
dat verba vitae,
rex audit anxius
de salute.

8 b. Idola spernens
se fonti vitae
cum suis contulit
sitiens.

9 a. Hinc baiulus
crucis Christi
mundi fluctus
nudus evasit,

9 b. Cum patria
terra linguens
parentes, co-
gnatos, affines.

10 a. Augusta Vindelica
excipit avida
tanti dogma patris
ac regis
relinquens idola.

10 b. O quam felix Curia,
Rhaetiae civitas,
talem se praeconem
habere
gaudens a Domino!

11 a. Mente devota,
tanti pignoris
alumna,
digna concrepa
cantica.

11 b. Mersas qui fonte
feras mitigat
agrestes
hominesque facit
caelestes.

12. Regi regum
nunc laudes canamus,
ut superis
nos iunctos concivibus
regno dignetur suo.

Miss. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 337. A. — Sequent. ms. Sangallense anni 1567. Cod. Sangallen. (Brander) 546. B. — 1, 3 redemptori fehlt A. — 2 b, 1 sq. flectis orbis genu A. — 3 a, 2 conclusus A. — 4 a, 3 iam dudum A. — 6 a, 1 Ubi quaesivit oves A. — 8 b, 2 forte vitae B. — 8 b, 4 sciens B. — 9 a, 2 Christo B. — 9 b, 1 Dum A. — 10 a, 1 Augusta Verdolita A; Augusta cum lita B. — 10 a, 5 linquens A. — 11 b, 1 Mersos A; Mersaque B. — Melodie: Iucunda. — Die Sequenz fehlt bei Daniel V hinter Nr. 207.

274. De sancto Marco.

1. Gaudeant cunctae
partes Europae,

2 a. Magis haec nostra,
quam colimus,
Germania;

2 b. Laetetur istis
sed maxime
Augia sollemniis,

3 a. Quae sanctum suo
evangelistam

3 b. Meruit sinu
Marcum fovere.

4 a. Quem propheta vidit
futurorum praescius

4 b. Quattuor vultuum
animalium unum.

5 a. Iohannes
quem virgo
mysteriarches

5 b. Caelestium
scripserat
esse leonem.

6 a. Celsa quaternorum
columna mundi
hic ceu procerum,

6 b. Miracula Christi
scriptitando qui
sparsere orbi.

7 a. Salve, o principis
apostolorum tu
amor, Marce,
Alexandriae gloria,

7 b. Anni quem tempora
polique climata
monstrant quadra
a primordiis saeculi.

8 a. Nunc fortis tropaeum
celebremus athletae,

8 b. Quem praesens lux solis
nostris advexit votis.

9 a. Vita, mores nostri
eius donentur preci,

9 b. Sentiamus suum
ut semper suffragium

10. Cuncti sanctorum coetui.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 7 b, 1 Anni quos; entweder ist quem zu lesen, oder 7 a und 7 b sind umzustellen. — Melodie: Iustus ut palma (minor).

275. De sancta Margareta.

1 a. Laus tibi, Christe,
fili Dei unigenite,

1 b. Cum patre qui regnas
in unitate paracliti.

2 a. Quem agnum sequuntur
agmina virginum,
quocunque ierit,

2 b. Nomen tuum et patris
in suis frontibus
scriptum habentia.

3 a. Inter quas haec virgo candet
virginitatis lilio

3 b. Et rubet roseo vultu,
rubicunda martyrio.

4 a. Nomen cuius
ab evangelica
tractum est margarita,

4 b. Quam inventam
venditis omnibus
emit negotiator.

5 a. Haec tua, Christe, speciosa
tecum delectatur
in hortis aromatum;

5 b. Haec tuum ingressa thalamum
tuae visionis
gratia iucundatur.

6 a. Quam pro nostris excessibus
apud te semper
intercedere poscimus,

6 b. Ut mundati criminibus
aeternam mortem
praevenire possimus.

7 a. Ut ipsa duce praevia
vestibus in albis
te mereamur sequi
per portam aeternalem,

7 b. Ut illuc eius merita
nos levent ad alta,
quos nostra mala trahunt
ad portam infernalem.

8 a. Ergo, Christe, rex aeternae
gloriae,
memor in nobis
tuae sis Margaretae,

8 b. In cuius iucunditatis
gaudio
caelestis aulae
concinunt symphoniae:

9. Laus tibi, Christe Domine.

Miss. ms. Agriense anni 1394. Cod. Capit. Agrien. U^2 VI 5. — 4a, 2 sq. Tractum est ab evangelica. — 4b, 1 inventa. — 5a, 3 mortis aromatum; aus *in ortis* ist *mortis* verschrieben. — 6b, 3 pervenire. — 9b, 4 symphonia.

276. De sancta Margareta.

1 a. Margaretam collaudemus,
Eius festum celebremus,
Laudes Deo personemus
Cum dulci melodia.

1 b. Olybrium non expavit,
Diabolum conculcavit
Et tyrannos superavit
Fidei constantia.

2 a. Hanc glutire fuit ausa
Fera, cuius ventre clausa
Fuit, sed crux erat causa
Salutis in virgine.

2 b. Haec secuta Christi nomen
Christianis fit solamen,
Vitae non amisit omen
Deum sequens lumine.

3 a. Caeli cives adfuerunt
Eius morti, condiderunt
Eius corpus et tulerunt
Spiritum in gloria.

3 b. Ipsam ergo deprecemur,
Ut in caelis collocemur
Et cum Deo gloriemur
Per eius suffragia.

Miss. Turonense imp. Rotomagi 1493. A. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1559. B. — 3a, 2 condiverunt A. — Melodie: Verbum bonum.

277. De sancta Margareta.

1 a. Gaudet chorus angelorum
In ascensu beatorum
Ad caelestem curiam;

1 b. Gaudet illuc transplantatus,
Quod ultra nullam beatus
Accipit iniuriam.

2 a. Huius mundi fame spreta
Epulatur Margareta
In caeli conviviis.

3 a. Suae pascens haec nutricis
Gregem in campis apricis
Exsufflat Olybrium;

4 a. Mittitur in tenebrosa,
Hostis ubi rabiosa
Destruit consilia.

5 a. Mira huius mens puellae,
Quam non fregit vis procellae,
Ut pareret sceleri.

6 a. Huius virgo iussionem
Sprevit, ut sprevit rufonem
Cum mentis constantia.

7 a. Petit virgo moritura,
Sit maestorum Christo cura
Ipsam invocantium;

8 a. O beata Margareta,
Posce, Christi nos ut laeta
Subsequatur gratia.

2 b. Iubar aeterni speculi
Spectans laetatur saeculi
Despectis lasciviis.

3 b. Spretus ab opilione
Dolet tamquam in agone
Positus ludibrium.

4 b. Revocatur ad praefectum,
Vitae sprevit haec defectum
Christi per auxilia.

5 b. A tyranno imperatur.
Ut de terra eradatur
Illa morte celeri.

6 b. Christus ipsam superare
Docuit et exsufflare
Nefas ab infantia.

7 b. Quod sint eius preces ratae,
Ferunt voces sursum natae
Ad aures astantium.

8 b. Huius, Christe, intercessu
Nos mundatos ab excessu
Tuo vultu satia.

Grad. ms. Montis S. Mariae saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Guelf. 542 (Helm. 502). — 2a, 2 Epuletur. — 5 b, 2 e terra deradatur.

278. De sancta Margareta.

1 a. Veneretur unitas,
Collaudetur trinitas
Pari reverentia.

2 a. Qui caelestis gloriae
Margaretam hodie
Duxit ad palatium;

3 a. Vana mundi respuit,
Christum solum coluit
Virgo prudentissima;

4 a. Ista virgo stabilis
Et nunquam mutabilis
Ligavit daemonium.

5 a. Virgo benignissima,
Virgoque dulcissima,
Vernans quasi lilium,

1 b. Deus trinus in personis,
Mirae tamen rationis
Unus in essentia.

2 b. In tormentis virgini
Paranymphus Domini
Praebuit solacium.

3 b. Signis cum virtutibus
Ac diversis laudibus
Claruit sanctissima.

4 b. Casta mori voluit,
Hinc tyrannus doluit,
Sprevit matrimonium.

5 b. Iugiter pro populo
Degenti (iam) in saeculo
Roga Dei filium.

6. Amen dicant omnia.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. A. — Miss. Trevirense imp. absq. (Basileae 1490). B. — Melodie wohl: Veni sante spiritus.

279. De s. Maria Magdalena.

1 a. In caelesti hierarchia
Novi cantus harmonia
Congaudendo resonet;

1 b. Huic concors melodia
Nostri chori pro Maria
Deo laudes intonet.

2 a. Olim quidem vas foetoris
Magdalena, vas odoris
Data est ecclesiae;

2 b. Synagoga vitiorum
Dedicatur templum morum,
Virtutum et gratiae.

3 a. Dum se sentit infici
Ex morbo multiplici
Deo iam defuncta,

3 b. Festinat ad medicum
Ferens aromaticum
Vas, corde compuncta.

4 a. In fervore sanctae spei
Domum intrat pharisaei
Plorans inter epulas;

4 b. Christi pedes ungit, tergit,
Mysteriis mox extergit
Mentis eius maculas.

5 a. Flavit auster et fugavit
Aquilonem, dum purgavit
Septem eius vitia;

5 b. Ubi nefas inundavit,
Ibi superabundavit
Multiformis gratia.

6 a. Patri nonaginta novem
Derelictis Christus ovem
Cum dragma restituit.

6 b. Terra siccae vastitatis
Hortus mirae voluptatis
Hodie refloruit.

7 a. O quam felix femina,
Quam post tot discrimina
Amor sic incendit;

7 b. Cui primum prae ceteris
Revertens ab inferis
Se Christus ostendit.

8 a. Fletus, fusum ter unguentum
Probant ignem violentum
Penetrantem intima.

8 b. Spernens omne blandimentum
Non reliquit ad momentum
Christum eius anima.

9 a. Non es, mater, spe fraudata,
Quae nunc gaudes iam dotata
Cum supernis,

9 b. Ubi hauris, quod sitisti,
Et dilecti tui Christi
Vultum cernis.

10 a. Ergo, dulcis Magdalena,
Per te reis fluat vena
Salutis et veniae.

10 b. Ut post mortem agni cena
Perfruamur in amoena
Beatorum requie.

Miss. Praedicatorum imp. Neapoli 1483. A. — Miss. Lausannense imp. Lausannae 1493. B. — Miss. Lausannense imp. Gebennis 1522. C. — 3 b, 2 fehlt A. — 4 b, 1 pedes figit BC. — 5 b, 1 emundavit BC. — 6 a, 2 Derectus Christus C. — 8 a, 1 Fletus sulsum C. — 8 b, 1 Spernans A. — 9 a, 1 Non est C. — 10 b, 2 Perfruatur A; Fruamur BC. — Vgl. Pellechet, 343. — Melodie: In caelesti hierarchia.

280. De sancta Marina.

1 a. Verbum bonum eructavit
Virgo, quae se consecravit
Regi Christo, quem amavit,
Margarita regia.

1 b. Ista prudens est Marina,
Mari firma stans carina,
Pulchra rosa sine spina,
Margarita regia.

2 a. Dedicata Deo vero
Pulchre pugnat cum austero
Hoste mitis et severo,
Margarita regia.

2 b. Preces spernit eius mille,
Poenas ridet, quas dat ille,
Bonae mentis et tranquillae,
Margarita regia.

3 a. Tenebrosa sistens aede
Visionis hostem foedae
Luscum reddis terens pede,
Margarita regia.

3 b. A dracone post absorpta,
Cruce ventris rupta porta
Prodis inde velut orta
Margarita regia.

Brev. ms. Zamorense saec. 15. Cod. Capit. Zamoren. s. n. — 3b, 3 Prodis idem. — Melodie offenbar: Verbum bonum et suave. — Marina nur andere Namensform statt Margareta.

281. De sancta Martha.

1 a. Ad honorem sanctae Marthae
Personent ex nostra parte
Cantica suavia.

1 b. Omnes ergo iucundemur
Nec ab huius sequestremur
Diei laetitia.

2 a. Stirpe clara generata
Erat docta, timorata,
Moribus eximia.

2 b. Huic Sirus fuit pater,
Princeps magnus, sic et mater
Dicta est Eucaria.

3 a. Quos divina
Prole trina
Fecundavit gratia:

3 b. Sunt Lazarus,
Deo carus,
Fratres Martha, Maria.

4 a. Istos tres qui genuere,
Vere beati fuere,
Et, quae eos lactavere,
Ubera felicia.

4 b. Ipsos Iesus diligebat
Et hoc satis ostendebat,
Cum ad horum veniebat
Saepius hospitia.

5 a. Ibi nocte quiescebat,
Ibi sero capiebat
Corporis cibaria.

5 b. Iam peccata condonantur
Mariae, ac effugantur
Ab ea daemonia.

6 a. Martha votum castitatis
Servans hospitalitatis
Et totius pietatis
Exhibet officia;

6 b. Omni namque venienti,
Locupleti vel egenti,
Beneficia petenti
Praebet necessaria.

7 a. Dum Lazarus infirmatur,
Christus venire moratur,
Sed mors venit praevia;

7 b. Iesus venit, et monstratur
Locus, ubi tumulatur,
Solvuntur sudaria.

8 a. Tremit exanimis
Spiritus, intimis
Membris refunditur,
Defunctus oscitat
Et caros visitat,
Ad quos revertitur
Verbi potentia.

8 b. Iam cuncto populo
Viso miraculo
Fit magnum gaudium,
Praesentes aderant
Multi, qui viderant
Istud prodigium,
Perit tristitia.

9 a. Draco ferox et astutus
Victus stetit atque mutus,
Nec resistit ferienti
Plebi nec se perimenti,
Marthae pressus fascia.

9 b. Cum ad Martham transgreditur
Puer, in amne moritur;
Marthae cadaver sistitur,
Statimque vita redditur,
Dum orat virgo pia.

10 a. Ora pro nobis, domina,
Dimittat ut peccamina
Nobis regens omnia,

10 b. Prece tua emundatos
Nos et sanctis sociatos
Collocet in gloria.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 1 a, 2 Personet AB — 9 a, 1 ferox cera scutus A; cira scutus B. — 9 a, 4 Plebe AB. — 9 b, 2 inanne A. — 9 b, 3 Martha AB.

282. De sancto Martino.

1 a. Gloriosus
Christus, rex humilis,
In Martino
fuit mirabilis,

1 b. Nam Martinus
caelesti gratia
Repletus fecit mirabilia.

2 a. Hic hiemali frigore
vexatum miles miserum
Vestivit parte chlamydis
Martinus, amor pauperum.

2 b. Sequenti nocte pallio
tectus dicebat Dominus:
Hanc vestem mihi tradidit
Martinus catechuminus.

3 a. Mundus mundi divitias
odio semper habuit
Et cum sanctis paupertatem
pauper dilexit, coluit.

3 b. Post dimisit militias
datus Dei servitio,
Vires frangebat corporis
vigiliis, ieiunio.

4 a. Suscitavit tres mortuos
in virtute trinitatis,
Latronem fidem docuit
seminator veritatis.

4 b. Devoratores piscium
mergos vidit in flumine:
„Fugite, forma daemonum“;
facto recedunt agmine.

5 a. Sacro perunctum oleo
Mutum loquentem reddidit,

5 b. Plebs gavisa miraculo
In Iesum Christum credidit.

6 a. Iste suum
praescivit obitum,
Quod cum fuit
fratribus cognitum,
Dolor parit
fletus et gemitum.

6 b. Ne deseras
nos, clamant filii,
Grex tuus est
expers consilii,
Hunc invadunt
daemones impii.

7 a. Ad haec sanctus maerens
respondit anxius:
Si populo tuo
sum necessarius,
Velle tuum doce,
Deus propitius.

7 b. Deus dixit: audi,
fili, consilium,
Hoc est velle meum,
accipe bravium,
Vitam perpetuam,
victoris praemium.

8 a. Martinus igitur
Ad nutum Domini
Caelos ingreditur,

8 b. Cum sanctis fratribus
Caelorum civibus
Laetus suscipitur.

9 a. Tu, qui vides Christum
In patris sinibus

9 b. Et es ante Deum
Cum senioribus,

10. Ora, sancte praesul,
Pro peccatoribus.

Grad. ms. montis S. Martini anni 1426. Cod. Capit. Scepusien. s. n. 2a, 2 vexatur. — 3a, 4 et coluit. — 3b, 4 ieiuniis. — 4b, 2 mersos. — 4b, 3 Dixit: fugite formam daemonum. Zwei Silben zu viel; wahrscheinlich ist zum leichteren Verständnisse d i x i t eingeschoben. — 4b, 4 recedit. — Die ganze in 4b berührte Erzählung lautet in der Historia Lombardica: Pergens ergo vidit mergulos in flumine piscibus insidiantes et quosque capientes. F o r m a, inquit, h a e c d a e m o n u m e s t. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, saturari nequeunt devoratis. Imperat igitur, ut relicto gurgite desertas peterent regiones. Statimque g r e g e f a c t o montes silvasque petierunt. — 6a, 5 perit. — 6a, 6 gemitus. — 6b, 5 Hanc. — 7a, 2 anxium.

283. De sancto Martino.

1 a. Honorandus est Martinus,
Quem recepit sanctus sinus
In caelesti patria,

1 b. Honoratur hic a Christo,
Dum de mundo migrat isto
Victurus in gloria.

2 a. Quam devotus, quam benignus
Et quam fuit Deo dignus,
Eius probant opera,

2 b. Largus fuit et iucundus,
Mente, verbo, carne mundus,
Pia gestans viscera.

3 a. Hic in fide trinitatis
Mortuorum trium gratis
Suscitavit corpora,

3 b. Quod de raro confessore
Tale monstrum factum fore
Nostra ferunt tempora.

4 a. Restitutor luminum
Hic fuit caecorum,
Pius indigentium
Pater orphanorum,

4 b. Speculum ecclesiae,
Splendor monachorum,
Regula iustitae,
Stimulus malorum.

5 a. Clarus vita,
sed morte clarior,
Nam post mortem
lacte candidior
Eius caro
et vitro purior
Permanebat.

5 b. Ad hoc funus
praesul egregius
Celebravit
missam Ambrosius,
Corpus eius
semotum longius
Dormiebat.

6 a. O Martine,
pastor egregie,
Preces sanctae
matris ecclesiae
Offer Christo
in arce gloriae

6 b. Et nos tecum
concede tendere,
Quo tu miles
dignus es scandere,
Ut post mortem
possimus vivere,

7. Ubi sanctus quisque fideliter
Honoratur.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. C. — 5 b, 5 Cuius corpus B. — Str. 7 fehlt AC.

284. De sancto Martino.

1 a. Adest dies omni mundo
veneranda,

1 b. Qua Martinus sacerdotum
migrat gemma.

2 a. Cuius vita rutilavit
quantum lucidissima,

2 b. Mors testatur in conspectu
Dei probatissima.

3 a. Nam cum mundi esset hospes,
Cuius status non est sospes,
Eius sprevit gaudia.

3 b. Nec arentis affectavit
Fructus, quia non amavit
Blandimenta noxia.

4 a. Sibi vilis, Deo carus,
Dispensator non avarus
Regna pavit proxima,

4 b. Servus prudens et fidelis,
In conservos non crudelis,
Erogavit plurima.

5 a. In virtute trinitatis,
Ope fretus deitatis
Signa fecit maxima,

5 b. Terna reddens miserorum
Vitae plasta mortuorum
Lege potentissima.

6 a. Subiectos nequam spiritus
Suppeditavit penitus
Gloria deifica,

6 b. Quibus potens imperavit,
Ab obsessis effugavit
Manu pulsos caelica.

7 a. Post agonum tot labores,
Quibus vitae carpsit flores,
Vocatus ad praemia,

7 b. Dubitavit, quid optaret,
An discipulos iuvaret,
An se, mente anxia.

8 a. O virum ineffabilem
Virumque invincibilem
Carne atque anima,

8 b. Quem nec mors dira terruit,
Nec vitae gravis taeduit
Cura pressum ultima.

9 a. O Martine, pastor pie,
claustra nobis supera

9 b. Patrem prece meritoque
exorando resera.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 3 a, 2 Eius status. — Nach Strophe 9 folgte noch eine Strophe, die völlig abgescheuert ist.

285. De sancto Mauritio.

1 a. Victimas reddamus laudes
inclito martyrum regi,

1 b. Qui Thebaeae legionis
illustres elegit tirones.

2 a. Magnus redemptor orbis
victum adligavit
praedamque electam
acquisivit.

2 b. Verus Israel Christi
gratia ex Aegypto
ductus idolatriae
sprevit ritus.

3 a. Mauritius, princeps
militiae clarissimae,
Armatus fide, non ferro,
praecedit sanctos vim
patiendo.

3 b. Colla tradunt omnes
sub gladio aequanimes;
Mactatur Christo grex sanctus,
sacratur Gallia sanctis
cruoribus.

4 a. Caeli laetantur cives in
Thebaeorum triumphis,
congaudent angeli
animabus susceptis.

4 b. Tenunc, Christe, collaudamus,
qui es martyrum virtus,
tu solus potens rex
dominaris, regnas.

Grad. ms. S. Michaelis Nordhusen. saec. 15. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 3 a, 4 procedit. — 3 b, 4 sacratur galea. — Melodie: Victimae paschali laudes, aber nachlässig gehandhabt.

286. De sancto Mauritio.

1 a. Harmonia musicorum
Perdulcia canticorum
Prodat modulamina,

1 b. Ducis pii Thebaeorum
Mauritii et suorum
Collaudans certamina.

2 a. Hic Thebaeae regionis
Dux rubeae legionis
Deduxit exercitum

2 b. Per vim dirae passionis
Ad futurae visionis
Dei laetum transitum.

3 a. A patria convocantur,
Ad impia provocantur
A Maximiano,

3 b. Nec a piis revocantur
Nec impiis implicantur
Edicto profano.

4 a. Christianos se testantur
Et profanos detestantur
Cultus idolatriae,

4 b. Hortantur et confortantur,
Animantur et armantur
Virtute constantiae.

5 a. Maximianus turbatur
His insanus, decollatur
Legionis decimus;

5 b. Furor eius iteratur
Agens peius, augmentatur
Sanctis ardor intimus.

6 a. Arma legio deponit,
Caput gladio supponit,
Decollatur pariter.

6 b. Animas caelo reponit
Deus, coronas imponit,
Et regnant feliciter.

7 a. Felix situs Agaunensis,
Fluctus citus Rhodanensis
Sacro fluens sanguine;

7 b. Urbs beata Viennensis,
Ducis ditata Thebensis
Capitis munimine.

8 a. Sancti fractis corpusculis
Fulgent factis miraculis,
Faber punitur nocuus,

8 b. Salvant ab orbis vinculis,
Plagis, morbis, periculis,
Matri decantat mortuus.

9 a. Ad istorum instantiam
Peccatorum det veniam
Nobis rex angelorum

9 b. Et septiformem gratiam
Et deiformem gloriam
Per saecula saeculorum.

Missale Gratianopolitanum imp. Gratianopoli 1532. — 3 a, 1 convocatus. — 3 a, 2 provocatur. — 3 b, 3 Edito. — 7 a, 2 Fluctus situs. — 7 b, 2 Ditata ducis. — Zu beachten der Binnenreim; die Herkunft der Sequenz zeigt 7 b, 1.

287. De ss. Maximo et Venerando.

1 a. Ad celsi regis gloriam
Pangat chorus melodiam,
Qui in sanctis mirifica
Operatur magnalia.

1 b. Per quos suis multimoda
Largitur beneficia,
Vocans multos ad gaudia,
Quae dat iustis perennia.

2 a. Inter quos fratrum gloria
Clarescit et victoria,
Qua gentium ludibria
Vicerunt et sculptilia.

2 b. Quorum Maximus fulgida
Pontificali infula
Et Venerandus titulo
Diaconii emicat.

3 a. Nobilitatis linea
In urbe clara Brixia
Patre Magno sunt geniti
Et genetrice Cassia.

3 b. Hos sanctus papa Damasus
Sacrans ordinis gratia,
Ut verbo Dei repleant
Mittit gentium intima.

4 a. Qui dum mentes ad dogmata
Convocarent caelestia,
Urget iudex Vitalius,
Ut sua colant idola.

4 b. Contemnentes immania
Trahuntur ad supplicia,
Ungulis in suspendio
Membra secantur tenera.

5 a. Sed mox ipsorum precibus
Franguntur falsa numina,
Rediguntur in pulverem,
Pravorum stupent agmina.

5 b. Hinc fornacis incendia
Subeunt nimis valida,
Quibus confestim adfuit
Iesu Christi praesentia.

6 a. Cuius virtute plurima
Combusta turba impia,
Sancti illaesi exeunt
Deo dantes magnalia.

6 b. Rotis ligati postea
Magna ferunt supplicia,
Rursus oblati bestiis
Servantur Dei gratia.

7 a. Hos dehinc clausos carcere
Eduxit virtus caelica,
Quibus mox iubet angelus,
Ut petant arva Gallica.

7 b. Qui dum mente promptissima
Accelerant itinera,
Ad laudem Dei plurima
Operantur magnalia.

8 a. Nam vitae tria corpora
Reddunt luce carentia,
Contractis vires referunt
Et tribus caecis lumina.

8 b. Flumen Sequanae transeunt,
Desunt navis vehicula,
Persecutorum plurimos
Unda submergit reflua.

9 a. Tandem in quadam insula
Aquigniaco proxima
Pro Christo caesi propria
Ferunt tumulis capita.

9 b. Ter deni et bis quattuor
Cum his de turba impia
Tunc conversi ad Dominum
Susceperunt martyria.

10. Horum nos, Christe, precibus
A cunctis malis libera
Et da laetari iugiter
Cum his in aula caelica.

Miss. ms. Fontanellense saec. 14. Cod. Rotomagen. 304. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. B. — Miss. Ebroicense imp. Rotomagi 1497. C. — 3a, 1 Nobilissimi C. — 3a, 2 Brixea A. — 4b, 1 insania A. — 6a, 4 Deo dantur BC. — 6b, 1 Totis ligatis BC. — 7b, 4 miracula C. — Ohne Auffindung der Melodie ist es bei den Abweichungen der Handschriften nicht möglich, festzustellen, ob die Halbstrophe aus zwei oder vier Versen sich aufbaut.

288. De sancto Medardo.

1 a. Confessorum candidatrix
Martyrumque rubricatrix
Caelos ornat gloria,

1 b. Hos coronat horror gravis,
Illos poena maior quavis
Longa patientia.

2 a. Virtus velox in Medardo
Non accessit passu tardo,
Sed a pueritia

2 b. Aequum reddit datum ante,
Pio ludens cum infante
Dei sapientia.

3 a. Pressa cedit pedi petra,
Hunc per udum regit aethra
Tensis alis aquila;

3 b. Surgens aetas post minora
Non declinat, nec aurora
Desipit in nubila.

4 a. Sed gradatim gratiosus
Fit sacerdos gloriosus
Gaudente Vermandia;

4 b. Plebis currus et aurigae
Vim senserunt fixae bigae
Praedae cum iniuria.

5 a. Parvus parvis, magnis magnus,
Pastor constans, mitis agnus,
Ope fulsit plurima;

5 b. Ad supernae centrum spherae
Sphaera missa lucis verae
Transit linquens infima.

6 a. Ut moveret sacrum funus,
Bis repulsa binum munus
Manus dedit regia.

6 b. Pulso Iano servat ibi
Cunctis patrem, corpus sibi
Regalis ecclesia.

7. Serva, pater, tuos tibi
iungendos in patria.

Miss. ms. Virdunense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Virdunen. 99.

289. De sancto Michaele.

1. Agminis
archangelo noveni

2 a. Celebret festum
devotio
christiana,

2 b. Cuius tutelae
commissus est
populus Iudaeorum,

3 a. Quocunque late
ductus legitur,

3 b. Designant libri
ut prophetiae.

4 a. Nam ecclesiae nunc praesul
disponit actus,

4 b. Quae peregrinatur fluctu
labentis saecli,

5 a. Debellans hostium
incursiones

5 b. Apud Deum precibus
cotidianis.

6 a. Proelia facturus
in fine mundi
congredietur

6 b. Adversus omnium
caput malorum
„quis sicut Deus“.

7 a. Tandem victoriam
perempto
dracone sumens pacem
orbi conferet perpetem.

7 b. Sancte archangele
Michael,
nostrae succurre vitae,
recta scandamus ut via.

8 a. Cum distinctis choris
angelorum omnium

8 b. Repelle ignita
vitiorum iacula,

9 a. Concives ut simus
futuri spirituum

9 b. Sanctorum in caelis,
qui pura caritate

10. Semper collaudant factorem.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 2 b, 3 und 5 b, 1 Silbenüberschufs wie in der Stammsequenz. — 6 a, 3 congreditur. — 7 a, 4 confert. — Melodie: Iustus ut palma [minor].

290. De sancto Michaele.

1. Dulce, contio sacra,
vox nostra
sonet Alleluia,

2 a. Regem laudans
regum vasta
per orbis spatia,

2 b. Qui media
mire, ima
regit et supera,

3 a. Caelum, terram, maria
et cuncta, quae
sunt in eis condita,

3 b. Exercetque propria
semper in his
pia moderamina.

4 a. Intendat, en, cantica
residens
in arce siderea,

4 b. Quae nos ad praeconia
canimus
primatis insignia.

5 a. Nunc ergo, sancte
Michael, vocis organa
iam considera
consona
nostra, sanctissime,
quae tibi reddimus debita.

5 b. Omnis haec te nunc
expostulat subdita,
quo largissima
Domini
misericordia
per tua nos salvet merita,

6 a. Tollens pie gravia
nobis pariter atque
levia precamina,

6 b. Ut, quae sunt grata sibi,
nos divina faciat
operari gratia.

7 a. Nec ultra
horribilia
temptamenta
praevaleant
ad caenosa
pertrahere
hostis vesani
contagia,

7 b. Sed clara
servent merita
nos per saecla
angelica
inter ista
multimoda
istius aevi
discrimina.

8 a. Ut mereamur fulgida,
archangele,
te duce scandere aethera,

8 b. Perpetue concrepantes
dulcisona
iubilando melodemata,

9 a. Qui potens in aeterna
laetaris gloria

9 b. Caelicolarum inter
principans agmina.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 5 a, 4 sq. nostra consona.

291. De sancto Michaele.

1 a. Recolendo Michaelis
Visitantis nos de caelis
Indictam memoriam,

1 b. In confinio Sipontis,
In Gargani parte montis
Celebrem ecclesiam,

2 a. Ad honorem angelorum
Novem ordinum sanctorum
Laetatur ecclesia,

2 b. Ut eorum victis sonis
Nostrae pravitatis thronis
Dulcis sit symphonia.

3 a. Postulemus ergo Christum,
Mittat sanctum chorum istum
Nobis in auxilium,

3 b. Angelos comprovisores,
Archangelos relatores
Donorum caelestium.

4 a. Operemur per mandatum
Virtutum ac potestatum
Tueamur nutibus,

4 b. Principatibus regamur,
Humilibus reprimamur
Dominationibus.

5 a. Habeamus pacem throni,
Cherubim totius boni
Dat intellegentiam,

5 b. Caritate repleamur
Seraphim, ut consequamur
Peccatorum veniam.

6 a. Ordines ergo cunctorum
Simul omnes beatorum
Laudemus spirituum,

6 b. Ut per hos culpae tergantur,
Singulorum dirigantur
Operaque manuum.

7 a. Sic colamus festum horum,
Intersimus ut eorum
Festis in caelestibus.

7 b. Hoc det pater, hoc det natus,
Hoc amborum donet flatus
Devote poscentibus.

Miss. Abulense imp. Salmanticae 1510. — 5 a, 3 Dat nicht zu korrigieren! — 7 a, 1 Si colamus.

292. De sancta Monica.

1 a. Decantemus venerantes
Et optata celebrantes
Hodie sollemnia;

1 b. Mater casta, fide guara,
Vita clara, Christo cara,
Haec beata Monica.

2 a. De profano propagatum
Ipsa parit suum natum
In fide catholica,

2 b. Felix imber lacrimarum,
Quo effulsit tam praeclarum
Lumen in ecclesia.

3 a. Multo fletu seminavit,
Germen uber reportavit
Metens in laetitia.

3 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

4 a. Plus accepit, quam petivit,
O quam miro tunc gestivit
Spiritus tripudio,

4 b. Cernens natum fide ratum,
Sed et Christo iam sacratum
Toto mentis studio!

5 a. Haec egenis ministravit
Et in eis Christum pavit,
Mater dicta pauperum.

5 b. Curam gerens infirmorum
Lavit, stravit et eorum
Tersit sordes vulnerum.

6 a. O matrona gratiosa,
Quam transfigunt amorosa
Crucifixi stigmata!

6 b. His accensa sic ploravit
Lacrimisque irrigavit
Pavimenti schemata.

7 a. Pane caeli saturata
Stat a terris elevata
Cubiti distantia,

7 b. Mente rapta exsultavit,
„Volitemus“ exclamavit,
„Ad caeli fastigia“.

8 a. Eia, mater et matrona,
Advocata et patrona
Sis pro tuis filiis,

8 b. Ut, dum carne exuemur,
Nato tuo sociemur
Paradisi gaudiis.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 2a, 2 Idem parit. — Die Melodie von 3a, 4a und 4b ist dieselbe; doch beweist der Reim den Ausfall einer Strophe. — Melodie: Gaude Sion quod egressus.

293. De sancto Narcisso.

1 a. Fidelis turba Christi
de martyris victoria

1 b. Narcissi collaetetur,
qui vicit hostis proelia.

2 a. Legem fidei,
per quam novit verbum Dei,
docens cum gratia

2 b. Convertit Afram,
idolatram, fide iustam
ab iniustitia.

3 a. O quam fortis dilectio
et invicta constantia!

3 b. Quam praeclara confessio,
quam iusta patientia!

4 a. Per Narcissum Afra
conversa
subit gaudens martyria.

4b. Docturus properat
Gerundam
martyr, cuius sollemnia

5 a. Per mundum hodie
colit ecclesia

5 b. Commendans meritum
laeta de gloria.

6 a. Vitae novae fructum
dant evangelia,

6 b. Quem praedicat iustus
cum fiducia.

7 a. Ergo preces nostras
eius clementia

7 b. Deo repraesentet
data venia.

8 a. Cuius virtutum merita
colunt, laudant
humana et caelestia.

8 b. Ante conspectum Domini
nos adiuvent
illius suffragia.

9. Laus, honor regi,
qui regit omnia.

Brev. ms. Gerundense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Gerunden. 3. — 4b, 2 sq. martyr Gerundam. — 5a, 2 et ecclesia.

294. De sancta Natalia.

1. Exsultantes iubilemus,
Cordis oris incitemus
Incessanter organa.

2 a. Coniugatae resonate
Paenitendo, confitendo,
Rea mens et lingula.

2 b. Ut sequamur, quae miramur,
Nataliae pia piae
Vivendo vestigia.

3 a. O quam digne praedicanda,
Quam benigne veneranda
Nataliae merita,
Quae calcando vallem cum lacrimis,
Inhiando supernis gaudiis,
Sprevit saecularia.

3 b. Haec praedives largitati,
Praepotens humilitati
Studuit aequaliter;
Sociata tyranno coniugi
De tyranno florem martyrii
Produxit feliciter.

4 a. O legales, o beatae,
O recenter celebratae
Nataliae nuptiae,

4 b. O mirandum sponsae votum,
Sponsa sponsum vix iam notum
Poenis gaudet tradere.

5 a. Nec mundana blandimenta
Nec carnis delectamenta
Quaerit a coniugio,

5 b. Sed amore spiritali
Plena trahit a carnali
Sponsum desiderio.

6 a. Consolatur flagellatum,
Visitat incarceratum.
Complexatur vincula,

6 b. Tonsuratis crinibus
Serviens martyribus
Praedicat caelestia.

7 a. Et quod magis est mirandum,
Sponsa ducit immolandum
Cruciatum coniugem,

7 b. Nec miretur mens novella.
Prima sanguinis procella
Consecrat hunc martyrem.

8 a. Nemo digne praedicaret,
Nemo plene pertractaret,
Nemo satis explicaret
Nataliae merita;

8 b. Sancta statu coniugali,
Sanctior in viduali,
Castitate turturali
Refugit conubia.

9 a. Ne tyranno vi iungatur,
Clam recedit nec fraudatur,
Christo namque protegente.
Christo dextrorsum ducente
Pervenit Byzantium.

9 b. Quo tutante navigavit,
Hoc nutante transmigravit
A caducis ad superna,
Quo salute nos aeterna
Salvet salus omnium.

Miss. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 24075.
Melodie: Laudes crucis.

295. De sancto Nazario.

1. Gaudia diei
celebremus hymnis,

2 a. Natalis
venerandi testis
Nazarii,

2 b. Qui nosmet
pater et patronus
conciliat

3 a. Aeterno semper Domino,

3 b. Pro cuius sorte moritur.

4 a. Fortis athleta Domini
triumphari commeruit,

4 b. Quondam agrestis populi
fera corda perdomuit.

5 a. Hic sprevit feritatem
tyranni saevientis
luxuriae

5 b. Nec sibi foeditatem
amplexus popularis
est gratiae.

6 a. Hic bona saeculi
transitiva despexerat

6 b. Nec sibi folia
protoplasti confecerat.

7 a. Sed sibi nuditatem
elegit, ut aeternam
evaderet,

7 b. Et cunctis christianis
exemplum se dedisset
probabile.

8 a. Hunc nostrae
patriae tutorem
deposcimus,

8 b. Quo nosmet
veritatis hoste
custodiat,

9 a. Et summi patris genito

9 b. Commendet suis meritis

10. Cunctis horis.

Cod. Vatican. Palatin. (ol. Laurissen.) 833. add. saec. 10. — Titel der Sequenz: „Beatus vir.“

296. De sancto Nicetio.

1. Trinitati decantate
Novas laudes, clerici,
Gaudentes festivitate
Beati Nicetii.

2 a. Quem pater fecit calcare
Daemonis nequitiam,
Quam filius debellare
Docuit versutiam,
Quem spiritus sanctus stare
Fecit per clementiam.

2 b. In sanctis laudatur suis
Adoranda trinitas,
In festis dicitur tuis
Eius mirabilitas;
En, pater, tu nunquam ruis,
O summa felicitas!

3 a. Sancta vita ambulasti
In valle miseriae,
Miraculis coruscasti
In Treveris limine,
Ventura praenosticasti
Tuo stante comite.

3 b. Tuae praebent sanctitati
Verum testimonium
Quam plurimi scelerati
Dictantes opprobrium,
Quorum te severitati
Dedisti mitissimum.

4 a. Verbum Dei seminasti
Labris tuis propriis
Et nec regis formidasti
Probris quassus plurimis,
Tuas sed oves curasti
Nil committens exteris.

4 b. O oves multum felices,
Quibus pastor proprius!
Nam dum habent cicatrices,
Adest diligentius,
Quod non, quia gerit vices,
Facit mercenarius.

5 a. Sape regem Theudericum
Culpasti ob vitium,
Et propter hoc te amicum
Suscepit dignissimum,
Sed sic tibi inimicum
Fecisti Lotharium.

5 b. Multum pater te dilexit
Theudericus inclitus,
Sed secundum te direxit
Legi Dei subditus,
Te ad praesulatum vexit
In amore fervidus.

6 a. Quando praedicant praelati
Tollentes stipendia,
Praedicant communitati
Viles in plebicula,
Hinc, quae dicunt, vanitati
Ascribuntur omnia.

6 b. Quando modo amant clerum
Reges, duces, principes,
Non mentior, dico verum,
Multum sunt ignobiles,
Ad suum tollunt galerum,
Quidquid habent pauperes.

7 a. Te, o beate Niceti,
Vitae normam colimus,
Qui te prostravisti neci
Verax in sermonibus,
Nostrae precamur, sis faeci
Intercessor sedulus.

7 b. Dum Trevericos vastaret
Lues inguinaria,
Et dum quaedam vox sonaret
Nocte ut tonitrua,
Orasti, ne molestaret
Daemonis nequitia.

8 a. De tuis gaude patronis,
O tu felix Treveris,
Ad hos tuam si spem ponis
Cunctis in angustiis,
Huius ope contionis
Evades periculis.

8 b. Unam portam civitatis
Observat Nicetius,
Ad aliam, ne cadatis,
Excubat Eucharius,
Maximinus, gaudeatis,
Vos custodit tertius.

9. Tua caterva
Petit: hanc serva,
Morbos enerva,
Sancte Niceti.

Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 365. add. saec. 15. A. — Miss. Merseburgense imp. Lipsiae 1502. B. — 2 b, 5 nunquam tuis A. — 3 b, 1 praebet A. — 4 a, 2 Labiis A. — 5 b, 3 Sed secundum A. — 8 a, 3 Ad hos tura A. — 8 b, 1 Tuam portam A. — 8 b, 5 Maximinus fehlt A. — 8 b, 6 custodit maximus A.

297. De sancto Nicolao.

1 a. Alme Dei
Confessor et pontifex,
Nicolae,

1 b. Nos ad vitae
Salutis et gratiae
Portum trahe.

2 a. Tuo nos iuvamine
Duc de mundi turbine
Et procella,

2 b. Pro nostris flagitiis
Mudanisque vitiis
Interpella.

3 a. Tu per vitae meritum
Deo semper placitum
Es electus,

3 b. Summo sacerdotio
Caeli testimonio
Es provectus.

4 a. Signis et virtutibus
Orbi modis omnibus
Claruisti,

4 b. Cunctis beneficiis
Hominum miseriis
Subvenisti.

5 a. Tandem mortis debitum
Solvens bene meritum
Caelis reddis spiritum,
Corpus terrae;

5 b. Insigni de tumulo
Emanavit saeculo
Liquor potens populo
Morbos auferre.

6 a. Tua nos libera
Prece, quos misera
Peccati deprimunt
onera,

6 b. Post culpas libere
Deo fac vivere,
Qui nos perducat ad
aethera.

Miss. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 137. A. — Miss. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 125. B. — 5a, 4 Terrae corpus AB. — 5b, 4 Lies: Morbos terre? — Melodie: Laetabundus.

298. De sancto Nicolao.

1 a. Confessorum summo regi,
Qui dispensat suo gregi,
Honor sit et gloria,

1 b. Cuius amor uterinum
Cultum trahit ad divinum
Infra matris ubera,

2 a. Nicolao dum lactenti,
Matris suae lac spernenti,
Cibus ipse Christus est,

2 b. Puerilis cuius aetas
Ad senilis aevi metas
Docet, quis et quantus est.

3 a. Ecce, supererogat
Abstinens infantulus
A licitis uberibus,

3 b. Dum lactare derogat,
Nectare mellifluo
Reficitur divinitus.

4 a. Nicolae, flos pastorum,
Consolator contritorum,
Respice miserias,

4 b. Quibus mundo laboramus,
Fac, ut per te transeamus
Sedes ad Elyseas.

Grad. ms. S. Mariae Magalenae Hildesheimen. saec. 13. Cod. Beverin. 683. — 1b, 3 Intra.

299. De sancto Nicolao.

1 a. Assunt sancti Nicolai
Festa celeberrima,

1 b. Pro quo detur a quibusque
Deo laus uberrima.

2 a. Sed est extra votum scire,
Extra votum est audire
Ceterorum carmina,

2 b. Deo quoque nimiorum
Pro te praesul canticorum
Offeram libamina.

3 a. Sed dicturum
tua insignia
Me reddidit
inopem copia.

3 b. Nam rhetorum
loquax facundia
Non sufficit
ad haec negotia.

4 a. Quae namque scientia
De tua infantia
Dicat digna?

4 b. Quae lac sugens ubere
Parce novit sugere;
Mira signa!

5 a. Sed quid dignum dici potest
de iuventa
Soli suae castitati
non intenta?

5 b. Auro cuius est latenter
restituta
Castitas, quae palam erat
prostituta.

6 a. Praesul ergo sublimatus
Dei ad indicia,
Tam sublimi fruebaris
eius amicitia,

6 b. Ut et absens implorata
ferres adiutoria
Nautis iamiam perpessuris
ultima naufragia.

7 a. Tuis meritis debetur,
Quod frumenti sic augetur
Nautis alimonia,

7 b. Ut nec tibi darent parum
Naviumque singularum
Non decrescat copia.

8 a. Scandens tandem ad supera
Tua relinquis munera;

8 b. Dant tui busti marmora,
Quod sanet aegris corpora.

9 a. Nunc quoque similia
Deo nobis magnalia,

9 b. Tua nos infantia
Doceat ieiunia.

10 a. Inter mundi prospera
Naufragos nos libera

10 b. Et doctrinae gratia
Famem nostram satia.

11 a. Sed te magis oro, Christe,
Cui debet sanctus iste,
Quaeque habet, merita,

11 b. Ne quae voto tibi fundo
Mei cordis ex profundo,
Apud te sint irrita.

12 a. Duc nos illuc, ubi voce
indefessa

12 b. Tibi semper concinamus
Alleluia.

Trop. ms. Benedictin saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 2 b, 1 nimeorum; lies: nunc meorum? — 3 a, 1 sq. tua dicturum. — 11 b, 1 fando.

300. De b. Nicolao a Rupe.

1 a. Eremitam Christi
Niclaum
Helvetia canat,
atque huius nomen
pallidus
fugiat hostis.

1 b. Unterwalde gaudet,
genetrix
talis filii, in
domo Domini hic
praepollet
fructificando.

2 a. Abstinentia
virtutum
ramos congeminando
ut oliva pingui
radice
germen profert dulce,

2 b. Quod aegris exstat
salubre,
claraque splendet luce;
quando haec terrena
de faece
et carcere tandem

3 a. Erutus
etiam tu nunc
liberiora colis,
nunc nostris melius
rogitans
tu consule rebus.

3 b. Pro nostra
quoque melius
funde salute preces,
affer opem nunc tu
mundo et
succurre labenti.

4 a. Sucurre
afflictisque rebus
et affer opem,
te cunctae
exorant gentes, tibi
vota profundunt.

4 b. Succurre
afflictisque rebus
et affer opem,
omnisque
sexus atque omnis te
invocat aetas.

5. Te quicunque vocent,
omnibus quoque
affer opem, caelestem
quatenus remeare
possint ad patriam,
eremita Dei preacelse.

Offic. et Vita ms. Nicolai a Rupe saec. 15. Cod. Saxulen. s. n. — 1a, 2 Nicolaum; vgl. die Form Niclaus, welche der Vers zu fordern scheint, auch in dem Hymnus Hac clara die Domini 2, 1. — 1b, 1 Unterwaldia. Hs. Vgl. die Form Unterwalde auch in dem Hymnus Nicolai pro meritis 2, 1 — 2b, 6 tantum. — Die drei Schlufszeilen der Str. 3 u. 4 bilden einen Hexameter. — Verfasser der Sequenz ist der Chorherr von Beromünster, Heinrich von Gundelfingen.

301. De s. Nicolao Tolentino.

1 a. Caeli regem et astrorum
Nunc in fine saeculorum
Dulci mentis iubilo

1 b. Collaudemus, nam dotavit
Simul mundum et lustravit
Novae lucis radio.

2 a. En, prae multis hunc quaesivit,
Ortum suum dum fulcivit
Speciali gratia,

2 b. Normam suae mirae vitae
Speculari huc venite
Sensuum sollertia.

3 a. In aetate iuvenili
Mente gnara et subtili
Floruit uberius,

3 b. Augustino sub patrono
Militans, post miro modo
Vivendo securius.

4 a. Sidus candens hunc praeivit,
Ad altare dum transivit
Exorare Dominum,

4 b. Quem formosum in statura
Vidit clarum et figura
Prae filiis hominum.

5 a. Grandes preces mox erexit,
Quarum Christum vis adlexit
Et laus et victoria,

5 b. Duces vicit tenebrarum,
Qui sub formis bestiarum
Bella dabant fortia.

6 a. Reviviscit perdix cocta,
Gnara mens nam sic edocta
Negat vesci carnibus.

6 b. Claudi, caeci et obsessi
Ad vigorem sunt reversi
Crebris suis precibus.

7 a. Improviseque submersus
Voto matris est repertus
In aquarum gurgite,

7 b. A periclis sic erutus
Puer gaudet restitutus
Vitaeque mirificae.

8 a. O miranda virtus huius,
Potestate viri cuius
Tot fulgent miracula

8 b. Tam in vita quam in morte.
Sed divina tandem sorte
Claruerunt omnia.

9 a. Inter astra iam scintillat,
Clare nobis ut instillet
Puritatis formulam,

9 b. Nicolaus eremita
In aeterna tenens vita
Fulgentem aureolam.

10 a. Gaude, quia meruisti
Invenire, quem quaesisti,
Caelo in empyreo,

10 b. Eius namque celsitudo
Ad amoena pulchritudo
Sub solari radio

11 a. Assumendo te locavit,
Collocando adprobavit
Vitae tuae regulam.

11 b. Regem celsae maiestatis
Ora, pater, cum beatis
Nobis ut det patriam.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 9 a, 2 instillet wohl reimstörende Korrektur. — Mel.: Gaude Sion quod egressus.

302. De s. Nicolao Tolentino.

1 a. Sospitatem dedit aegris
inclita precatio

1 b. Nicolai Tolentini
sincero praesidio.

2 a. Reviviscit peste laesos
instante periculo,

2 b. Figuratur polus Dei
sideris indicio.

3 a. Patris natus claret notus
puerili effigio.

3 b. O quam probat sanctum Dei
angelorum assertio!

4 a. Ergo laudes Augustini
concinat religio,

4 b. Nam, qui corde quaerit illum,
febrium litigio

5. Sospitas resultat.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — Melodie: Sospitati dedit aegros.

303. De sancto Norberto.

1 a. Aeterni regis munera
Celebret candida turba,

1 b. Festos dies sanctificet
Mundetque pectoris ima.

2 a. Sanctorumque memoria
Sit illi vitae nuntia,

2 b. Quorum mores et doctrina
Digna merentur praemia.

3 a. Inter quos pater Norbertus
Certa donatus gloria,

3 b. Quam accepit cum beatis
Propter laborum merita.

4 a. Felix illa Teutonica,
Quae tantum virum enixa,
Qui recta fuit posteris
Vitae degendae formula.

4 b. Quem qui sequuntur clerici,
Praesules et canonici
Aeterna vita fruentur
Sacro iuvante numine.

5 a. Spirat illi numen sanctum,
Induat ut corpusculum
Veste nive praelucida
Religionis figura,

5 b. Praemonstratum ut teneret
Ibique templum dicaret
Deo eiusque baptistae,
Fratres sibi sociaret.

6 a. Paret statim vir beatus
Mira plenus solertia

6 b. Eius, qui novit secreta,
Assistente potentia.

7 a. Nos agones et labores,
Quos suscepit Christi miles,
Recolamus nunc alacres
Eius sequentes limina.

7 b. Verbum Dei seminatur,
Miraculis confirmatur,
Haeretici convincuntur
Norberti diligentia.

8 a. Cuius laudum praeconia
Meditatur ecclesia,

8 b. Cum fratribus recensentur
Parentis natalitia.

9 a. Fide clarus et doctrina
Praesul ornatur laurea,

9 b. Dei plenus potentia
Mira perfecit opera.

10 a. Daemoniorum scommata
Fugat atque latibula

10 b. Solertique prudentia
Mundi vicit pericula.

11 a. Cuius carorum copia
Exornatur ecclesia,

11 b. Eorumque disciplina
Decoratur monastica.

12 a. Huius sequamur limina
Imitemurque dogmata,

12 b. Ut in caelesti regia
Decantemus Alleluia.

Grad. ms. Bernense saec. 15. Cod. Haagen. V. 429. add. saec. 16. A. — Grad. ms. Strahoviense anni 1611. Cod. Strahovien. H I 2. B. — Melodie: Interni festi gaudia.

304. De sancto Notkero.

1. Resonent angelicae
laudes confessori Notkero,

2 a. Suboli beato,
regio orto schemate,

2 b. Meritis insignem
quem unxit donum spiritus.

3 a. Qui scripturae dicta
excoluit
et, quidquid sponsa canit.

3 b. Gloriosa vita
hic functus
gaudenter morti occurrit.

4 a. Qui in magni luminis
splendorem
semper figens animum

4 b. Per totum tempus vitae
crucem Christi
gestabat suo pectore.

5 a. Obtinuit
patrum laude coli priscorum,
martyribus
compar, corporis ac spiritus
pollens laetissimis fructibus.

5 b. Castissima
mente cursum vivens temporis
excepit mi-
randa spiritus donaria
multorum salutis gratia.

6 a. Hinc quanta cum sanctis
vivat gloria,
probant, quae fecit, prodigia.

6 b. Ad cuius sepulcrum
nulli gratia
negatur, cum pie optatur.

7 a. In membris morbi contracti
hic curantur,
vinculis
stricti liberantur,
privatique
visu obtutibus laetantur.

7 b. Hic mentes oppressae malis
recreantur,
corporis
languor hic sedatur,
et daemonis
atrocis rabies premitur.

8 a. Magnificis
exaltate
fastigiis,
Notkere, monachorum
[tu praeclarum] decus,

8 b. Tuum, pater,
imploramus
auxilium,
in crimen, heu, prolapsis
impetra veniam,

9. Ut caelica
gaudia, regis
empta sanguine, frui
mereamur tecum.

Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. — 1, 1 angelici. — Melodie: Mater (doch nicht sauber gehandhabt). — „Laurentius, praedicator monasterii S. Galli, edidit."

305. In Festo Patronorum

Hildesheimensium.

1 a. Laetis voce, chordis, ore
Nostrum spiritus fervore
Melos tangat aethera,

1 b. Ymnum Deo concinamus,
Magnalia recolamus
Patronorum vetera.

2 a. Pia, clemens, dulcis, bona,
Maria, virgo, patrona
Huius templi Domini,

2 b. Parens casta manens Christi,
Verbo carnem tribuisti
Virginalem homini.

3 a. Orbis duces Petre, Paule,
Incolae caelestis aulae,
Iudicantes saeculum,

3 b. Lucis aulam possidere
Facite nos et videre
Trinitatis speculum.

4 a. Digni Cosma, Damiane,
Tiburti, Valeriane,
Martyres eximii,

4 b. Vitam corporis sprevistis,
In mortem vos tradidistis
Aeterni spe praemii.

5 a. Sancti Iuste Arthemique,
Canciani, nos ubique
Precibus defendite,

5 b. Supplicate, Godeharde,
Epiphani et Bernwarde,
Salutem impendite.

6 a. Tuere nos, Speciosa,
Cum Caecilia, Generosa,
Virgines almificae,

6 b. Enodati culpis, poenis,
Caeli gaudiis ut amoenis
Laetemur deifice.

7 a. Imitemur hos autores,
Mundi spernamus favores
Cum Oswaldo fortiter,

7 b. Nobis ut ex agni throno
Detur in caelesti domo
Merces aeternaliter.

8 a. Benigna virgo Maria,
Petre, Paule, prece pia,
Confessores, virgines,

8 b. Electi martyres Christi,
Nos orate tandem sisti
Supra caeli cardines

9 a. Regna nobis impetrate
Beata felicitate,
Precamur suppliciter,

9 b. Gloria fruitionis
Facialis visionis
Dotemur feliciter.

Miss. ms. Hildeshemense saec. 15. Cod. Beverin. 682 a. A. — Missale Hildeshemense imp. s. l. et a. B. — Missale Hildeshemense imp. Nurembergae 1499. C. — 5 a, 1 Sancti Iusti AB; Iusti Iuste C. — Str. 7 a und b fehlen BC. — Acrostichon: Lippoldus Steinberg.

306. In Festo Patronorum Salisburgensium.

1 a. O beata patronorum
nostrorum sollemnia,

1 b. O devote recolenda
praesulum praeconia.

2 a. Digni dignis fulgent signis
et florent virtutibus.

2 b. Illos semper condecenter
veneremur laudibus.

3 a. Fide, voto, corde toto
adhaeserunt Domino,

3 b. Quem sequentes sunt videntes
laeti sine termino.

4 a. Huius mundi furibundi
procellarum genera

4 b. Verbo vitae sparso rite
pertulerunt plurima,

5 a. Dum sic culta messe multa
Christi replent horrea,
Ut electi sunt adepti
Beatorum praemia.

5 b. Per contemptum mundanorum
Et per gesta fortia
Meruerunt angelorum
Habere consortia.

6 a. Ergo facti coheredes
Christo in caelestibus

6 b. Apud ipsum vota nostra
promovete precibus,

7 a. Ut post huius finem vitae
et post transitoria

7 b. In perenni mereamur
exsultare gloria.

Brev. Salisburgense imp. Venetiis 1482. — Melodie: O beata beatorum.

307. „De sanctis in nostro coenobio quiescentibus."

1 a. O Narcisse, promisisse
Tibi Deum dum finxisse
Fertur tunc rudem Vindelicam,

1 b. Sed nunc urbem Augustinam
Fore subolem divinam,
Heroum semper puerperam.

2 a. Pacto tali [non] superbus
Redemisti uti servus
Pro architecto laborem

2 b. E vestigio paratus,
Dolabrum tenebat latus,
Iam succinctus gnomonem.

3 a. Felicem artis accersisti
Consciumque docuisti
Locum, quem destinabas,

3 b. Se comitem statim iurat,
Securim habere curat,
Qua animas aptabas.

4 a. Christo magistro devoti,
Ambo pacto pulchro moti
Simul itur in Sueviam,

4 b. Mox Augustam appulistis,
Arma iamiam expedistis,
Afra secatur devia.

5 a. Eunomia, Hilaria
Digna cum Eutropia
Ferro sonant, Endelia,
Aedificio aptantur.

5 b. Niminia, Diomedia,
Leonide profana,
Agape que Iuliana
Octogono aequantur.

6 a. Dum sic molli in sexu
Ferrum ut in ligno agitis,
Lapides quoque hoc contextu
Norma corrigitis,

6 b. Surgentis urbis in fundo
Dionysius ponitur
Et Quiriacus secundo,
Afer adiungitur,

7 a. Largito Crescentianus,
Fidalfus, Petrus, Enticianus,
Fundamentum simul ingruunt,

7 b. Super fausto coeptum omine
Tredecim sine nomine
Martyrum sic corruunt.

8 a. Prope opus consummatur,
Alto caelo iam aequatur,
Roma frendet aemula:

8 b. Idem utrum sit magistri,
Narcisse, quod ministrasti,
Manus probat impia.

9 a. Ecce, Afra pyram scandit,
Nova ignis culmina lambit
Fumus manet urbis sigillum:

9 b. Angulum tentat labare aries.
Stat adamantinus paries,
Dionysius nec perdit capillum.

10 a. Opus inimico fruitur,
Destruendo construitur.
Recte iam ibunt promissiones;

10 b. Inde Fortunatus, Wicterpus,
Adilbero, Simpertus,
Vita, fama veri heroes.

11 a. Hinc praesul caelo avitus
Dimittitur Udalricus,
Non urbi sed orbi hoc sufficimus.

11 b. Sanctorum turba restat multa
In hac aede sepulta,
Quare Afrae cryptam non fecimus.

12 a. Tuos non potes mirare,
Martyres numerare,
Quantasis, Augusta, cogita.

12 b. Hispania apostola,
Graecia est hospita,
Roma tibi devota.

13 a. Narcisse, non plus ira
Venti pigros sollicita,
Corruit templum cum gente,
Reddamus iam debita.

13 b. Sis pertinax impietate
Gentem erga pyreferam,
Mercedem nostra tempestate
Petas post operam,

14 a. Ne Augusta usquam degeneret
Suis a maioribus,

14 b. Reliquos fide restauraret,
Sero licet, et moribus.

Clm. Monacen. (ol. ss. Udalrici et Afrae) 4417. saec. 15. A. — Officia Mon. SS. Udalrici et Afrae imp. Augustae 1516. B. — 1 a, 3 crudem B. — 5 a, 3 sonant rudera B. — 5 b, 4 Orthogono B. — 6 a, 2 Ferrum fehlt B, — 6 b, 4 Affer A, Apher B. — 7 a b Petrus, Philadelphus, Euticianus B. — 7 b, 1 faustum coeptum omne B. — 8 b, 1 Idem virum sit A. — 9 a, 3 Manet fumus B. — 10 a, 1 initio A. — 10 b, 1 Fortunatus voret perpus A. — 12 a, 3 cogitas A.

A fol. 1 a: „Sequentia de sanctis hic quiescentibus, scilicet in monasterio sanctorum Udalrici et Afrae, edita a magistro Iohanne Molitore, plebano sancti Mauritii Augustanae ecclesiae, cuius animam commendo vobis propter Deum.“

Fol. 2 a derselben HS: „Metra de Passione Dni. nri. Iesu Christi, edita a magistro Iohanne Molitore, plebano sancti Mauritii et incipiunt feliciter.“ Diese Metra sind gleich grauenhaft wie obige Sequenz. Hier einige Zeilen zur Probe:

Hora prima eum Pilato detulerunt,
Calumniam eorum Pilatus derisit
Et Christum ad Herodem cito misit,
A quo et familia ipse despectus
More stultorum alba veste tectus.
Post hoc ducunt iterum illum ad Pilatum,
Barrabam petunt, nolunt Christum reprobatum,
Pilatus crudelis cruore pensitans
Flagellat Christum, hos placari non haesitans. etc.

308. De sancto Paulino.

1 a. Ecclesia
Vocali consonantia
Repleatur,

1 b. Cum gloria
Puulini natalitia
Prosequatur.

2 a. Hic in Aquitania
Clara de prosapia
Procreatur;

2 b. Hic in pueritia
Literarum studia
Complexatur.

3 a. Mira Dei gratia
Pontifex in Gallia
Sublimatur;

3 b. Plangit, flet ecclesia,
Haeresis perfidia
Condemnatur.

4 a. Paulinus catholicos
Fovet, in schismaticos
Roboratur;

4 b. Privat Aquitanicos
Maximino, Gallicos
Consolatur.

5 a. Iam nitet ut lilium,
Iam petit concilium,
Pneuma, patrem, filium
Protestatur.

5 b. Dat sanum consilium,
Proscriptis auxilium,
Insons in exsilium
Relegatur.

6 a. Necat hunc Phrygia,
Refert hunc Gallia,
Sita Treveri
collocatur.

6 b. Per ipsum gaudia
Nobis coelestia
Dei gratia
largiatur.

Miss. Trevirense imp. s. l. et a. (Basileae 1490) A. — Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. B. — 3 b, 1 Planget B. — 4 b, 2 Maximo B. — Melodie: Laetabundus.

309. De sancto Paulo.

1 a. Alma mater ecclesia,
Age Pauli sollemnia
Cum cordis laetitia;

1 b. Nam prae cunctis apostolis
Te dotat in epistolis
Divina scientia.

2 a. Caecus cadit,
Quando vadit
Contra Christum saeviens,

2 b. Hic audito
Iesu cito
Redditur oboediens.

3 a. Rapitur ad tertium
Caelum nunc sublimium
Secretorum conscius;

3 b. Post hoc visum recipit.
Christi nomen incipit
Praedicari [protinus]

4 a. Ultimus vocatione,
Primus praedicatione
In diversis populis,

4 b. Plus laborat excellenter,
Stat in mortibus frequenter.
Plagis et periculis.

5 a. Cum infirmis
infirmus efficitur,

5 b. Pro scandalo
cuiuslibet uritur.

6 a. O quam mirabilis
Et ineffabilis
Est tanta caritas!

6 b. Patroclum suscitat
Dum aegros visitat,
Fit eis sanitas.

7 a. Quia fidem non desinit,
Sub Nerone vitam finit
Amputato capite,

7 b. Effluxit lac cum cruore,
Iesum profert caput ore
Certe satis debite.

8 a. Lac castitatis lilium
Signat, sanguis martyrium,
Iesum linguae praeconium.

8 b. Cum aureola triplici
Pro his se gaudet subici
Trino Deo et simplici.

9 a. Hunc tamquam nostrum patronum
Precemur pium et bonum.

9 b. Ut eius dulce iuvamen
Semper sentiamus. Amen.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 14845. — 7 b. 1 Affluxit, falsche Initiale.

310. De s. Paulo Eremita.

1 a. Paulum, primum eremitam,
A quo prodiisse vitam
Scimus solitariam,

1 b. Voto pari collaudemus
Et constantiam probemus
Eius multifariam.

2 a. Hic, ut consors electorum
Posset fieri virorum,
Saeculum deseruit,

2 b. Et, ut crebrius oraret
Ac ieiuniis vacaret,
Eremum adpetiit.

3 a. Hunc a Cristo commendatum
Et divinitus monstratum
Visitat Antonius,

3 b. Qui dum laeti consederunt,
Corvo nuntio sumpserunt
Cibum copiosius.

4 a. Panem totum adferebat,
Soli Paulo qui solebat
Fieri dimidius.

4 b. Huic defuncto paraverunt
Leones, qui adfuerunt,
Tumulum devotius.

5 a. Huius intercessione
A peccatis, Iesu bone,
Tuum purga populum

5 b. Et post temporalem mortem
Nos habere caeli sortem
Concede per saeculum.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 1 a, 2 prodigisse. — 5 b, 3 saecula.

311. De sancto Petro.

1 a. Caelestis aulae
ianuas,
ianitor egregie,

1 b. Reserare positis
satage
lacrimarum in valle,

2 a. Quos corrumpit
noxa suae
graviter
inoboedientiae
et facit ab aeterna
exsules claritate.

2 b. Memor esto
impertitae
ab eo
tibi indulgentiae
nec pii praeceptoris
careas pietate.

3 a. Saepius Iesum
pro nostra
interpella salute,

3 b. Praevales enim
petita
confestim acquirere.

4 a. Nec offendet
tuum velle,
cui bis binos
disposuit
cardines terrae.

4 b. Orbem ergo
visitando
solve compedes
nequitiae
Deo favente.

5 a. Nobis quoque puniendis
condescende
pro nostro crimine,

5 b. Christum redde placabilem
et provide
dignanter famulis

6. Supernae felicitatis
introitum.

Brev. ms. Oscense saec. 13. Cod. Scorialen. P III 14. A. — Antiph. ms. Oscense saec. 13. Cod. Capit. Oscen. s. n. B. — 1, 2 ianuam A. — 4 a, 1 offende A.

312. De sancto Petro.

1. Principem

2 a. Apostolorum
dulce canora
resonet vox
diatonica, quem vox
caelica
laudat et angelica.

2 b. Super quem mater
ecclesia stat
firmissima,
nec inferni ianua
valet nec
mortis violentia.

3 a. In Galilaea
per maris spatia

3 b. Hic cum Andrea
dum trahit retia,

4 a. Trahit illum
Iesu clementia,
Petrum nominat
firma gratia,

4 b. Tradit illi
claves, caelestia
clemens ianitor
pandat ostia.

5 a. Hic est, qui nocte media
ambulat super maria,

5 b. Per quem Christus insignia
mundo dedit prodigia.

6 a. In urbe Ierosolyma
ad speciosa limina

6 b. Longo situ debilia
firmat claudo vestigia

7 a. Ad membra paralytica
Aeneae vox est medica.

7 b. Tabitam reddit viduis
in virtute deifica.

8 a. Et saluti fugit omnis
valetudo contraria,

8 b. Et languori redit omnis
valetudo contraria.

9 a. Cornelius renascitur
deitate propitia,

9 b. Ananiam cum Saphira
necat fraudis nequitia.

10 a. Alas Simonis dissipat,
magum mergit in tartara,

10 b. Ipse de crucis gloria
triumphans intrat aethera.

11. Trinitati
sit laus aeterna.

Trop. ms. Vicense saec. 11/12. Cod. Capit. Vicen. CXI. A. — Trop. ms. Oscense saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. B. — 10 a, 1 Artes Simonis A.

313. De ss. Petro et Paulo.

1 a. Gaude, Roma, Roma, gaude,
Petrum laudans, Paulo plaude,
Geminentur gaudia,

1 b. Ambo pari digni laude
Per quos fidem sine fraude
Peperit ecclesia.

2 a. Istae duae caeli portae,
Pari fide, pari sorte
Caeli pulsant ostia,

2 b. Nec in vita nec in morte
Separatur a consorte
Fortis amicitia.

3 a. Petrus cruce, Paulus ense
Pro te, Christe, rex immense,
Sustinent supplicia,

3 b. Una die, uno mense
Geminata regis mensae
Praesentatur hostia.

4 a. Clavis claviger clavatus,
Crucis stipite ligatus,
Terrae caput inclinatus
Respicit sublimia;

4 b. Paulus capite truncatus,
Procut est interpretatus,
Paulo minus minoratus,
Magnus tamen patria,

5 a. Dies ista consecrata,
Dies Deo dedicata
Horum per martyria,

5 b. Quorum passio beata
Nos reducat ad optata
Paradisi gaudia.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525.

314. De ss. Petro et Paulo.

1. Gaudet chorus electorum
Ad festiva beatorum
Petri, Pauli gloriam,

2 a. Quos pastores et doctores
Ordinavit et sacravit
Christus in ecclesia.

2 b. Qui dignatus est vocare,
Dum transiret secus mare,
Petrum ad hanc gratiam.

3 a. Rebus suis iam exutus
Christum pauper est secutus
Spretis, quae possederat,

3 b. Videt Christum, verbum Dei,
Caeli claves dantur ei,
Per quas caelos reserat.

4 a. A Christo prosternitur
Saulus, quem prosequitur,
Cuius membra laniat,

4 b. Iustum lapidantibus
Favit, quorum vestibus
Datur, ut custodiat.

5 a. Stephanus, dum lapidatur,
Tunc pro Saulo deprecatur
Iesum flexis genibus.

5 b. De lupo factus est agnus
Et de Saulo doctor magnus
Viri iusti precibus.

6 a. Unus ligat atque solvit
Melius, quam mens revolvit,
Potestate tradita,

6 b. Perituri sunt ligandi,
Sunt solvendi coronandi,
Sed secundum merita.

7 a. Alter vero, vas honoris,
Semitas damnat erroris
Docens evangelium,

7 b. Ad culturam deitatis
Per doctrinam veritatis
Traxit Dionysium.

8 a. Petrus in excessu mentis
Vas submissum ligamentis
In figura gentium

8 b. Videns vidit et agnovit,
Quod Deus ad fidem movit
Gentilem Cornelium.

9 a. Caelos tranat, unde manat
Fons salutis, lux virtutis,
Dei sapientia,

9 b. Et arcana verba sana
Paulus audit, quorum claudit
Signata mysteria.

10 a. Ananias et Saphira,
Super quos ascendit ira
Irremediabilis,

10 b. Mentiri Deo conantur
Et per Petrum morti dantur,
Res est admirabilis.

11 a. Paulus ante persecutor,
Nunc est sponsae Christi tutor,
Cuius sanctus est adiutor
Spiritus scientiae,

11 b. Fidem Christi dum revelat,
Cuius sponsae caste zelat,
Narrat hoc, quod ante celat,
Filiis ecclesiae.

12 a. Primatum sanctae cohortis
Petrus habet fide fortis,
Pro cuius amore mortis
Non timet pericula.

12 b. Porta Sion exaltata
Super Petrum est fundata,
Super omnia amata
Iacob tabernacula.

13 a. Paulus ense decollatur,
Petrus cruce coronatur;
Hi gubernant urbem lucis,
Cuius porta signum crucis,
Duo luminaria.

13 b. Istos, fratres, honoremus,
Ut excusent, quod timemus,
Per quos Roma gloriatur,
Et Romana gubernatur
Per orbem ecclesia.

Trop. ms. Vicense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Capit. Vicen. CXI. A. — Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. B. — 8 a, 1 excessum. A. — Melodie: Laudes crucis.

315. In Octava ss. Petri et Pauli.

1 a. Cuncta caeli regem laudant
angelorum agmina

1 b. Indefessa Christo voce
dando modulamina.

2 a. His coniuncta turba multa
reddat vota debita,

2 b. Cum sanctorum nobis festa
refert solis orbita.

3 a. Super muros Hierusalem
vigilans custodia

3 b. Imminere iam diei
clamitat exordia.

4 a. Nox praecessit et lux venit,
inquiens, purpurea,

4 b. Ornat bene vigilantum
colla torques aurea.

5 a. Dum salutis vacat tempus,
mens exsurgat torpida,

5 b. Ac decertet, ut fruatur
agni cena sapida.

6 a. Venatores nam per mundi
ampla missa spatia

6 b. O quid praedae compulerunt
ad expansa retia!

7 a. Quot ferarum remansere
vacua cubilia!

7 b. Tauri fortes sunt enecti,
caesa et altilia.

8 a. Duces gregum, qui mansura
monstravere pascua,

8 b. Iam translati nulla timent
ora morsu nocua.

9 a. Designatur per haec cuncta
cohors apostolica,

9 b. Quam recepit et in aula
servat Christus caelica.

10 a. Congregati populorum
principes in aethera

10 b. Et commissa nostra nova
diluunt et vetera.

11 a. Imbres funduntsanctaenubes
corda super arida,

11 b. Ut det fructum terra nostra
gramina per florida.

12 a. Quo vivamus dante Christo
vitae adminicula

12 b. Cum apostolorum choris
gaudentes per saecula.

13. Amen dicamus una.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. A. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valent. s. n. C. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. D. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. E.

2 a, 2 vita debita BC. — 5 b, 1 Hac BCDE. — 6 a, 1 mundo BC. — 6 b, 1 Ut qui praedae C; Ut quid praedae B; copulerunt E. — 7 a, 1 Quod BDE; Quid C. — 8 a, 2 vacua DE. — 8 b, 2 Ora (Hora C) mors innocua BC. — Nach Str. 8 b schieben DE folgende nach Ausweis des Reimes unechte, den Sinn störende Klauseln ein:

Petrus namque triumphavit
Crucis per supplicia,
Paulus atque superavit
Ferti crucis [Secti colli]iugula.

Inhaltlich ist die Sequenz eigentlich eine Prose de Communi apostolorum; diese Strophe ist eingeschoben, dieselbe auf Petrus und Paulus benützen zu können.

316. In s. Petri ad Vincula.

1. Hauriat ex plana
cantus vox nostra camoena.

2 a. In laudis iubilo
Domino contio
candida
modulans sonat cantica

2 b. Patri per omnia
vocibus consonis
ac poli
unigenito caterva,

3 a. Una simul ac florigera
spirituique
paracleto,
quibus una maiestas
pariter atque potestas
in saecula.

3 b. Qui Deus unus permanet
et dominator
caeli(ci)s cunctis,
ac agmina caelica
suum laudant creatorem
[per] omnia.

4 a. Hinc Iesum
unigenitum et eius
discipulum
laude consona

4 b. Et Petrum
apostolum, aethereum
clavigerum,
pangat vox nostra.

5 a. Petre, tuum Dominum,
virginis filium,
deposcimus supplices,
qui tua solvere
dignatus est vincula,

5 b. Ad te mittens angelum
luce perspicuum,
in medio militum
qui tua latera
percussit in dextera.

6 a. Ait: Surge ac te, Petre,
vestibus induere
et cingulo praecingere,
caligis calcia,

6 b. Veni sequens me concite
ac inde egredere,
iam liber es, in manibus
et nulla vincula.

7 a. Et surgens secutus est,
nec sentiunt milites,
patescunt
carcerem lumina,
libera
gressibus fit via.

7 b. Pergunt ambo pariter,
egressi de carcere
veniunt
ad portam ferream,
quae ultro
aperta est eis.

8 a. Ecce, processerunt
viculum in via,
et visio discurrit
angelica.

8 b. Petrus conspiciens
se solum timuit,
ad se reversus Deo
dat gloriam.

9 a. Nunc ergo
scio vere, quia
Dominus
angelum miserat
et eripuit
me de manu
Herodis iniqua,

9 b. De malis
omnibus vinculis,
quo misit
filius tetrarchae
[me] Archelai
nequam plebsque
iniqua Iudaea.

10 a. Ergo, claviger caelice,
pro nobis
deprecare Dominum,
qui te sua
exaltavit ecclesia;

10 b. Et nos tua oratio
sinceros
donet et participes
esse cum sanctis
in excelsa gloria.

11. Differat amissa
donando
ut ex iure sua.

Grad. ms. Toletanum saec. ^{12} 13. Cod. Capit. Toletani 35—10. — 3 b, 4 anima. — 4 b, 4 plangat. — 5 a, 1 Et pertum. — 5 a, 3 depositum. — 6 a, 1 Sit surge. — 6 a, 4 calcia te. — 8 a, 2 vinculum. — 9 b, 3 quo mihi; so fehlt das Verbum. — 9 b, 6 plebe. — 10 a, 1 claviger calicem. — 11, 3 ut ex iura.

317. In s. Petri ad Vincula.

1. Alleluia

2 a. Festivum psallat
nunc ecclesia

2 b. Christo votiva
solvens cantica,

3 a. Qui sibi maxima
misertus est gratia,

3 b. Cum Petrum a dira
eductum custodia

4 a. Restituit ad roboranda
fidelium agmina,

4 b. Quae praesulis exinanita
fuerant absentia.

5 a. Cuius demum praeclara
virtute animata

5 b. Sumunt fidei arma
currentis spatiosa

6 a. Orbis itinera
spurcissimis
ritibus dedita

6 b. Atque simulacris
tunc, proh dolor,
vanis consecrata.

7 a. Datoque signo
cohors beatissima
temptat proelia
gnaviter erilia,
nec morte nec vita
cedere nescia,
donec subiugata
Deo regna reddat omnia.

7 b. Castra rupta sunt
bellatorum valida,
tuta urbium
expugnata moenia,
confracta delubra
daemonum horrida,
crucis atque digna
passim exaltata vexilla.

8 a. Nec latuit
late per arva

8 b. Victoria
apostolica.

9 a. Dataque dextera
cessit humana
condicio reparata.

9 b. O quam felicia
contio diva
agressa est certamina!

10 a. Cum archiclarus
meruit divina
consolamina
mox inter carceris saepta,

10 b. Quo religatus
innocens vincula
patiebatur
rabie Herodiana.

11 a. Eductus est autem
per angelica
ab aethere
obsequia demissa,

11 b. Recepitque sui
collegiarcham
plebs inclita
laetabunda reddita.

12 a. Cuius palma
triumphi
ad tempus est dilata,

12 b. Ut diffusa
per orbem
reformaret dogmata,

13 a. Essetque pars diversa
unita diligenter
in fide catholica.

13 b. A Christo iam redempta
et Petro reformata
gaudeat ecclesia,

14 a. Recolens pretiosa
pastoris sollemnia,

14 b. Cuius pia merita
nos sublevent ad regna,

15. Quo semper pium resonat
Alleluia.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 4 b, 1 arma fidei. — 7 a, 2 loco per. — 9 a, 3 sq. mox consolamina intra.

318. In s. Petri ad Vincula.

1. Laudes Christo
solvat orbis
per cuncta climata

2 a. Ecclesia,
cuius redempta
ovanter
tripudiat gratia.

2 b. Soluta sunt
nempe vincula,
pro noxa
quibus erat astricta.

3 a. Laetentur agmina
iustorum
potenter liberata,

3 b. Fuerat obstrusa
quis olim
summa caeli ianua.

4 a. Nec dispariter
resonat cantica
dulcia
turma caelestis,
humanae socia,

4 b. Cum qua gravia
merito tulerat
odia,
quam sua fuscam
reddebat macula.

5 a. Igitur nostra
Deus carne sumpta
superis ima,
divinis humana
coniunxit,
humilis in terra
homo factus ex Maria,

5 a. Vitae praecepta
tribuens beata,
fraglant quae ampla
per mundi spatia;
post scandit
triumphans ad astra
testes suos dans in arva.

6 a. In quos bacchata
perfidia
necem molitur Iudaica,
principem trudens
in Herodis vincula
Petrum parata
gemina
compeditum catena.

6 b. Bis octo datur
sollicita
clauso vigilum custodia;
subito loca
tenebris involuta
nocte depulsa
claritas
serenat angelica.

7 a. Mitis pulsat
membra sopita,
manibus excussa
cadunt vincula.

7 b. Atque surgat,
monet, et alta
properet, quc ponit
dux vestigia.

8 a. Nec est mora:
complentur iussa
angelica;
luce praevia
loca deseruntur horrida,
sed creduntur somnia.

8 b. Res miranda
atque stupenda:
ultro porta
patet ferrea;
sic Herodiana delusa
tabescit insania.

9 a. O diva
consilia,
quam inscrutabilia,
sua quae fallunt pravos
in astutia!

9 b. Ferrea
ruunt corda
caelitus hebetata,
ubi splendent iucunda
tam miracula.

10 a. Hac die plebs laeta
laudibus iungat pneumata,

10 b. Qua noster acerba
pastor evasit vincula.

11 a. Clara per merita
sordida
dilue nostra
prece facinora,

11 b. Potestate data
maxima
et prece pia
a Christo impetra,

12 a. Ut nos sua clementia
illa det frui vita,

12 b. Qua regnabunt in patria
iusti semper florida

13. Per aeterna
viven[te]s saecula.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n.

319. In s. Petri ad Vincula.

1 a. Cor devotum, vox sonora
Promant laudes sine mora
Petri, summi praesulis,

1 b. Memorando, quid sit gestum,
Quare fiat istud festum
Pro ipsius vinculis.

2 a. Dux Quirinus gutturnosam
Natam habuit formosam,
Quae, Balbina nomine,

2 b. Saepissime veniebat
Ad carcerem et lambebat
Pro sui salvamine

3 a. Alexandri papae dura
Vincla, quibus omni cura
Vinctus erat carcere.

3 b. Quam dulciter removebat
Et catenas admonebat
Sancti Petri quaerere,

4 a. Quibus tactis sanitatem
Et integram sospitatem
Possit mox recipere.

4 b. Quae adcurrens nuntiavit
Patri, qui mox destinavit
Nuntium has quaerere

5 a. Solymam. Quas osculata
Postquam fuit, est sanata
Pulso morbi pondere.

5 b. Ob hoc festum celebrari
Papa iussit et servari
Eductus de carcere.

6 a. Ergo Petro supplicemus
Et devote flagitemus,
Ut dissolvat vincula

6 b. Peccatorum et purgatos
Excipiat et mundatos
In caeli cenacula.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Archivi S. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisin. 1098. B. — Missale Andegavense imp. 1489. C. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1511. D. — Missale Briocense imp. Rotomagi 1463 [lies 1563]. E.

1a, 2 Promat D. — 2a, 2 famosam A. — 2b, 3 solamine A. — 3a, 2 Vincula, quibus omnium cura A. — 3b, 1 amovebat BC. — 4a, 2 Et fehlt A. — 4b, 3 eas quaerere B; eis quaerere AD. — Statt Str. 5a stehen in ACDE folgende zwei Halbstrophen:

Hierusalem; quas osculans,
Sanitatem recuperans,
Mox cessit morbus ab illa.

Postquam fuit osculata
Ipsas, haec fuit sanata
Pulso morbis pondere.

6b, 1 Ab hoc B. — 6b, 3 In caeli curia A.

320. De s. Petro Martyre.

1. Martyri victori laudes
intonent christiani.

2a. Lupus invasit oves,
Petrus innocens Deo
Reconciliavit
peccatores.

2b. Ius et error duello
Conflixere mirando,
Sed Petrus mortuus
regnat vivus.

3a. Dic nobis, vox pia,
Quis te laesit in via?
Mucro gentis saevientis,
Ecclesiam Christi contemnentis.

3b. Socius est testis
Mecum missus caelestis.
In fide vera spes mea,
Ad hanc redeat haeresis rea.

4a. Credendum est magis soli
martyri veraci
Quam perfidorum
turbae fallaci.

4b. Scimus Petrum claruisse
miraculis vere;
Tu nobis, Christe
rex, miserere.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. S. Ignatii Noviomagen. 55. A. — Seq. ms. Praedicatorum Cracovien. saec. 15/16. B. — Miss. ms. Insulense saec.? Cod. Upsalen. 96. (bei Klemming III, 148) C. — Missale Praedicatorum imp. Venetiis 1523. D.

1, 2 concinant A. — 2a, 1 Christus redemit oves A; Agnus conservat C. — 2a, 2 Petrus occisus Deo C. — 2b, 1 Fides error C. — 2b, 3 Pro fide mortuus C. — 3a, 1 vos pia A. — 3a, 3 sq. fehlen D; lauten in A und C:

A: Lictoris manus frementis
Et fidem dicebam resurgentis.

C: Vulnera hostis furentis
Sed gloria mea resurgentis.

3b, 1 Sodalis est C. — 3b, 2 Passus rubraque vestis C. — 3b, 3 sq. lauten in C:

Refloruit fides mea,
Videbitis me in Galilaea.

4a, 1 soli fehlt CD. — 4a, 2 Christi martyri veraci BCD. — 4b, 1 emigrasse C. — 4b, 2 Ad te Deum vere C. — 4b, 3 nobis, victor B. — Mel.: Victimae paschali.

321. De sancto Piato.

1 a. Beneventanis finibus
Claris nitens natalibus
Piatus ortum habuit,

1 b. Ab annis puerilibus
Christum mirandis nisibus
Secutus prout potuit.

2 a. Post in adulescentia
Contempta mundi gloria
Iam vivens evangelice

2 b. Distribuebat propria
Pauperum alimonia
Retenta veste simplice.

3 a. Annos viriles subiens
Romam pergit Christi cliens
Consorte Dionysio,

3 b. Eiusque se efficiens,
Illic lumen adiciens
Actus sancto collegio.

4 a. Exhinc, quando Parisius
Beatus Dionysius
Elegit habitaculum,

4 b. Piatus vir egregius
Se direxit ulterius
Ad Tornacensem populum.

5 a. Ubi verbum fructiferum
Serens convertit procerum
Circa triginta milia

5 b. Praeter gregem innumerum
Parvorum et mulierum
Eadem cum gratia.

6 a. Crebris clarus miraculis
Atque virtutum titulis
Sese graviter afficit

6 b. Abstinendo ab epulis,
Quo zabulon miserulis
Incubantem se subicit.

7 a. Prodit Caesaris iussio,
Ne fiat miseratio
Devoto Christi famulo;

7 b. Sed subdatur supplicio,
In suo sacrificio
Deos placet iam populo.

8 a. Tentus a satellitibus,
Vinctus flagris et nexibus,
Poenam decollatoriam

8 b. Subit caelis plaudentibus
Cum beatis spiritibus
Hinc evectus ad gloriam.

9 a. Ad sanctitatis titulum
Et honoris ad cumulum
Prius ignotus barbaris

9 b. Fusus est circa tumulum
Replens dulcore populum
Odor superni nectaris.

10 a. Haec odoris suavitas
Mentes maculis illitas
Purget omni nequitia,

10 b. Ut sedes nobis debitas,
Peccatis nostris perditas,
Reddat Christi clementia.

Missale Carnotense imp. Parisiis 1500 A. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1511. B. — 3 a, 3 Cum sorte B. — 4 b, 1 Piaton AB. — 6 a, 3 efficit A. — 7 b, 3 Deo B. — 8 a. 2 Victus AB.

322. De sancto Raimundo.

1 a. Chorus iste tibi, Christe,
Assit cum laetitia,

1 b. Cordis, oris melos promat
Dulci cum melodia.

2 a. Gratulari et laetari
Nunc debet ecclesia,

2 b. Sic beati Raïmundi
Celebret sollemnia.

3 a. Cuius vita redimita
Spiritali gratia

3 b. Praesulatum sibi datum
Rexit ac custodia.

4 a. Voce sincera,
Praedicatione
Vera, vetans illicita,

4 b. Promittens lucra
Fine carentia
Sanctis a Deo debita.

5 a. Non sua cura mundana
Fuit vilis gloria,
Sed pro vita refutavit
Mundi quaeque vilia.

5 b. Caprae pilis composita
Induit cilicia,
Domuit abstinentia
Fluxa carnis vitia.

6 a. Tandem vita hac mundana
Destitutus verna
Dei luce praeclara
Fulget in arce superna.

6 b. Coronatur in gloria
Duplici corona,
Quam meruit hac vita
Confessorum cinctus zona.

7 a. Angelorum dant agmina
Domino laudum cantica
Prece pia socia;

7 b. Hymnis caelestis curia
Suo concivi obvia
Cantica dat dulcia.

8 a. Ob huius viri merita
Multa fiunt miracula
Summi regis gratia.

8 b. Languida sanat corpora,
Carcerum frangit ostia,
Ferri rumpit vincula.

9 a. Surdis auris officia
Dat, mutis eloquia,

9 b. Illustrat caeca lumina,
Claudis dat vestigia.

10 a. Expellit daemonia
Ab obsessis prece sua;
Haec sunt eius merita.

10 b. Quibus, Christe, caelestia
Nos mereamur gaudia
Solis sanctis debita.

11 a. Quocum summa laetitia
Cantemus cum gratia
Omnes una

11 b. *Alle* — tibi mente pura
In excelsis gloria —
luia, Amen.

Psalt. ms. Rodense saec. 12. Cod. Capit. Illerden. 11. 6 a, 2 sq. Dei servus luce.

323. De sancto Remigio.

1. Vocem iucunditatis
nuntiate

2 a. In laudes almi
Remigii,
Francorum summi
apostoli,

2 b. Quem nasciturum
mirabili
Ordine prompsit
vox Domini.

3 a. Natus prophetam materno
Lacte perungens
Reformat lumine,

3 b. Signatus praesul superno
Lumine pari
Sacratur unguine.

4 a. O felicem
Pontificem,
Quem sacravit ipse Deus,

4 b. Qui de caelis
Contrahere
Nomen fuit idoneus.

5 a. Scholis liber fit reclusus
Fugiens humanos visus
Pro Christi servitio;

5 b. Praesul factus attentavit
Idem rursus, ut sacraret
Arcanum se Domino.

6 a. Aves ei convescuntur,
Caeci lumen consequuntur,
Fugantur daemonia,

6 b. Parvus liquor exundavit,
Vis daemonum victa cessit,
Franguntur incendia.

7 a. Captivatam liberavit
Et defunctum suscitavit
Dans a poenis reditum
Per virtutis meritum.

7 b. Caeli cives obsequuntur,
Fidem gentes assequuntur,
Missum chrisma caelitus
Ministravit spiritus.

8 a. Christi visa facie
Refulsit mirifice.

8 b. Per missarum gratiam
Transiit ad gloriam.

9. Ergo gaude, gens Francorum,
Per haec festa, plebs sanctorum,
Tanti patris gratia
Decantans Alleluia.

Miss. S. Remigii Remen. imp. Remis 1556. — 3b, 3 Sacra tuo unguine.

324. In Translatione s. Remigii.

1 a. Magnus Deus omnium,
Qui se suis praemium
Contulit in gloria,

1 b. Cum iam post exsilium,
Post carnis hospitium
Potiuntur patria.

2 a. Cuius dispositio
Potenti consilio
Sic dictavit omnia,

2 b. Ut in rerum corpore
Quaedam suo tempore
Servaret magnalia.

3 a. Quarum rerum novitas
Fit mira suavitas
Praegustanti talia.

3 b. Quia sic accenditur
Et in eum rapitur,
Qui dat certa gaudia.

4 a. Ad haec praegustamina
Dedit Deus limina,
Ne sequendo devia
Erremus a patria.

4 b. Et contra naufragium
Produxit Remigium,
In cuius praesentia
Nemo timet maria.

5 a. Quo parentum senescentum
Revirescunt et florescunt
Effeta plantaria,

5 b. Et dat florem praeter morem
Hiemalis, non vernalis
Aetas et materia.

6 a. Huius cura a cultura
Nefandorum idolorum
Respiravit Francia,

6 b. De qua culta messis multa
Recondenda, non urenda
Crevit in ecclesia.

7 a. Huius actus enarrare
Est arenas numerare,
Quorum cum Dei gratia
Immensa fuit copia.

7 b. Sed credentes eum vere
Veris bonis inhaerere
Per illius suffragia
Confidamus de venia.

8 a. O Remigi, lux Francorum,
Audi preces famulorum,
Audi fletus,
Solve metus,
Remove poenalia.

8 b. Ut id per te mereamur,
Quo te frui gratulamur,
Ubi fructu
Sine luctu
Pascamur et gloria.

9. Ad haec vera gaudia
Nos conducat gratia.

Miss. S. Remigii Remen. imp. Remis 1556. — Melodie: Mane prima Sabbati.

325. De sancto Saturnino.

1 a. Hodierna
die gaudeat
omnis turba,

1 b. Saturninus
in qua petiit
caelestia.

2 a. Qui mortem sumpsit pro
vita genti dedita,
cui praedicabat
virtutum lumina.

2 b. Nam post salvatoris
ascensum ad aethera
sequebatur Petrum
praedicantem visa.

3 a. A quo pontificatus
sumpsit officia,
ut mundo veri vera
luminis lumina
enuclearet miscens
cum novis vetera.

3 b. Praeponens ergo mori
genti luce data
Tolosam petit totus
mente veridica,
ubi magis frendebat
gentis insania.

4 a. Cum quo erat
fides et pudicitia,
humilitas
larga cum patientia,
sobrietas
cum caritate gemina.

4 b. Hac igitur
miles saeptus militia
nihil timens
valde contemptibilia
idolorum
dicebat sacrificia.

5 a. Monstrans iuxta nocere
et prodesse potentia.
tamen in infernum
sibi credentes
mergentia,
ut crederetur monstrans
ex more nil potentia.

5 b. Nec minus monstrans tanta
Dei esse iuvamina,
quod per eius fidem
fieri possent
omnia, ut
crederetur, omnia
sanans membra languida.

6 a. Iam lumen ubi
tantum fuerat,
nulla vox vim
habere poterat,
specula montis
apparuerat.

6 b. Iam videt rex, quae
vix audierat,
perdens, ubi
lucrari poterat,
Christi militem
capi iusserat.

7 a. Cur saeve furis
ac tanta insania,
quae vides, non credis
esse miracula,
sed fingebas fieri
arte magica?

7 b. Credens vitare
incurris pericula;
adduciter taurus,
non pro victima,
ad eius ligetur
sanctus vestigia.

8 a. O nova
novae mortis genera!
Ligantur
pedes versus pectora,
caput et manus subter
ilia.

8 b. Mox taurus
timens dura vincula,
tractus ad
capitolii summa,
ruit praecipitans ad
infima.

9 a. Franguntur colla,
languent lumina,
spargitur cerebrum
per confragra,
ruptae sunt
manus propter vincula.

9 b. Rumpuntur nervi,
cadunt viscera,
sic petit spiritus
caelestia,
laetantur
angelorum consortia.

10 a. Cuius prece assidua
vitemus cuncta noxia

10 b. Adipiscentes dulcia
angelorum consortia.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 5b, 1 Hec minus AB. — 5b, 3 quia per AB. — 5b, 7 languentia AB.

326. De sancto Sebastiano.

1. Sancto spiritu
nos instructi
eiusdemque lege docti

2 a. Praeconia testis
pangamus nomine Christi,

2 b. Qui terrea sprevit
quondam, nunc gaudia cernit.

3 a. Prognatibus
carus consistens
principatum non dilexit;

3 b. Ac sobrius
sub ornamento
latet diu militari.

4 a. Et multos a deviis
ad viam hic dudum
veritatis revocavit,

4 b. Larvalibus nebulis
plures sic de turba
relevavit inimici.

5 a. Sermonibus veridicis,
moribus sanctis
est praeditus
vir praeclarus.

5 b. Palatii commilites
hunc quasi patrem
carissimum
amplectuntur.

6 a. Sebastiane,
miles clarissime,

Qui constitutis
duobus geminis
Marcelliano et Marco
in vinculis solamina
praebuisti,

6 b. Zoe fideli
ora restituis,

Senos per annos
verbis quae caruit.
Tu cunctos haec tua mira
probantes tuis precibus
fac gaudentes.

7. Nobis per omnia
sis fautor,
fidelis orator
per saecli saecla.

Cod. Vatican. Palatin. (ol. Laurissens.) 833 add. saec. 10. — Titel der Sequenz „Adducentur". — 3a, 1 Pronatibus Hs. — 4b, 1 Larvaribus Hs. — 6a, 6 in ergänzt. — 7, 4 per ergänzt.

327. De sancto Sebastiano.

1 a. Omnes una decantemus
Et martyris personemus
Laudem Sebastiani.

1 b. Hic a Deo est electus,
Per quem morbus est eiectus
Languoris pestiferi.

2 a. Nam se Christo totum vovit,
Qui vult nos hunc venerari;

2 b. Christus eum nunc promovit
In patria caelesti.

3 a. Cunctis hic subvenit maestis,
Statim est sedata pestis
Sui causa meriti,

3 b. Ipsum si nunc deprecemur,
Nomen quoque veneremur
Martyris sanctissimi,

4 a. Morbus iste non nocebit,
Sed mortiferum delebit
Populum, qui tenuit

4 b. Nos pro nostris tantis malis,
Iam absorbet pestis talis,
Quod tota gens gemuit.

5 a. Sancte martyr
Sebastiane,

5 b. Salva nos a morte
epidemiae.

6 a. Nostra gravia ob peccata
Terra ista desolata
Non sit, pie, quaesumus,

6 b. Sed nos considera
Et in nobis cessa
Pestem, iam te petimus.

7 a. Ista per te gens sit tuta,
Et ne noceat acuta
Febris haec in patria.

7 b. Ex quo nostra spes est tota
In te, martyr, nunc remota
Sit pestis mortifera.

8 a. O sancte Sebastiane,
Nostrae gentis sero, mane
Conservator et tutor sis

8 b. Et Dominum deprecare,
Ut a nobis revocare
Valeat vesana pestis.

9. Ex tua sancta prece
Ne sit morbus nobis nece,
Sed recedat ab hac domo;
Amen dicat omnis homo.

Miss. ms. Cisoniense saec. 16. Cod. Insulen. 37. A. — Missale Sarisberiense imp. 1498. B. — Missale Lexoviense imp. 1504. C. — 1, 2 iam personemus B. — 4 b, 2 Iam fehlt C. — 4 b, 3 genuit C. — 7 a, 3 in Anglia BC. — 7 b, 1 Ex quis C. — 8 a, 2 gentis Anglicanae BC. — 8 a, 3 Consecrator A. — 8 b, 1 deprecaris C. — 8 b, 2 revocari C.

328. De sancto Sebastiano.

1 a. Imperator maxime,
Christe benignissime,
Tibi laus et gloria,

1 b. Carmen hoc laetitiae
Suscipe, quod hodie
Decantat ecclesia,

2 a. Sebastiani pia
Colendo sollemnia,
Egregii martyris.

2 b. Instructus Lombardia,
Sed Narbone patria
Civis fuit nobilis.

3 a. Omnibus amabilis,
Sermone affabilis,
Iustus in iudicio,

3 b. In commisso fidelis,
Moribus placabilis
Fuit et consilio.

4 a. Gestis imperatorum
Stetit more maiorum
Romae summa curia.

4 b. Firmavit cor tortorum,
Spem promittens bonorum
Caelesti hierarchia,

5 a. Poenis ne deficerent,
Ne eos seducerent
Monita mulierum,

5 b. Sed terrena spernerent
Et Deum aspicerent
Largitorem munerum.

6 a. Cotidie sedulum
Exhibens officium
Verus cultor fidei,

6 b. Omne servans praeceptum
Lege gratiae scriptum
Fultus gratia Dei,

7 a. Os mutum aperuit,
Tormenta sustinuit
Armis lucis indutus;

7 b. Sagittis fixus fuit
Et mortem non timuit,
Pro qua stat laureatus.

8 a. Pro nobis advocatus
Nunc pellat vir beatus
Pestem, famem, gladium;

8 b. Nostros quoque reatus
Ignoscat nobis Deus
Detque nobis gaudium.

Missale Andegavense imp. 1489. A. — Missale Petragoricense imp. Petragoricae 1525. B. — Missale Pictaviense imp. Parisiis 1541. C. 1 b, 2 Promit haec B. — 2 b, 3 Fuit civis B. — 4 b, 1 Firmat hic cor A; huc cor B. — 7 b, 1 sutus fuit A. — 7 b, 2 mortem sustinuit B. — 8 b, 2 Ignoscas A. — 8 b, 3 Desque tuum A; Qui regnat in saeculum B.

329. De ss. Senesio et Theoponto.

1. Devoti
cordis laude nobis
colendus digne

2 a. Hunc diem sacravit
triumphans

2 b. Senesius martyr
beatus.

3 a. Hic Christi amore plenus,
pastorali
nomine decorus,

3 b. Ad plenum fidei opus
Theoponto
praefuit devotus.

4 a. Haec mundo duo
lumina superni
splendoribus
solis unita

4 b. In continentum
maximo ordine
virtutibus,
signis fulsere.

5 a. Calicem postmodum
gustantes
martyrii,
ferro perempti,

5 b. Ferculi mystici
ascensu
purpurato
gaudent cum Christo.

6 a. Horum Suevia
data quieti,
Hierosolyma
praevisa
passioni.

6 b. Pangat iterum
dulciter melos
grex angelicus
impleri
videns caelos.

7 a. Vos, praeclari
milites, titulis
insigniti
sanguinis agni,

7 b. Nostras preces
Domino seduli
deferentes
vestros concives

8. Facite et heredes.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. add. saec. $^{11}/_{12}$. — 6 a, 4 lies provisa? — Melodie: Romana.

330. De sancto Sigismundo.

1 a. O fons summae pietatis
Et immensae bonitatis
Ex alto scaturiens,

1 b. Qui per tuos rivos dulces
Suaviter cuncta mulces,
Omnia parturiens.

2 a. Cuius impetus iucundus,
Suavis, clarusque mundus,
Summa cum laetitia

2 b. Consolatur civitatem
Dei, dans iucunditatem
Remota tristitia.

3 a. Cuiusque felix dulcedo
Totum orbem, sicut credo,
Mederi non desinit,
Sicut medicus fidelis
Omnes morbos cum medelis
Medetur et perlinit.

3 b. Quod aperte nos videmus,
Quia sanctos, quos tenemus
Apud nos reconditos,
Sacris rivis sic inundat,
Ut per totum orbem fundat
Recreando perditos.

4 a. In quorum tam sancto grege
Lucet speciali lege
Sigismundus clarissimus

4 b. Ut David inter prophetas,
Signorum nec habens metas
Prudens sicut Salomon.

5 a. Qui de longe quaerebatur,
Nam sic hic rex visitatur,
Pulcher velut Absalon;

5 b. Cuius decorem mirantur
Caeli, terra et laetantur
Eius pulchritudine.

6 a. Ceu Samson hic vere fortis,
Quia de inferni portis
Huius fortitudine

6 b. Plures animae solvuntur
Paradiso et redduntur
Ipsius precamine.

7 a. Membra fere morti data
Iam cernuntur recreata
Eius medicamine,

7 b. Non est morbus, quem non curet,
Dum morbosus fide duret
Postulans auxilium.

8 a. Tristes atque conturbatos
Necnon paupertati datos
Per mundi exsilium

8 b. Tam benigne consolatur,
Quia quisquis reformatur
Liber a tristitia.

9 a. Languor ullus hunc non laedit,
Sed ad sua laetus redit,
Quando vita tristis cedit
Crescente laetitia.

9 b. Ob hoc rex et martyr Christi,
Sigismunde, genti tristi
Opem fer, ut consuevisti,
Solando clementius.

10 a. Hostes cunctos procul pelle,
Qui dant potum mixtum felle
Et laedunt ardentius;

10 b. Sicut stuppa transit igne,
Hos consume, martyr digne,
Tuis sanctis precibus.

11 a. Ut omnino conterantur
Et hi, quibus adversantur,
Feliciter eruantur
Ab inferni necibus.

11 b. Ut tui servi securi,
Tibi semper placituri,
Casti possint atque puri
Parere decentius.

12 a. Iuva gregem hoste victum
Nostrumque dele delictum,
Ut adversus mundum fictum
Ineuntes nos conflictum,
Obtenta victoria,

12 b. Post istius mundi cursum
Dirum vincientes ursum,
Mereamur ferri sursum,
Ubi coronemur rursum
In aeterna gloria.

Miss. ms. Olomucense saec. 14. Cod. Capit. Olomucen. 87. A. — Miss. ms. Pragense anni 1482. Cod. Pragen. XII C 5. B. — Grad. ms. Pelsinense anni 1491. Cod. Mus. Bohemici. s. n. C. — Miss. ms. Sanctae Coronae anni 1498. Cod. Pragen. XII C 6. D. — Miss. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. LXXVI. E. — Miss. ms. Tiechebucense saec. 15. Cod. Pragen. XIV B 17. F. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. XII C 4. G. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Olomucen. 73. H. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Civit. Wratislavien. R 524. I. — Miss. ms. S. Vincentii Wratislavien. saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 361. K. — Miss. ms. Vindobonense saec. 15. (Privatbesitz). L.

1 b, 2 mulcens L. — Str. 2 a und 2 b umgestellt E. — 4 a, 1 In quorum tamen sancto K; In tuorum tam sancto E. — 4 a, 2 Licet L. — Von 4 a, 3 an geht eine Verschiebung des Reimes bis 12 a, 1 durch. — 4 b, 1 inter propter I. — 4 b, 2 nec fehlt K. — 5 a, 2 lex F. — 5 b, 3 Huius E. — Str. 6 a fehlt E. — 6 a, 1 Ceu Salomon G; fortis vere L. — 7 a, 2 Vel cernuntur E. — 8 b, 1 Iam benigne B; Nam benigne E. — 9 a, 1 Languor nullus F; Languoribus hunc non E. — 9 a, 2 reddit L. — 9 a, 4 vitae E. — Str. 10 a fehlt L. — 10 a, 2 danti E. — 10 b, 2 ff. fehlen F. — Str. 11 a fehlt L. — 11 a, 2 his E I K. — 10 a, 3 mundi fluctum E. — 12 b, 1 Post mundi istius E; Post huius mundi D. — 12 b, 2 vinciens E; vincentes K. — 12 b, 4 fehlt E.

331. De sancto Sixto.

1. Ad beati Sixti digna
colenda praeconia
concinat et iubilet
omnis ecclesia.

2 a. Hic Athenis genitus
trivio, quadrivio
dedit operam,
formula sinistra
haerens Pythagorica.

2 b. Post fidelis et prudens
oeconomus eligitur
ad erogandam
tritici mensuram
vita apostolica.

3 a. O sancte Sixte,
ex oleastro factus
oliva,
Melchisedech ordine
assignatis tibi
clavibus
potestate usus es,
scientia.

3 b. O felix Roma,
de tanto pontifice
inclita,
qui obvius pro grege
lupis frementibus
respuit
fanum Caesaris, Martis
simulacra.

4 a. Hic ut sol mole siderea
luxit lampas evangelica.

4 b. Exemplis, verbis, operibus
castra instruxit dominica.

4 c. Diem et poenam Laurentio
voce praedixit prophetica.

5 a. Ante tribunal Dominum
confessus est
voce publica,
sprevit minas Decii,
terrores, tormenta.

5 b. Tandem strepit concilium
in iugulum
sancti praesulis,
ob mortis sententiam
nectens argumenta.

5 c. Solvit triumphans sanguine
de foenore
sibi credito
in thesauros regios
bis quinque talenta.

6a. Eius, Roma, cineribus
tripudias,
sed, Patavia,
sui ex praesentia
es capitis decora.

6b. Huius, pater dulcissime,
cotidie
tuis precibus
et clerum propitius
et populum honora,

6c. Et tui cum consortibus
martyrii,
Felicissimo,
Magno et Agapito,
indesinenter ora.

7a. Fac nos tuis me ritis
suffragantibus
ex Aegyto
transire pelagus
et Iericho
anathema
Ierusalem
una duc nos in saepta.

7b. Hac recipiens suas
retributiones
et ad petram
parvulos allidens
sit beata,
Babylonis
meretricis
lascivia decepta.

7c. Tecum sumus dii facti
ex hominibus;
angelorum
iuncti agminibus
celebremus
verum pascha
stola carnis
et animae suscepta.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Paulan. Hospit. memb. 7. A. — Miss. ms. Sitanstettense 247 saec. 15. B. — 2a, 2 Trino quadriuno B. — 3b, 1 felix tota B. — 4c, 2 voce fehlt A. — 6b, 4 sq. et clerum benignus et populum propitius etc. B. — 6b, 4 et fehlt B. — Str. 7a, b, c fehlen B. — 7b, 7 mris A = matris, offenbar verschrieben. Eigentümlich ist dieser Sequenz, dafs von Str. 4 an jeder Choral nicht zweimal sondern dreimal wiederkehrt.

332. De sancto Stanislao.

1. Laudes Dei Cracovia
Nunc attollat mente pia,
Instantia vigili.

2a. Laetabundus psallat mundus,
Psallat Deo cum tropaeo
Omne decus saeculi,

2b. Solemnizet et hymnizet
Die ista per haec festa
Stanislao praesuli.

3 a. Sit laus iugis, sit benigna,
Sit salubris, sit condigna
Mentis iubiliatio;
Dies enim tropaei agitur,
In qua pastor membratim
caeditur
Pro gregis custodia.

3 b. O quam rara, quam amara,
Quam effera, quam austera
Mortis haec illatio!
Tanto mors est gratior,
Quanto crux atrocior
Pro plebis iniuria.

4 a. Boleslaum qui prophanum
Arcet regem, ne in gregem
Domini desaeviat,

4 b. Dum vesanus mittens manus
Oves Christi dente tristi
Velut lupus laniat.

5 a. Augens malum inhumanum
Lac mammarum feminarum
Dat sugendum catulis;

5 b. Exsecratur et damnatur
Scelus regis iure legis
Per censuram praesulis.

6 a. Hinc athleta mente laeta
Subit letum, spernit metum
Sitiens martyrium;

6 b. Gaudet laesus ense caesus,
Transit laetus, cedit fletus
Et dolor in gaudium.

7 a. Cuius ossa terrae fossa
Vigent signis ac condignis
Pullulant virtutibus,

7 b. Cuius vita redimita,
Christi sorte victa morte
Vivit in caelestibus.

8 a. Hunc qui totis poscunt votis
Dei donis freti bonis
Impetrata possident,

8 b. Caeci, claudi, surdi, muti,
Neci dati, desperati
Spem salutis obtinent.

9 a. Spe ipsius meritorum
Vita redit defunctorum,
Daemonio oppressorum
Fit crebra curatio.

9 b. Quo viso gens Polonorum
Instat, ut martyr ipsorum
In numero beatorum
Iungatur catalogo.

10 a. Ecce, pater Polonorum,
Factus tutor pupillorum,
Vere pater filiorum,
Colendus sedulius.

10 b. Admirandae est virtutis,
Opem fert gratae salutis,
In pressuris constitutis
Subvenit celerius.

11 a. Bone pastor, tui gregis
Veniam impetra reis
Pacem obtinendo eis,
Ne hos stringat poena legis,
Absolve criminibus.

11 b. Pater age Stanislae,
Ut rex pius ac benignus
Nos in fine sine fine
Regno donet ac coronet
Iungens caeli civibus.

Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. — 3 b, 4 Tanto morte gratior. — 3 b, 5 Quanto trux. — Melodie: Laudes crucis. — Verstümmelt bei Kehrein S. 477 u. f.

333. De sancto Stephano.

1 a. Martyris insignis laudes
concinant christiani.

2 a. Protomartyr Stephanus
Ad caelos levans manus
Vidit patefactas
caeli fores.

2 b. Vidit Dei filium,
Redemptorem omnium,
Sponte qui redemit
peccatores.

3 a. Tunc flexis genibus
Pro se lapidantibus
Oravit Christi levita;
Quis martyrum tantus
in hac vita?

3 b. Hic est legis glosa,
Hic caeli vernans rosa,
Thesaurus sanctificatus,
Divinitus fine
revelatus.

4 a. Credendum est,
Quod hic praeest
Sanctis cunctis Dei,
Cum hic adest
caelo primus ei.

4 b. Scimus istum
Prope Christum
Esse ante Deum;
Ergo simus
collaudantes eum.

Missale Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Missale Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — Melodie: Victimae paschali laudes.

334. De sancto Stephano.

1 a. Ecce, martyr primitivus,
In quo salit redivivus
Veri fons martyrii;

1 b. Hic athleta sternit hostes
Et cruore primus postes
Signat sanctuarii.

2 a. Cuius sanguis est caementum
Et primaevum fundamentum
Nascentis ecclesiae,

2 b. Dum a suis lapidatur,
Ipsi caelum reseratur
Et tribunal gloriae.

3 a. Inter ictus stat invictus,
Deum orat et implorat
Inimicis veniam.

3 b. Pro Saulo tunc exauditur,
Unde Paulus accersitur
Ad aeternam gloriam.

4 a. Mortes, morbos, pestes pellit,
Aspernatur et refellit
Iudaeorum iacula,

4 b. Laurentius amplexatur
Hunc, pro quo resuscitatur
Ustus in craticula.

5 a. Iesu viso dormit laetus,
Visa luce statim fretus,
Stephanus iam inclitus

5 b. Nos ex sua passione
Et tam sancta visione
Illustret divinitus.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500. B. — 3 b, 1 Pro Paulo A. — 4 a, 1 morbos hic repellit B. — 4 b, 2 Stephanum resuscitatur B. — 4 b, 3 Iustus in B. — 5 a, 2 Iussa luce A.

335. De sancto Stephano.

1 a. Laetabundus
Resultet Stephano chorus
Alleluia,

1 b. Qui post Christum
Primus mundum vicit istum;
Res miranda!

2 a. Crucis regnum docuit,
In quo primo splenduit
Sol de stella,

2 b. Christo miles iubilat,
Mundo stella rutilat
Semper clara.

3 a. Quem Iudaei rapiunt,
Eius mortem sitiunt
Pari forma,

3 b. Neque virtus vitio,
Neque mens martyrio
Fit corrupta.

4 a. Extra muros mittitur,
Lapidatus moritur
Valle nostra,

4 b. Bestiis exponitur
Nec ab illis laeditur
Carne sumpta.

5 a. Isaias cecinit,
Quod Stephanus meminit,
Nec Iudaea desinit
Esse caeca,

5 b. Si non suis vatibus
Credat vel martyribus,
Novae legis testibus,
Haec praedicta.

6 a. Caeli hierarchia
Fulget in gloria,
Quem lapidasti,
gens misera.

6 b. O martyr, propera
Et nos confoedera
Huic, quem genuit
puerpera.

Missale Metense imp. Metis 1545. — Melodie: Laetabundus.

336. In Inventione s. Stephani.

1 a. Plaude, mater sine sorde,
Tam praeclara mundo corde
Recolens sollemnia;

1 b. Iure iam prae more plaudis,
Adest namque maior laudis
Solito materia.

2 a. Adest Stephanus athleta
Cum sodalibus, qui spreta
Iudaeorum furia

2 b. Iesum Christum praedicavit
Verbo, signis confirmavit,
Dei plenus gratia.

3 a. Tandem turba perversorum,
Semper aemula bonorum,
Excutit vitalia.

3 b. Sicque Christi pugil fortis,
Levipendens poenam mortis,
Transit ad caelestia.

4 a. Sed pro turba preces fundit,
Quae se duris saxis tundit
Et pro odio confundit
Caritatis praemia.

4 b. Sic pro gente, pater care,
Te colente deprecare
Et a tuis propulsare
Cura quaeque noxia.

5 a. Sanctum ergo, quem necarunt
Feri, feris assignarunt,
Timorati sed curarunt
Hunc cum reverentia;

5 b. Cuius Nicodemus gnarus
Et Gamaliel praeclarus
Ac Abibon Deo carus
Gaudent de praesentia.

6 a. O quam large consecratur
Locus, quo contumulatur
Tot sanctorum copia,

6 b. Quorum licet quisque cultus,
Magis tamen exstat fultus
Martyr sanctimonia.

7 a. Heu, sub modio lucernae
Delitescunt hae quaternae
Per annorum spatia,

7 b. Sed fons demum omnis boni
Vult hos ad lucendum poni
Super lucernaria.

8 a. Sic opertum revelatur
Luciano; sed cunctatur
Exsequi, quod mandabatur,
Motus diffidentia;

8 b. Visione triplicata,
Mora simul increpata,
Rei tandem fide data
Paret ab instantia.

9 a. Patri Ierosolymorum
De reliquiis sanctorum
Visa refert somnia.

9 b. Praesules accersiuntur,
Margaritae mox quaeruntur
Tota cum fiducia.

10 a. Tellus autem dum saritur,
En, thesaurus invenitur
Mira refragrantia,

10 b. Qua languentes convalescunt,
Sic per sanctos percrebrescunt
Passim mirabilia.

11 a. Hinc in templo collocantur,
In quo digne venerantur
Populi frequentia.

11 b. Horum sublevemur prece
Corporis de foedi faece
Ad superna gaudia.

Grad ms. S. Mariae in Capitolio Colonien. saec. 16. in.

337. In Inventione s. Stephani.

1 a. In mundi terminis
Decantet turturis
Vox Christi gloriam,

1 b. Qui per martyrium
Sublimat Stephanum
Ad caeli patriam.

2 a. Nam primus martyrum
Scandit post Dominum
Arces aethereas

2 b. Inter micantium
Caelorum agminum
Scintillans choreas.

3 a. Iudaea regio,
Diu praesidio
Defensa Domini,

3 b. Cur prolem perimis
Eius vel ingeris
Tormenta martyri?

4 a. Gens magni nominis,
Adepta numinis
Superni foedera,

4 b. Iure damnabilis,
Pro mole criminis
Amittens aethera,

5 a. Iesu cruenta sanguine
De miti sparso latere,

5 b. Privata iaces lumine,
Cui mundi cedunt tenebrae.

6 a. Te contra princeps martyrum
Stephanus it ad proelium,

6 b. Sed primus palmam meruit,
Dum prior mori voluit.

7 a. Ergo saevit sibilans
Serpentina rabies

7 b. In quem insignierat
Angelorum species.

8 a. Stans confligit coetibus
Dira plebs odibilis,

8 b. Genu flexo precibus
Agonista nobilis.

9 a. Nam, dum sudat,
Iesus iuvat
Illum in certamine,

9 a. Quem astantem
Ut pugnantem
Iam cernit in aethere.

10 a. Post haec vincens cum gloria
Tonantis intrat gaudia,

10 b. In quo vivit sine fine
Liber a mundi crimine.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. C. — 2 b, 3 Scintillas B. — 3 b, 3 martyrii AB. — 4 a, 1 magni generis C. — 4 b, 1 damnaberis C. — 5 a, 2 Domini sparso AB; Dimitti C. — 7 b, 1 In quem insigni erat AB (In [eum], quem insignierat; vgl. Act. 6, 15); quem in sinu erat C. — 8 a, 1 choribus AB.

338. De sancta Tancha.

1 a. Ad aeterni regis laudem
Emittamus cordis vocem,
Iubilando ac psallendo
Laudes demus summo Deo,

1 b. In electis qui triumphat
Et vicentes mundum ditat,
Ore mellifluo vocat
Et in caelis secum locat,

2 a. Viros atque feminas
Puellasque teneras
Cum supernis sociat.

2 b. De quorum sacro numero
Virginitatis titulo
Erat et collegio

3 a. Illustris, sanctissima,
Insignis sancta Tancha,
Martyriique gloria
Et suo nomine digna.

3 b. Quasi quaedam pretiosa
Dei fulget virgo pura,
Velut stella matutina
Lucet haec inter sidera.

4 a. O decus Campaniae,
Fidelium progenie
Orta, de spinis roseus
Flos procedens pulcherrimus.

4 b. O sancta Tancha splendida,
Quae sanctitatis gratia
Pertulisti immania
In corpore supplicia!

5 a. Te ad incestum flectere
Verbis nequit nec verbere
Puer saevus et impius,
Carnifex iniquissimus.

5 b. Tu triumphasti daemonem
Conservando castitatem,
Exsuperando rabiem
Vesanam et tyrannidem.

6 a. Tu viva Christi hostia,
Virgo Tancha sanctissima,
O martyr constantissima,
Electa ab infantia.

6 b. Tua nobis sit passio
Peccatorum purgatio,
Tua commemoratio
Sit mentis reparatio.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533. — Nach 1 b, 4 folgt noch: Atque gloria coronat; entweder ist diese Zeile zu viel oder es fehlt ein Vers in Str. 1 a.

339. De ss. Thimotheo et Apollinare.

1 a. Ad honorem summi Dei
De triumpho Timothei
Gaudeat ecclesia;

1 b. Gaude, Remis illustrata,
Gaude, Remis exaltata,
De sancti victoria.

2 a. Per hunc lumen recepisti,
Per hunc credens reliquisti
Daemonum contagia,

2 b. Per hunc hostis triumphatur,
Per hunc a te effugatur
Daemonum perfidia.

3 a. Martyr crucem praedicabat,
Miles ducem exaltabat
Unum super omnia,

3 b. Mente fixus erat cruci,
Voto praesentatur duci
Haud segnis ad proelia.

4 a. Maurus et Appollinaris
Affirmabant pro amaris
Commutari dulcia,

4 b. Quod pro damno terrenorum
Repensaret rex caelorum
Sempiterna gaudia.

5 a. Unde multos convertebant,
Et sic pedem referebant
A cultura devia,

5 b. Sed conversi decollantur,
Decollati munerantur
In caelesti curia.

6 a. Lampadius inflammatur,
Thimotheum exsecratur
Hostilis insania;

6 b. Hic promittit et minatur,
Ille spernit et causatur
Tam laeta quam tristia.

7 a. Hunc torquere tortor audet,
Sed torqueri martyr gaudet
Ab eius iniuria;

7 b. Quanto magis hic pulsabat,
Tanto magis ille stabat
Firmus Dei gratia.

8 a. Hic Neronis caput iurat,
Ille Christi, neque curat,
Quid possint inania,

8 b. Quid Apollo, quid Diana,
Quidve Nero; cuncta vana
Plenaque fallacia.

9 a. Supra petram firmat firmam,
Non tenebit rem infirmam
Martyris constantia,

9 b. Qui divinis intendebat,
Cui sollers assistebat
Angeli praesentia.

10 a. Demum sancti carcerantur,
Carcerati revocantur
Ad mortis stipendia,

10 b. Gladiantur revocati,
Sed procedunt gladiati
Ad caeli palatia.

11 a. Ubi nec mors neque luctus,
Neque clamor neque metus,
Nec ulla miseria,

11 b. Ubi summae trinitati,
Ubi verae unitati
Laus, honor et gloria.

Miss. S. Remigii Remen. imp. Remis 1556. — 5 a, 1 converterat. — 5 b, 2 numerantur. — 10 a, 2 renovantur.

340. De sancto Thoma.

1 a. Fidelium turma
congaudeat hodie

1 b. Celebrantes festum
sancti apostoli Thomae.

2 a. Post ascensionem
Domini Iesu Christi
in caelum

2 b. Iussum est ei
evangelizare sanctum
Dei verbum.

3 a. Cum esset in Caesarea,
civitate magna,

3 b. Apparuit ei dicens
Iesus Christus haec verba:

4 a. Vade praedicare
in Indiam,
et ibi te non derelinquam.

4 b. Exinde cum corona
martyrii
venies meam ad gloriam.

5 a. Qui veniens (in) civitatem
Andronopolim
invitatus est a rege
Gundophoro,

5 b. Ut veniret ad nuptias
et pranderet
cum [rege] aliisque in
palatio.

6 a. Qui convivans cum aliis
vidit inter cetera

6 b. Quandam Hebraeam puellam
cantantem cithara:

7 a. Unus est Deus
Hebraeorum, qui creavit
maria.

7 b. Libenter sanctus
Thomas audiebat haec
cantica.

8 a. Quem intuens pincerna
percussit in faciem,

8 b. Thomas autem iu eum
maledixit hunc sermonem:

9 a. In praesenti saeculo
tibi poena reddatur,

9 b. In futuro iudicio
tibi dimittatur.

10 a. Qui veniens ad fontem
invenit
quendam leonem,

10 b. Qui leo cecidit eum
et bibit
eius sanguinem.

11 a. Cumque hoc rex audivit,
cunctis convivantibus dixit:

11 b. Servus meus hac die
est devoratus a leone;

12 a. Fuit autem
maledictio super eum,
non benedictio.

12 b. Interea
cantatrix puella Hebraea
omnibus dixit:

13 a. Rogate hunc apostolum,
quem pincerna
in faciem percussit,

13 b. Et dedit maledictionem,
praestet ipse
[ut] resurrectionem.

14 a. Quo audito
Thomas apostolus dixit
ad iuvenem:

14 b. Iesus Christus
te resuscitet meam per
orationem.

15 a. Tunc resuscitato iuvene
fudit super nubentes
suam benedictionem.

15 b. Per unum annum integrum
visitavit illam
totamque regionem.

16 a. Ac deinde in una
die baptizavit
virorum novem milia

16 b. Exceptis parvulis
ac mulieribus,
sicut refert scriptura.

17 a. Postea in alia
civitate
Gath iuvenem
fratrem regis suscitavit,

17 b. Per quattuor dies
[qui] mortuus
fuerat et
[Iesu] Christo militavit.

18 a. Deinde
profectus est ad Indiam
superiorem

18 b. Ibique
coepit praedicare quoque
Misdeum regem.

19 a. Qui nolens accipere
suam sanctam
praedicationem

19 b. Contra dicebat ei,
adoraret
ut in templo solem.

20 a. Ipse autem adorabat
Dominum Deum
Iesum Christum;

20 b. Cumque cognoscerent eum
esse apostolum,
occiderunt in templum.

21 a. At ille gaudens
et gratias agens
migravit ad Christum.

21 b. Cum quo regnemus
omnes feliciter
semper in aeternum.

Grad. ms. Toletanum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Tolet. 35-10. — 5a, 1 civitate. — 8b, 1 eum in. — 9a, 2 praesens tibi. — 10b, 2 Leo qui. — 11b, 1 in hac die. — 19b, 1 Et contradicebat, — 19b, 2 sq. ut adoraret in.

341. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Inter templum et altare
Zachariam trucidare,
Tantum scelus iterare
Manus audet impia;

1 b. Helisaeum decalvare,
Templi super liminare
Non formidat conquassare
Patrem mactans Anglia.

2 a. Rachel redit ad lamentum,
Nam post luctum innocentum
Innocentis per tormentum
Sequitur maestitia.

2 b. Templi rubet pavimentum
Sparso sanguine cruentum;
Fel Anglorum in pigmentum
Dulcis vertit Francia.

3 a. Qui sacrabat, consecratur,
Immolator immolatur,
Mensae Christi praesentatur
Pinguis talis hostia.

3 b. Thomas victor coronatur
Et in pace gloriatur,
Nuntiata conferatur
Nobis pax et gloria.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — Melodie: Verbum bonum et suave.

342. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Laetos lira movet sonos,
Absit ira, laetus honos
Decet istum.

1 b. Magnus egit, quod est magnum,
Cum elegit Thomas agnum
Sequi Christum.

2 a. Dum recordor
Thomae magnalia,
Dum contemplor
eum per omnia,
Dum fide metior,

2 b. Thomas iste,
quo floret Anglia,
Thoma summo,
quo floret India,
Non est inferior.

3 a. Nullus inde
miretur sciolus,
Quod hic martyr,
quod hic apostolus
Me iungantur iudice;

3 b. Cum videret,
hic fidem distulit,
Hic se Thomas
tormentis obtulit
Fide tantum indice.

4 a. Habent quoddam pares satis
Inter signum paritatis
Mortis suae termino,

4 b. Nam natali mediante
Die quinta post et ante
Moriuntur Domino.

5 a. Cum rideret Thomae mundus,
Erat quasi rex secundus
Vices habens regias,

5 b. Hic se tamen a mundanis
Avertebat quasi vanis
Regnaturus alias.

6 a. Digniori
potens officio
Praeminebat
regis palatio
Maior magnis,

6 b. Relegatus
idem exsilio
Debellabat
carnem cilicio
Septem annis.

7 a. Hos per annos orba flevit
Et maeroris assuevit
Cantum Cantuaria;

7 b. Eo tandem revocato,
Pacis statu reformato,
Respiravit Anglia.

8 a. Uti lima
coepit mordacius
Thomas in reditu,

8 b. Arguebat
reos intentius,
Dignos interitu.

9 a. Erat enim
primatu dignior
Anglorum maximus,

9 b. Fide gratus,
adfatu gratior,
Vita gratissimus.

10 a. Intus erat eremita,
Regularis foris vita
Praetendens canonicum,

10 b. Erat enim forma seni,
Praeter ipsum non inveni
Cucullatum clericum.

11 a. Fecit, quod docuit,
Cunctis se praebuit
Sic imitabilem,

11 b. Legi, quam protulit,
Murum se praetulit
Inexpugnabilem.

12 a. Occurrunt impii,
Malorum nuntii,
Vir videt inclitus;

12 b. Temptatur subici,
Non potest deici,
Manet interritus.

13 a. Ad altare Benedicti
Benedictum maledicti
Prosequuntur exsulem,

13 b. In tam sacra domo Dei
Vita privant iustum rei
Peccatores praesulem.

14 a. Thomas occubuit,
Sed non succubuit
Persecutioni,

14 b. Vinci non potuit,
Victor praevaluit
Anglico leoni.

15 a. In corona tantum caesus,
Praeter ibi nusquam laesus,
Hac in parte patitur;

15 b. Argumentum est coronae,
Quam das ei, Iesu bone,
Quod corona premitur.

16 a. Das coronam pro corona,
Renovatur haec persona,
Nihil habet exsulis.

16 b. Quod hic martyr coronatur,
Infinitis declaratur
In brevi miraculis.

17 a. Salve, Thoma sic salvatus,
Salutanti salutatus
Da salutis gaudia,

17 b. Placens Deo placa Deum
Tuis tuum, reddens eum
Mediante gratia.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1489. B. — 3 a, 5 indice B. — 9 b, 3 Fide gratissimus AB. — 10 b, 1 semi B. — 11 b, 1 pertulit AB. — 14 b, 3 Angelico B. — 15 a, 3 Ac in B.

343. De sancto Udalrico.

1. Laetare tanta
mater prole,
suavis Suevia,

2 a. Inter tot
natorum milia

2 b. Quae tanta
tulisti pignora;

3 a. Et tellus Alemannica,
sanctorum
corporibus fecunda,

3 b. Sacrarum virtutum nova
mereatur
proferre germina.

4 a. Hinc urbs Augusta,
praesulis corpore
Vuodalrici
valde decora,

4 b. Plebe sancta
sedulo quaeritur,
veneranda
prece beata.

5 a. Qui quondam
hac manens in vita
pii patris
impendit iura,

5 b. Hic quoque
dispensans divina,
ut non desinit
unquam humana.

6 a. Et nunc per sancta
eius merita
affluenter
cunctis manet gratia,

6 b. Cum assidue
infirmi plura
sanitatum
capiunt beneficia.

7 a. Ibi caecis
donantur lumina,
effugantur
et daemonia.

7 b. Tu nunc omnes
penitus sedula
prece die
nos hodierna

8. Christo sancto commenda.

Cod. Sangallen. 898 saec. 10. — Verfasser ist Berno von Reichenau, zwischen dessen Briefen die Sequenz steht.

344. De sancta Ursula.

1 a. Adest dies celebris,
Quo de mundi tenebris
Nova lux emicuit,

1 b. Ursula cum milibus
Undenis virginibus
Novo more floruit.

2 a. Quae laesurae nesciae,
Dono, ductu gratiae,
Mente, votis, usibus

2 b. Normae sapientiae
Haerent, regi gloriae,
Refertae virtutibus.

3 a. Puritas, virginitas,
Vitae morum veritas
Fructusque martyrii,

3 b. Fides, spes et caritas
Ducit, ubi veritas
Dat coronas praemii.

4 a. Nil in mundo praeter mundum
Iesum amant, purum, mundum,
Iam cives in aethere.

4 b. Harum homo non de terris,
Mors et vita est de caelis
Verbo, corde, opere.

5 a. Tantis virtutum meritis,
Tantis donorum praemiis,
Hostis, carnis et saeculi

5 b. Fraudis spretis illecebris,
Poenis, minis, blanditiis,
Pugna vincunt mirabili.

6 a. Sic finitur transactio,
Datur in caelis mansio,
Ut sempiterno munere

6 b. Iungantur Dei filio,
Quem tenent sine termino
Sponsum perenni foedere.

7 a. O virginalis puritas,
Quam vitae dotat dignitas,
Beat, coronat deitas;

7 b. Nos trahat vestra caritas,
Regat, perducat pietas,
Quo iugis viget claritas.

8 a. Genetrix, iure primula,
Exemplum, norma, regula
Pure, caste viventium,

8 b. Tu nos emenda regula,
Confirma prece sedula,
Da, virgo, tuum filium.

9. Christe Iesu, amor,
corona sponsae,
dulcedo virginum.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisien. 916. — 2 a, 1 korrumpiert: Velle se nesciae Hs. — 7 a, 2 Quem.

345. De sancto Valerio.

1 a. Deo cuncti iubilemus
Et hunc diem celebremus
Speciali gloria,

2 a. Arcem tenens praesulatus,
Vita, mente sublimatus
Spernebat terrestria,

3 a. Huic sanctus Vincentius
Erat ut patri filius,
Dei plenus gratia,

4 a. Bene doctus iuvenis
Sancti patris iam senis
Supplet ministeria,

5 a. Destruuntur idola,
Plebs fit iam christicola,
Exsultat ecclesia,

6 a. Tandem venit Dacianus,
Vir iniquus, vir profanus,
Praeses in Hispania,

7 a. Mox perquirit servos Dei,
Qui statim sistuntur ei,
Sed non mente dubia;

8 a. Illi minas contemnentes
Et in Christo confidentes
Exoptant supplicia,

9 a. Hos non horror carceris,
Non longa ieiunia
Frangunt clausos tenebris
Per dierum spatia.

10 a. Ripa curta relegatus
Deo servit maceratus
Per multa ieiunia;

11 a. Tandem sese revelavit
Et, quis esset, indicavit
Et sepulcrum demonstravit
Praesuli per somnia.

12 a. Iam a cunctis celebratur
Et devote frequentatur,
Nam captivus liberatur,
Et aeger quisque sanatur,
Fugantur daemonia.

1 b. Qua beatus Valerius,
Pater noster egregius,
Scandit ad caelestia.

2 b. Deum trinum in personis
Praedicabat veris sonis,
Unum in substantia.

3 b. Quem ad plenum informabant
Et non parum animabant
Literarum studia.

4 b. Plebi magnae praedicans,
Ratione indicans,
Ne colant daemonia.

5 b. Convertuntur singuli,
Tam magni quam parvuli,
Christi crescit gloria.

6 b. Intrat hic Caesaraugustam,
Urbem magnam et venustam,
Et secum gens impia.

7 b. Qui post multa blandimenta
Dare minatur tormenta
Dira atque gravia.

8 b. Post Valentiam trahuntur
Et in carcerem truduntur,
Negantur cibaria.

9 b. Post dira Vincentio
Irrogat supplicia,
Sed seni Valerio
Imperat exsilia.

10 b. Ibi sanctus requievit,
Dum plus fremit et plus saevit
Gentilis saevitia,

11 b. Ab Aneto elevatus
Et in Stada tumulatus,
Post ad Rotam transportatus
Cum ingenti gloria,

12 b. O Valeri, pater sancte,
Mereamur te iuvante
Et pro nobis exorante
Collocari Deum ante
In caelesti curia.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 5 a, 1 Destruantur B. — 8 a, 3 Et optant AB. — 8 b, 2 carcere AB.

346. De sancta Verena.

1. Gaudentes
celebremus festum
laude colendum

2 a. Beatae virginis
Verenae,

2 b. Viam veritatis
amantis.

3 a. Quae ortu claro Thebaea
martyrium
ardenter optabat.

3 b. Italos pertransit fines
fidelibus
devote ministrans.

4 a. Tunc compatritas
Mauritium pro Christo
suosque
discens peremptos

4 b. Ad caedis locum
Agaunum venerat,
testibus
non paucis ditatum.

5 a. Daemone detenti
ac caeci
propter eam
multi curantur,

5 b. Precibus ei factis
in specu
innumera
signa fiebant.

6 a. Dux Mauritius
iuvenum flore
visitaverat
adflictam
consolatu.

6 b. Fama signorum
crescente fides
Alemannica
iam late
pullulabat.

7 a. Mater sancta
Domini, veniam
postula pro
delictis nostris

7 b. Ob istius
merita, obitu
quam visitans
digne locasti

8. Inter virtutum choros.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 4 b, 2 Augaunum. — 7 b, 2 meritis. — Melodie: Romana.

347. De sanctis Victore et Urso.

1 a. Laetabundus
Et iucundus
Agat mundus
Gaudia;

1 b. Christi laude,
Terra, plaude,
Caeli gaude
Curia.

2 a. Hodie post labores
Victor et Ursus, flores
Vivi, fiunt victores
Cum gloria.

2 b. Fide recta praeclari
Hac die coronari
Promeruere pari
Victoria.

3 a. Iam sacri palmam rursus
Tenent Victor et Ursus,
Iam suorum
Thebaeorum
Sunt consortes,
Fide fortes
Socia.

3 b. Ut legio Thebaea
Tulit vitae tropaea,
Hi servati
Plura pati,
Poenas ferunt,
Sic tulerunt
Praemia.

4 a. Ut mundi blandimenta
Aequipendunt tormenta,
Perdunt, ne perdant,
vitam pro vita,
Sunt flagra, flammae
vinclaque trita.

4 b. Nec his nec illis laesi,
Tandem capite caesi
Capiti Christo
iunguntur ita;
Emitur bona
his margarita

5 a. Pro tuo nomine
Certantes, Domine,
In agni sanguine
Laverunt vestimenta,

5 b. Horum mens hilaris
Cantat in citharis
Cultura Caesaris
Et Hyrtaci contempta.

6 a. O Gebenna,
De gehenna
Salvet horum gratia
Te patrona,

6 b. Ossa quorum
Fers, ipsorum
Feras patrocinia,
Sumas dona.

7 a. Quorum mentes
Recolentes
Festa, Christe, libera

7 b. Et caelestis
Regni festis
Socians adnumera.

8. Amen dicant omnia
Subiuncto Alleluia.

Append. ms. post Missale Basileense imp. s. l. et a. (Cantonsbibl. Solothurn). A. — Miss. Gebennense imp. Gebennae 1491. B. — Miss. Gebennense imp. Gebennae 1498. C. — Miss. Gebennense imp. Lugduni 1521. D.

3 a, 7 Gloria C. — 4 a, 6 Vincula trita A; Vinculaque trita C. — 4 b, 1 illa C. — 6 a und b fehlen A. — Str. 8 fehlt CD; 8, 2 fehlt A.

348. De sancto Vincentio.

1 a. Sacra pangat
Atque clangat
Per orbem ecclesia

1 b. In insigni
Deo digni
Vincentis victoria.

2 a. Hic enim ab infantia
Literarum
Alma nactus studia

2 b. Divina dante gratia
Scripturarum
Fulsit eloquentia.

3 a. Vas praeclarum
Electionis

3 b. Gratiarum
Claruit donis.

4 a. Qui iussu praesulis
Iesum Christum populis
Nuntiabat;

4 b. Nam praesul Valerius
Minus expeditius
Verba dabat.

5 a. Inde praeses Dacianus
Vir crudelis, vir profanus,
Hos plectendos iudicat;

5 b. Sed athleta veritatis
Fidem sanctae trinitatis
Confidenter praedicat.

6 a. Iubet hos incarcerari,
Fame, siti cruciari,
Mox legatur,
Mancipatur
Praesul in exsilia.

6 b. Latomnatur sed levita,
Cui Christus erat vita,
Latomnatur,
Laceratur
Dira per supplicia.

7 a. Non hunc terror, non hunc minae,
Multiplices non ruinae,
Non movet eculeus,

7 b. Sitit fontem angelorum,
In procellis tormentorum
Perstat murus aeneus.

8 a. Torquetur, exuritur,
Caeditur, distenditur;
Lictor lassus deficit.

8 b. Ungulis distrahitur,
Laminis effoditur;
Suos praeses afficit.

9 a. Subdunt ferri machinae
Prunas scintillantes,

9 b. Candent cratis laminae
Sanguine vernantes.

10 a. Stridor salis vulnera
Salit per hiantia,

10 b. Rupta patent viscera;
O mira constantia!

11 a. Vulnera vulneribus
Infliguntur,
Viscera visceribus
Detrahuntur;
Tortor angit,
Martyr clangit
Et viva fit hostia.

11 b. Frendet, fervet, bacchatur
Dux ut aspis,
Gaudet, orat, laetatur
Vernans iaspis,
Quem exspectat
Et delectat
Caeli clangens curia.

12 a. Sumptus e patibulo
Truditur ergastulo,
Flos caelestis
Fit ex testis,
Nox lux facta rutilat.

12 b. Caeli phalanx intonat,
Martyr hymnis resonat,
Christum cernit,
Ducem spernit,
Laetus Deo iubilat.

13 a. Melodum melodiae
Procul praeconantur,
Pavescunt excubiae,
Rimis speculantur.

13 b. Errori renuntiant,
Claustra reserantur,
Intus signa radiant,
Plures admirantur.

14 a. Quod ut audit,
Quod sic plaudit,
Stupet, dolet zabulus;

14 b. Sed exsultat
Et resultat
Vincens Christi famulus.

15 a. Molli stratu ponitur,
Penetrat caelos spiritus
Triumphando;

15 b. Bestiis exponitur,
Corvus adest sollicitus
In servando.

16 a. Longe salo deicitur,
Ad actam regreditur,
Glareis inhumatur;

16 b. Basilica reconditur,
Sub altari reponitur,
Fons manat, gens mundatur.

17. In hoc ergo gratulemur,
In hoc Christum veneremur,
Qui nec terra, qui nec mari
Hunc permisit superari.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 1 b, 1 In fehlt. — 2 a, 3 natus. — 6 b, 1 athomatur. — 6 b, 3 Lautumnatur. — 6 b, 5 Dia per. — 10 a, 1 Strido. — 11 a, 3 Vicera. — 15 b, 1 Testis exponitur. — 16 a, 3 Clareis. — 17, 1 In hunc. — 17, 2 In hunc. — Es folgte noch eine Strophe, von der nur die Worte erhalten sind: De cuius ago.

IV.

COMMUNE SANCTORUM.

349. De sanctis Apostolis.

1 a. Psalle Christo laude, prece
In apostolorum nece,
Qui plantant ecclesiam,

1 b. Nunc exemplis, nunc doctrina,
Nunc cruore; per haec trina
Praebent nobis gratiam.

2 a. Petrum, Paulum et Andream
Per Neronem et Aegeam
Roma, Patras perimit;

2 b. Qui tres gemmae sunt caelestes,
Quorum sanctitatis testes
Signa sunt eximia.

3 a. Herodes, gens pharisaea
Iacobis et in Iudaea
Binis vitam adimit,

3 b. Horum minor frater Dei,
Maior sociatur ei
Meritis et gratia,

4 a. Iohannes virgo beatus
Est in Epheso translatus
Ad Christi convivia,

4 b. Qui divina contemplatur,
Quo ex haustu alta fatur
Summae sapientiae.

5 a. Mauri trucidant Matthaeum,
Et Indi Bartholomaeum,
Et Philippum Scythia,

5 b. Thomam Indi, Iudam Persae
Simonemque; sic super se
Penetrant caelestia.

6 a. Horum prece placa natum,
Sana vulnus et reatum,
Ne labamur in peccatum,
Mater Iesu, sic placatum
Redde prece sedula.

6 b. Per hos, Iesu tolle mala,
Detur evolandi ala,
Qua volantes fide recta,
Caritate, spe perfecta
Ad aeterna gaudia.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 49. A. — Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. B. — Grad. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 119); zweimal C und D. — 1 a, 3 plantat ecclesia CD. — 2 b, 1 Herodis B. — 1 b, 3 gratia CD. — 2 b und 3 b fehlen A; der gestörte Reim läfst spätere Einschiebung vermuten. — 3 b, 3 Meritisque gratia D. — 4 a, 1 Iohannes est relegatus A. — 4 a, 2 Dulciter post haec vocatus A. — 4 b fehlt A. — 4 b, 3 Lies Summa sapientia?

Nach Str. 5 schaltet D folgende (spätere) am Rande nachgetragene Strophe ein:

Hinc Matthiam sorte datum
Et pro Christo lapidatum
Barnabamque concrematum
Collaudemus iugiter.

Fune tractus, Marce, ducas
Nos ad illum et perducas,
Quo repletus sanctus Lucas
Obiit feliciter.

6a fehlt A. — 6 b 2 evolandi scala A. — 6 b, 3 sq. fehlen A. — 6 b, 5 Cessetque miseria A. — Die Sequenz „*Caeli solem imitantes*“ hat mehrere Strophen mit der vorstehenden gemeinsam (s. Kehrein 266).

350. De ss. Apostolis et Evangelistis.

1 a. In caelesti hierarchia
Sonat dulcis melodia,
Psallit vox angelica,

1 b. Chorus omnium sanctorum
Laudibus apostolorum
Cantat laeta cantica.

2 a. Verbum Dei incarnatum
Clamant mundo esse natum
Et probant miraculis,

3 a. O quam mira haec sophia,
O quam nova caeli via,
Vincit, qui occiditur!

4 a. Crucifigit per Aegeam
Patras occidens Andream,
Caedit Thomam India,

5 a. Aethiopia Matthaeum,
India Bartholomaeum,
Et Philippum Asia,

6 a. Iohannes in Asia,
Lucas in Bithynia
In pace migrarunt,

7 a. Et vos patres, veris bonis
Locupletes, caeli donis,
Apud thronum gratiae

2 b. Idolatria turbatur,
Contra Christum inflammatur
Et armatur iaculis.

3 b. Roma necat Petrum cruce,
Paulum ense, et sic duce
Christo mundus vincitur.

4 b. Iacobum, natum Alphaei,
Iacobumque Zebedaei
Et Mathiam Syria,

5 b. Simonem et Iudam Persa,
Barnabam Cyprus perversa,
Marcum Alexandria.

6 b. Uni Deo gloria,
Cuius pro victoria
Sancti triumpharunt.

7 b. Intercedite pro nobis,
Ut consortes simus vobis
Coheredes gloriae.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. — 1 a. 3 Psallat AB.

351. De Discipulis Domini.

1 a. Iubilemus, exultemus,
Collaudantes exaltemus
Domini discipulos.

2 a. Pontificum dignitate,
Sacerdotum sanctitate,
Levitarum ordine

3 a. Verae viti adhaerentes,
Vivo pane convescentes
Ferunt fructus uberes,

4 a. Isti sunt Israelitae
Veri, viri sine lite,
Veram pacem praedicant,

5 a. Discipuli verberantur,
Flagellantur, lapidantur
Pro magistri nomine;

6 a. Horum veris disciplinis
Informemur et doctrinis
In hac vita dubia,

1 b. Hos elegit ministros,
Verbi sui magistros
Christus post apostolos.

2 b. Ministrantes orbem lustrant,
Sacra dantes et illustrant
Verbi Dei semine.

3 b. Vera docent, mira gerunt,
Mundum calcant, caelum quaerunt
Christi veri pauperes.

4 b. Fragrant fama, fulgent vita
Virtutibus redimita,
Verbis, signis emicant.

5 b. Sic magistrum imitantur,
A quo tandem coronantur
In caelorum agmine.

6 b. Ut cum ipsis gloriemur
Et a Christo coronemur
In caelesti patria.

Missale Barcinonense imp. Lugduni 1521. A. — Missale Montis Serrati imp. s. l. et a. (in Monte Serrato 1521). B. — 2 b, 2 et fehlt A. — 3 a, 1 Verae veti A. — 3 a, 2 Vino pane A.

352. De uno Martyre.

1. Iste martyr,

2 a. Pugnator fortis
celsi regis

2 b. Ecclesiaeque
decus matris

3 a. Per tormenta
carnificum

3 b. Scandit caeli
fastigium,

4 a. Vitae
fruens perenni lumine,

4 b. Pridem
qui fulsit in certamine.

5 a. Hinc virgo
mater ecclesia fletum
fundit piissimum

5 b. Cernens per sui
sese filioli passam
dulce supplicium,

6 a. Quae tot vicibus patitur,
quot modo suboles illius
passi coronantur;

6 b. Sed, cum arbiter omnium
in fine saeculi venerit,
tunc consolabuntur.

7 a. Noster coetus precatur,
sis fautor pro nobis
ad Deum,

7 b. Qui te iussit grassantum
proelium vincere
terrestrium,

8. Pugil caelestis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — Melodie: Virgo plorans.

353. De uno Martyre.

1 a. Benedictus rex sanctorum,
Qui sacravit invictorum
Martyrum sollemnia,

1 b. In quo gaudet nubes Dei,
Qui praesentis nos diei
Perlustrat laetitia.

2 a. Iste suam tulit crucem
Vir secutus Christum ducem
In magna constantia,

2 b. Hic athleta velut gemma
Ornans regis diadema
Lucet in ecclesia.

3 a. Hic est lapis pretiosus,
Christi martyr gloriosus,
Quem non terret gladius,

3 b. Gemma rubei coloris,
Rubet intus, rubet foris
Verus ille sardius.

4 a. Rubet intus per affectum,
Rubet foris per effectum
Rosei martyrii,

4 b. Corde flagrans per amorem
Corpus offert per odorem
Veri sacrificii.

5 a. Quid est satan, quod dixisti,
Cum pro pelle docuisti
Pellem dare hominis?

5 b. Pellis pelle commutatur,
Dum pro terra quis lucratur
Caelum damno sanguinis.

6 a. Sic pro vita permansura
Vita transit peritura,
Dum vir iustus tollitur,

6 b. Sic pro pelle gloriosa
Datur pellis vitiosa,
Dum haec vita spernitur.

7 a. O beate caeli civis,
Qui post mortem vita vivis,
Quae non habet terminum,

7 b. Adclamantes tuae laudi
Voces nostras clemens audi
Et exora Dominum,

8 a. Ut peccati pulsa mole
Ac infuso vero sole
Nostris insit mentibus;

8 b. Corda nostra tollat sursum
Et post huius vitae cursum
Caeli iungat civibus.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesici Fol. I 83 h. — 3b, 1 rubet. — 7a, 3 habet fehlt. — 7b, 1 laudis.

354. De Martyribus.

1 a. O et Alpha salutaris,
Tu nos salva, nauta maris
Et nauli remigium.

1 b. Iam in prora fluctuamus,
Sine mora peritamus,
Si desit quierium.

2 a. Rogus terris inflammatur,
Pecten serris machinatur,
Heu, tuis fidelibus,

2 b. Petra rupis lapidantur,
Caro, cutis perassantur
Terrenis in sedibus.

3 a. Fune collo suspenduntur,
More follo demerguntur
Ex Kaïn genimine,

3 b. Taetro chao recluduntur,
Fero cado perunguntur,
Christe, in tis nomine.

4 a. Diris spinis flagellantur,
Verbis, minis blasphemantur
Frenesis saevitia,

4 b. Equi pullis distrahuntur,
Sparsis ulnis discerpuntur
Nefanda malitia.

5 a. Plumbo, sale decoquuntur,
Et sic male compunguntur
Illusores veniae.

5 b. Manu, pede mutilantur,
Mortis caede cruciantur
Depravata facie.

6 a. Fortes Christi hi athletae,
Sustinentes poenas laete
Ad mortis supplicium,

6 b. Unde salus miserorum
Et medela delictorum
Assumpsit initium.

7 a. Vox audita ab altari:
Cupimus nos vindicari
De tortorum spiculo.

7 b. Rachel plorat sed turbata,
Quoniam iam est orbata
Filiorum titulo.

8 a. Iesu pie, flos Mariae,
Ierarchiae nomen scribe
Electorum in throno,

8 b. Ut cum illis in maxillis
Fusis stillis iubilemus
Angelorum patrono.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. — 1b, 2 piritamus. — 3b, 1 chaos. — 3b, 2 chados. — 7a, 1 ob altare. — Beachtenswert der Binnenreim, der in Str. 6 u. 7 fehlt.

355. De Martyribus.

1 a. Dulci sono melodiae
Resonemus in hac die
Laudes regi gloriae,

1 b. Cuius ope sancti viri
Meruerunt redimiri
Corona victoriae.

2 a. Hi calcata mundi vita
Pro inventa margarita
Tradiderunt corpora,

2 b. Hi de regno Pharaonis
Rubra suae passionis
Transierunt aequora.

3 a. Hi sunt pelles rubricatae
Ad ornandum coaptatae
Legis tabernaculum,

3 b. Pelles veri Salomonis,
Quibus suae mansionis
Ornat habitaculum.

4 a. Sic in templo micant isti,
Ut in horto sponsae Christi
Florent mala punica;

4 b. Isti sunt malagranata,
Qui in summo sunt locata
Sacerdotis tunica.

5 a. O felices et beati,
Iam a Christo sublimati,
Prima stola trabeati
In caelesti curia;

5 b. Nobis prece subvenite,
Ut post huius cursum vitae
Per beatum nos *Venite*
Christi vocet gratia.

Miss. ms. Wratislaviense saec. 14. Cod. Civit. Wratislavien. R 164. A. — Miss. ms. S. Mariae Magdalenae Wratislavien. saec. 14. Cod. Civit. Wratislavien. M 1121. B. — 1 b, 2 reddi miri A.

356. De Martyribus.

1 a. Iesu hospites laudemus,
Alta voce resonemus
Eorum magnalia,

1 b. Tres in hac die amoena,
Praesul, Martha, Magdalena,
Rapiunt iocalia.

2 a. Martha, soror Magdalene,
Cum ipsa laetatur plene
In caelesti gloria,

2 b. Lazarus praesul effectus
Militis est veste tectus
Christi cum victoria.

3 a. Primus miles bellicosus
Est post regem virtuosus
Protomartyr inclitus;

3 b. Illuc currit Fabianus,
Quo tendit Sebastianus,
Ut militet caelitus.

4 a. Polycarpus flammis ustus,
Valentinus non combustus
Detruncatur capite;

4 b. Tantus coetus non tepescit,
Sed Iesu amore crescit;
O fratres, attendite!

5 a. Hos Georgius rotatus,
Sed et Petrus gladiatus
Sequuntur viriliter,

5 b. Paulus et Iohannes cari
Cum Christophoro necari
Non pavent hostiliter.

6 a. Ut noscit Ephesius,
Triumphat Genesius
In diris tormentis,

6 b. Cosmas in hac acie
Dono fulget gratiae
His laureamentis.

7 a. Damianus, eius frater,
Quos simul eduxit mater,
Crucifigitur in cruce.

7 b. O martyres rutilantes,
Sitis nobis impetrantes
Gloriam a Christo duce.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 5 b, 3 militetur AB.

357. De Martyribus vel Confessoribus.

1 a. Vocis sono
Dulci tono
Collaudemus Dominum,

1 b. Qui superna
Tenens regna
Ponit mundo terminum.

2 a. Cuius virtus admiranda
Verbo fecit omnia

2 b. Fundans montes, creans fontes,
Astra rutilantia.

3 a. Saeva sedat maria
Iusta dans confinia,
Quem tremiscunt impia
Picea collegia.

3 b. Cuius sapientia
Informis materia
Nunc apparet arida,
Unda quoque liquida.

4 a. Fons totius bonitatis,
rex immense, omnisator,

4 b. Monarchiae iura tenens,
summe regum imperator.

5 a. Angelorum es creator,

5 b. Hominis quoque plasmator.

6 a. Quem decepit venenosi
fraus serpentis subdola;

6 b. Unde pulsus hoc in solo
factus est agricola.

7 a. Mortis luem pro reatu
aure hausit bibula;

7 b. Factus homo eius dira
dissolvisti vincula.

8 a. Vera sanctis in aeternum
lucis praebens gaudia,

8 b. Qui beatum Valerium,
tua fultum gratia,

9 a. Decorasti
vitae excellentia;

9 b. Mira gessit,
prava dempsit vitia.

10 a. Cuius vita tibi digna,
mors est ergo pretiosa,

10 b. Gaudet tecum coronatus
nunc in urbe gloriosa,

11 a. Cuius mira pulchritudo

11 b. Et immensa latitudo.

12 a. Ibi sonat angelorum
iugiter harmonia,

12 b. Ibi chorus senatorum
laudum solvit munia.

13 a. Duodenus ordo pius
et infantes de sub ara

13 b. Triumphantes laureati
te collaudant voce clara.

14 a. Nunc alludit
martyrum victoria,

14 b. Confessorum
fulget nunc scientia,

15 a. Et sertato capite
inter pulchra lilia

15 b. Flos agni virgineus
sequitur vestigia.

16 a. Nostra tibi, rex immense,
placeant servitia,

16 b. Et precatu huius patris
data nobis venia

17 a. Intra urbis supradictae
perducamur moenia,

17 b. Ubi vera perfruamur
cum sanctis laetitia

18 a. Summa nacti gaudia

18 b. In caelesti patria.

Grad. et Trop. ms. Toletanum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Tolet. 35—10 A. — Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valent. s. n. C. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. D. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485 E. — Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. F. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. G.

1a, 1 Voci B. — 1b, 2 tenet B. — 3a, 2 Iuxta B; Vasta E. — 3a, 4 Priscea BCD; Piscea F. — 4a, 1 O totius BEFG. — 4a, 2 omnis sator BEFG; omnis fehlt CD. — 5a, 1 est B. — 7a, 1 Mortis lumen CD. — 7a, 2 Aure auxit F. — 8a, 1 Vere F. — 8b, 1 beatum Stephanum A; Martinum CD. — 9b, 2 pura damnat vitia CD; prava depressit EFG. — 10a, 1 tibi vita F. — 10b, 1 sq. Nunc in urbe gloriosa manet tecum cum corona B. — 12a, 2 und 12b, 2 vertauscht B. — 12a, 2 iugis F. — 12b, 2 solvunt B. — 13b, 2 nunc fulget gloria F. — 14a, 1 Hunc allidit CD. — 15a, 1 serato B; servato CD. — 15b, 1 Flos agri F. — 16a, 2 obsequia CDEFG. — 16b, 1 Ut precatu F; huius tibi patris B. — 16b, 2 data est nobis C. — 17a, 1 Infra CD. — 17b, 1 fruantur F; Ubi vera sempiterna CD. — 17b, 2 Fruamur laetitia CD. — 18a, 1 donans gaudia BCD. — 18b, 1 fehlt CD.

358. De Confessore non pontifice.

1. Quae Deus visibiliter
Facit mirabilia,

2a. Confessorum iugiter
Vigilat custodia,

2b. Per quos mirabiliter
Operatur gratia.

3a. Lumbos cinxit stricte [iste]
Et lucernam tenuit,

3b. Pro te mundum sprevit,
Christe,
Et carnem cohibuit.

4a. Hinc angustam viam vitae
Fortiter arripuit

4b. Et in vitiorum lite
Bravium obtinuit.

5a. Huius sancti per merita,
Christe, dona gaudia,

5b. Caeli quod nos ad inclita
Ducamur palatia.

Sequent. ms. saec. 15. Cod. Sublacen. CLXVIII. (Mazzatinti 171).

359. In Natali Confessorum.

1. Psallat mens nostra
inhianter digna

2a. Aeterno regi carmina,
quae nobis praeclara

2b. Tam venerandi tribuit
confessoris festa.

3a. Hic pie vivendo
commissum rexit populum
in doctrina sancta

3b. Sibique collata
iuste dispensans Domino
reddidit talenta.

4a. Praesentis vitae nexibus
absolutus
caelestia
possidet regna.

4b. Pro nobis oret servulis,
flagitamus,
mereamur
ut sempiterna

5. Intrare ad gaudia.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n.

360. De Virginibus.

1 a. Stellas solem comitantes,
Orbem luce perlustrantes,
Collaudemus virgines,

1 b. Sexu fragili certantes
Regnant palma triumphantes
Supra caeli cardines.

2 a. Verbis Pauli docta Thecla,
Poenas temnens atque saecla,
Poli scandit gaudia;

2 b. Ignis, ensis superatrix,
Hoste victo triumphatrix
Iubilat Caecilia.

3 a. Magos vincens Katharina,
Lux effundens, monte Sina
Iugulata conditur;

3 b. Agnes tecta stola ducis,
Maechum suscitans vi crucis,
Sequens agnum cernitur.

4 a. Agatham mamma praecisa,
Mente tamen indecisa,
Medens Petrus visitat;

4 b. Ursula fert plagas mortis,
Stat Lucia turris fortis,
Pacem migrans vocitat.

5 a. Tormenta per exquisita
Barbara cum Margarita
Dimicant in stadio;

5 b. Daemonem fugat Iustina,
Lacu trahitur Christina
Caelesti praesidio.

6 a. Eulalias Dacianus
Hispanas necat profanus
Caelibatus praemiis;

6 b. Clara degens in conclavi,
Perfragrans odore suavi,
Rutilat praeconiis.

7 a. His matronis
Tuis donis,
Iesu, proles virginis,

7 b. Fac coniunctos
Nos, disiunctos
Omni labe criminis.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 2a, 2 tenens AB. — 3b, 2 Mecum suscitans in crucis AB — 4b, 1 Fert Apollonia plagas mortis; Apollonia augenscheinlich Ersatz für einen dreisilbigen Namen. — 6b, 2 Perfragans odores avi AB.

Nachtrag und Berichtigungen:

Für die Altersbestimmung des Reichenauer Tropars (Vorwort S. 6) bieten einen weiteren Anhaltspunkt die Strophen 8b u. 9 der Sequenz „Annua recolamus sancti Alberti“ (Nr. 80).

Nr. 56: 1b, 2 lies Quo danmatur.

„ 83: 1a, 1 „ Inviolata (oder Immaculata?).

Inhalts-Übersicht.

A. Real-Index.

I. De Tempore.

Nr.		Seite
1.	In Nativitate Domini	11
2.	In Nativitate Domini	11
3.	In Nativitate Domini	12
4.	In prima missa Nativitatis D.	12
5.	In Circumcisione Domini	13
6.	De ss. Nomine Iesu	14
7.	In Epiphania Domini	15
8.	In Epiphania Domini	16
9.	In Epiphania Domini	17
10.	In Inventione pueri Iesu	17
11.	In festo s. Salvatoris	18
12.	In Transfiguratione Domini	18
13.	In Transfiguratione Domini	19
14.	De Passione Domini	20
15.	De Passione Domini	20
16.	De Tunica Domini	21
17.	De Tunica Inconsutili	22
18.	De Corona Spinea	23
19.	De Corona Spinea	24
20.	De Corona Spinea	24
21.	De Corona Spinea	25
22.	In Parasceve Domini	27
23.	De sancto Sepulcro	27
24.	De sancta Cruce	28
25.	In Exaltatione s. Crucis	29
26.	In Resurrectione Domini	29
27.	In Resurrectione Domini	30
28.	In Resurrectione Domini	31
29.	In Resurrectione Domini	31
30.	Sabbato post Pascha	32
31.	Dominica in Albis	33
32.	Dominica 2. post Pascha	33
33.	In Ascensione Domini	34
34.	In Ascensione Domini	35
35.	In Ascensione Domini	35
36.	In Ascensione Domini	36
37.	In Festo Pentecostes	37
38.	In Festo Pentecostes	38
39.	In Festo Pentecostes	39
40.	In Festo Pentecostes	40
41.	De sancto Spiritu	41
42.	De sancto Spiritu	42
43.	De sancto Spiritu	43
44.	De ss. Trinitate	43
45.	De ss. Trinitate	44
46.	De ss. Trinitate	45
47.	De Corpore Christi	45
48.	De Corpore Christi	46
49.	De Corpore Christi	47
50.	De Corpore Christi	48
51.	De Corpore Christi	48
52.	De Corpore Christi	49
53.	De Corpore Christi	50
54.	De Corpore Christi	50
55.	De Corpore Christi	51
56.	De Corpore Christi	51
57.	Vita Domini	51
58.	In Dedicatione Ecclesiae	53
59.	In Dedicatione Ecclesiae	53
60.	In Dedicatione Ecclesiae	54
61.	In Ded. Eccl. ss. Simonis et Iudae	55
62.	Die Dominica	55
63.	Die Dominica	56
64.	Pro Defunctis	57
65.	Pro Defunctis	57
66.	Missa contra paganos	58

II. De Beata.

Nr.	Seite
67—73. In Conceptione BMV	61—65
74 u. 75. In Nativitate BMV	66 u. 67
76—78. In Praesentatione BMV	68—70
79—83. In Annuntiatione BMV	71—74
84—87. In Visitatione BMV	75—77
88—91. In Purificatione BMV	78—80
92. In Transfixione BMV	81
93. De Compassione BMV	82
94 u. 95. De Doloribus BMV	83 u. 84
96—100. De Assumptione BMV	84—87
101. In festo Mariae Nivis	88
102—171. De beata Maria V	88—134

III. De Sanctis.

Nr.	Seite
172. De omnibus sanctis	137
173. De omnibus sanctis	138
174. De omnibus sanctis	139
175. De omnibus sanctis	140
176. De omnibus sanctis	141
177. De omnibus sanctis	142
178. De omnibus sanctis	142
179. De sancto Achatio	143
180. De sancto Adalberto	144
181. De sancto Adalberto	145
182. De sancto Adalberto	146
183. De sancto Adalberto	147
184. De sancto Aegidio	148
185. De sancto Aegidio	149
186. De sancto Aegidio	149
187. De sancto Agerico	150
188. De sancta Agnete	151
189. De sancta Agnete	151
190. De sancto Albano	152
191. De sancto Amato	153
192. De sancto Angelo Custode	154
193. De sancta Anna	155
194. De sancta Anna	157
195. De sancta Anna	157
196. De sancta Anna	158
197. De sancta Anna	159
198. De sancto Antonino	160
199. De sancta Apollonia	161
200. De sancto Augustino	162
201. De sancto Augustino	163
202. De sancto Augustino	164
203. De sancto Augustino	164
204. De sancto Augustino	165
205. De sancto Augustino	166
206. De sancta Barbara	167
207. De sancta Barbara	169
208. De sancto Bartholomaeo	170
209. De sancto Bartholomaeo	172
210. De sancto Bartholomaeo	173
211. De sancto Benedicto	174
212. De sancto Benedicto	175
213. De sancto Bonifatio	175
214. De sancta Caecilia	176
215. De sancto Castore	177
216. De ss. Cosma et Damiano	178
217. De ss. Cosma et Damiano	178
218. De sancto Cyriaco	179
219. De sancta Dorothea	180
220. De sancta Dorothea	180
221. De sancta Elisabeth	182
222. In translatione s. Elisabeth	182
223. De sancta Engratia	183
224. De sancto Erasmo	183
225. De sancta Eulalia	184
226. De sancta Euphemia	185
227. De sancto Eusebio	185
228. De ss. Fabiano et Sebastiano	186
229. De sancta Felicitate	187
230. De sancta Felicitate	188
231. De ss. Ferreolo et Ferrutio	189
232. De sancto Florino	189
233. De stigmatibus s. Francisci	190
234. De sancto Frontone	190
235. De sancto Frontone	191
236. De sancto Gabriele	192
237. De sancto Genesio	192
238. De sancto Georgio	193
239. De sancto Georgio	194

Nr.		Seite
240.	De sancto Georgio	196
241.	De sancto Georgio	197
242.	De sancto Gereone	197
243.	De sancto Germano	198
244.	De sancta Helena	199
245.	De sancta Helena	200
246.	De sancto Hieronymo	200
247.	In translatione s. Hildae	201
248.	De sancto Iacobo	202
249.	De sancto Iacobo	203
250.	De sancto Iacobo	203
251.	De sancto Iacobo	204
252.	De sancto Ianuario	205
253.	De Innocentibus	206
254.	De Innocentibus	207
255.	De s. Iohanne Baptista	208
256.	In Decollatione s. Iohannis B.	208
257.	In Decollatione s. Iohannis B.	209
258.	De s. Iohanne ante Portam lat.	210
259.	De ss. Iohanne et Paulo	211
260.	De sancto Ioseph	212
261.	De sancto Ioseph	212
262.	De ss. Iusta et Rufina	213
263.	De sancta Katharina	214
264.	De sancta Katharina	215
265.	De sancto Laurentio	216
266.	De sancto Laurentio	217
267.	De sancto Laurentio	217
268.	De sancto Leonhardo	218
269.	De sancto Leonhardo	220
270.	De sancto Lubentio	221
271.	De sancto Lubentio	221
272.	De sancta Lucia	222
273.	De sancto Lucio	223
274.	De sancto Marco	225
275.	De sancta Margareta	225
276.	De sancta Margareta	226
277.	De sancta Margareta	226
278.	De sancta Margareta	227
279.	De s. Maria Magdalena	228
280.	De sancta Marina	228
281.	De sancta Martha	229
282.	De sancto Martino	230
283.	De sancto Martino	231
284.	De sancto Martino	232
285.	De sancto Mauritio	232
286.	De sancto Mauritio	233
287.	De ss. Maximo et Venerando	234
288.	De sancto Medardo	235
289.	De sancto Michaele	236
290.	De sancto Michaele	236
291.	De sancto Michaele	237
292.	De sancta Monica	238
293.	De sancto Narcisso	239
294.	De sancta Natalia	239
295.	De sancto Nazario	240
296.	De sancto Nicetio	241
297.	De sancto Nicolao	242
298.	De sancto Nicolao	243
299.	De sancto Nicolao	243
300.	De s. Nicolao a Rupe	244
301.	De s. Nicolao Tolentino	245
302.	De s. Nicolao Tolentino	246
303.	De sancto Norberto	246
304.	De sancto Notkero	247
305.	De patronis Hildesheimen.	248
306.	De patronis Salisburgen.	249
307.	De patronis coenobi SS. Udalrici et Afrae	250
308.	De sancto Paulino	251
309.	De sancto Paulo	252
310.	De s. Paulo Eremita	252
311.	De sancto Petro	253
312.	De sancto Petro	254
313.	De ss. Petro et Paulo	254
314.	De ss. Petro et Paulo	255
315.	De ss. Petro et Paulo	256
316.	In s. Petri ad Vincula	257
317.	In s. Petri ad Vincula	258
318.	In s. Petri ad Vincula	260
319.	In s. Petri ad Vincula	261
320.	De s. Petro Martyre	262
321.	De sancto Piato	263
322.	De sancto Raimundo	263
323.	De sancto Remigio	264
324.	In translatione s. Remigii	265
325.	De sancto Saturnino	266
326.	De sancto Sebastiano	267
327.	De sancto Sebastiano	268
328.	De sancto Sebastiano	269
329.	De ss. Senesio et Theoponto	270
330.	De sancto Sigismundo	270
331.	De sancto Sixto	172
332.	De sancto Stanislao	273
333.	De sancto Stephano	275
334.	De sancto Stephano	275
335.	De sancto Stephano	276
336.	In inventione s. Stephani	276
337.	In inventione s. Stephani	277
338.	De sancta Tancha	278
339.	De ss. Timotheo et Apollinare	279
340.	De sancto Thoma	280

Nr.		Seite
341.	De s. Thoma Cantuariensi.	281
342.	De s. Thoma Cantuariensi.	281
343.	De sancto Udalrico	283
344.	De sancta Ursula	284
345.	De sancto Valerio	285
346.	De sancta Verena	286
347.	De ss. Victore et Urso . .	286
348.	De sancto Vincentio . . .	287

IV. Commune Sanctorum.

349. De sanctis Apostolis 291
350. De ss. Apostolis et Evangelistis 291
351. De Discipulis Domini 292
352. De uno Martyre 293
353. De uno Martyre 293
354. De Martyribus 294
355. De Martyribus 294
356. De Martyribus 295
357. De Martyribus vel Confessoribus 296
358. De Confessore non pontifice 297
359. In Natali Confessorum 297
360. De Virginibus 298

B. Verbal-Index.

Ab excelso maiestatis 71
Ad aeterni regis laudem 278
Adalbertus praesul gratus . . . 145
Ad beati Sixti digna 272
Ad celsi regis gloriam 234
Adest dies celebris | Quo de . . 284
Adest dies omni mundo 232
Adest dies veneranda 80
Adest nobis summa laetitia . . 34
Ad haec festa sabbatina 92
Ad honorem cantemus. 23
Ad honorem Dei patris 159
Ad honorem matris piae 86
Ad honorem salvatoris 191
Ad honorem sanctae Marthae . 229
Ad honorem summi Dei 279
Ad honorem tuum Christe . . . 221
Ad matris Annae annua 155
Ad supernae gremium 133
Aeterni regis munera | Celebret. 246
Aeterno regi cantemus 204
Agminis archangelo noveni . . 236
Agonista Christi fortis. 180
Alleluia | Festivum paschale . . 258
Alleluia | Sabbato namque . . . 31
Alma fulgent omni mundo . . . 206
Alma Iesse stirps virescit . . . 61
Alma mater ecclesia | Age . . . 252
Alma Dei | Confessor 242
Almiflua caelorum turba 92
Almum pastorem nobilis 153
Amor patris filiique 41
Angelorum mandatricem 70
Anna mater gloriosa 158
Annua recolamus sancti 144
Aquilone pulso veni. 42
Arnhem gaudeat ab intra . . . 185
Assit nobis divinitus 43
Assumpta virgo virginum . . . 86
Assunt sancti Nicolai 243
Astra caeli resplendeant 61
A sublimi statu primi 56
Audi nos | nam te Dominus . . 200
Augustino laudes demus 164
Ave corpus Iesu Christi 49
Ave dulcis mater Dei 93
Ave fulgens martyr Christi . . 169
Ave fulgens stella maris 94
Ave luna quam fundavit. . . . 94
Ave mater claritatis. 95
Ave mater gratiae | Speculum . 95
Ave mater gratiae | Virginale . 95
Ave mater orphanorum 96
Ave mundi reparatrix 97
Ave nympha salutaris 97
Ave parens singularis 97
Ave porta gratiae 98
Ave praeclara Dorothea 180

	Seite
Ave salus gentium	98
Ave salus condimentum	99
Ave sancte Adalberte	147
Ave stella fulgida	99
Ave verum corpus natum	48
Ave virgo laude digna	100
Ave virgo parens munda	101
Ave virgo virginum	101
Ave vitae reparatrix	102
Benedic Domine domum	53
Benedicta es insignis	102
Benedicta sit beata	103
Benedictus es Ioseph	212
Benedictus rex sanctorum	293
Beneventanis finibus	263
Caelestis aulae | ianuas	253
Caeli cives iam congaudent	75
Caeli regem et astrorum	245
Caeli solem profert stella	74
Canamus alacriter	35
Cantet christiana musa	76
Cedrus alta Libani	162
Celebranda praeclari martyris	160
Celebremus | Praesentis diei	154
Cesset ira cesset fletus	149
Chorus et vox harmoniae	178
Chorus iste tibi Christe	263
Christe dominator caelestis	53
Christe prece matris	103
Christi matrem collaudemus	104
Christo vero salvatori	18
Christum laude celebri	205
Columbarum tui sunt	66
Concors sono | Patrono	163
Confessorum candidatrix	235
Confessorum summo regi	243
Congaudeamus Mariae	77
Congaudeat civitas	150
Congaudeat populus	68
Congaudentes iubilemus	54
Convenite melico iubilate	198
Corda pia inflammantur	190
Corde voce Deum laetus	165
Cor devotum vox sonora	261
Cordis voto commendemus	140
Corpus nostri salvatoris	50
Creatorum rector rerum	208
Cuncta caeli regem laudant	256
Decantemus Gabrieli	192
Decantemus venerantes	238
Decorata novo flore	182
De Maria matre pia	104
Deo cuncti iubilemus	285
De sinu patris verbum	11
De spineto nata rosa	134
Devoti | cordis laude	270
Dignis hodie fratres	39
Diligenter recolatur	105
Dulce contio sacra vox	236
Dulci sono melodiae	294
Ecce martyr primitivus	275
Ecce offerebat parvulum	78
Ecce refulget dies	40
Ecclesia devota inclita	208
Ecclesia | Vocali consonantia	251
Eia fratres gaudeamus	220
Eremitam Christi | Niclaum	244
Exaltemus et laudemus	105
Excellentem | Modum mortalium	197
Exsultando sacras laudes	21
Exsultantes iubilemus	239
Exsulta Sion civitas sancta	194
Exsultemus congaudentes	213
Exsultet plebs catholica	166
Exsurgat propere chorea	151
Exsurgens diva ratione	75
Fecundata mater et virgo	79
Felix valde o Maria	84
Festa Christi celebrando	202
Festum agat totus mundus	203
Fidelium turma congaudeat	280
Fidelis turba Christi	239
Firmissime fidem teneamus	45
Flore novo fit odorus	106
Florinus amabilis	189
Fons hortorum fons signatus	89
Gaudeant cunctae partes Europae	225
Gaude gloriosa | Mundi	106
Gaude Iesu mater pia	107
Gaude Ioseph fili David	212
Gaude mater Iesu Christi	88
Gaudentes cantemus	49
Gaudentes celebremus	286
Gaude plebs catholica	107
Gaude plebs fidelium	55
Gaude praesul Adalberte	146
Gaude Roma Roma gaude	254
Gaude Sion mater gaude	108
Gaude Sion mater quia	81
Gaude sponsa speciosa	109
Gaude stella parens solis	109
Gaudet chorus angelorum	226

	Seite
Gaudet chorus electorum	255
Gaudete et plaudite	110
Gaudet Hispania | Psallens	217
Gaudet orbis plebs fidelis	217
Gaude virgo dulcissima	110
Gaude virgo mater Christi	72
Gaudia diei celebremus	240
Gaudiorum virgo mater	85
Gens Gallorum iucundare	25
Gloriosus | Christus rex humilis	230
Gratis factus Deus homo	18
Grateletur urbs Amoena	183
Hac in die | Mentis piae	152
Haec est dies quam fecit	65
Harmonia musicorum	233
Hauriat ex plana	257
Hodie laeti sancto	38
Hodierna die gaudet	266
Homo natus in hoc mundo	57
Honorandus est Martinus	231
Hunc laeti diem cuncti	187
Iam caelorum hierarchia	24
Iesu hospites laudemus	295
Iesum sonet laudis melos	36
Immense omnium rex	137
Immutato carnis iure	33
Imperator maxime	269
In caelesti hierarchia | Novi	228
In caelesti hierarchia | Sonat	291
Inclita nobis haec dies	174
Incliti doctoris laudes	164
In exitu Israel	31
In exitu miserae vitae	45
In hac die rex caelorum	142
In honore Iesu Christi	47
In laude Christi congaude	218
In laude summi verbi	209
In mundi terminis	277
Innovemus gaudia	17
In personis pluralitas	44
Inter templum et altare	281
Inviolata | Mater sit	74
Iste martyr | Pugnator	293
Iubilemus exsultemus	292
Iubilemus iucundanter	63
Iucundetur omnis aetas	210
Laetabundus | Et iucundus	286
Laetabundus | Resultet Stephano	276
Laeta mente annua	192
Laetare tanta | mater prole	283
Laetentur in Christo rege	19
Laetetur ecclesia iubilans	197
Laetis voce chordis ore	248
Laetos lira movet sonos	281
Laudem Dei veneretur	148
Laude mirandum digna	13
Laudent caeli conditorem	29
Laudes Christo decantemus	112
Laudes Christo | solvat orbis	260
Laudes Dei Cracovia	273
Laudes Dei filio	172
Laudes Deo altissimae	88
Laudes Deo persolvamus	215
Laudes Deo plebs fidelis	175
Laudes Domino concinas	193
Laudes omnis sexus et aetas	211
Laudes promat nisu toto	62
Laudes summo debitas	37
Laurentium venerari	216
Laus creatori saeculorum	223
Laus tibi Christi fili Dei	225
Laus tibi Christi | qui res	167
Lucis orto sidere	17
Lux refulsit actualis	222
Magnus Deus omnium	265
Maiestati sit supernae	221
Maior nulla caritas	203
Margaretam collaudemus	226
Martyris insignis laudes	275
Martyri victori laudes	264
Mater ave plena deliciis	114
Mater sancta sanctae spei	114
Nato psallat virginis	116
Nomen Iesu mel caelorum	14
Nostri promat chori caterva	15
O beata fecundata	116
O beata patronorum	249
O caelestis hierarchia	117
O et alpha salutaris	294
O felix Apollonia	161
O fons summae pietatis	270
O Helena decus mundi	199
O Maria virgo dia	117
O mater Christi et virgo	84
O Messia vere Christe	51
Omnes ergo laetemur	16
Omnes una decantemus	268
Omnis mundus decantet	157
O Narcisse promisisse	250
O quam felix es Maria	69
Pace virgo sancta pasce	185
Pangamus Christo laudes	179

	Seite
Pangat chorus alternatim . . .	189
Pater qui commoda omnia . . .	27
Paulum primum eremitam . . .	252
Petrus petra derivatur.	190
Plaude mater sine sorde	276
Plausu dulcis harmoniae. . . .	85
Plebs fidelis iucundetur	118
Plebs pistica prome laudes. . .	22
Post partum et ante	119
Postquam Iesus sic cenavit . .	20
Praesens coetus Agneti	151
Praesul sancte Fabiane	186
Praeter rerum seriem	12
Primus dolor virgo fuit	83
Princeps pacis optime.	58
Principem apostolorum	254
Prodeunt vexilla nunc.	29
Promereris summae laudis . . .	71
Psallat chorus nunc sonorus . .	33
Psallat concinat vox	170
Psallat mens nostra.	297
Psalle Christo laude prece . . .	291
Puer natura nobilis	200
Puer nobis nascitur.	51
Quae Deus visibiliter	297
Quam aethera et terra.	11
Reboat angelica | Laude. . . .	141
Recolendo Michaelis	237
Redemptori plebs redempta . .	12
Regem regum Sion	55
Regi caeli iubilemus	143
Regi regum iubilantes.	188
Resonent angelicae	247
Resurrexit amor meus	32
Reveretur hodie.	175
Rutilantis phoebi ortu.	178
Sacramentum hodie	48
Sacra pangat atque clangat . .	287
Salve crux salve mundi	28
Salve David stirps divina . . .	120
Salve dies qua inferna	35
Salve genetrix sancta	121
Salve mater gloriosa	121
Salve mater mater patris . . .	122
Salve mater salvatoris	123
Salve mater veniae	123
Salve pater coronate	149
Salve salutare lignum	20
Salve virga stirpis Iesse	124
Salve virgo gloriosa | Et flos. .	125

	Seite
Salve virgo gloriosa | O regina.	82
Sancta ac digna die.	139
Sancta Dei mater virgo	138
Sancto Erasmo | Psallat	183
Sancto spiritu | nos instructi . .	267
Sidus ave cella mellis.	177
Sion sancta laetabunda	79
Sit laus plena sit amoena . . .	184
Sit laus summae trinitati . . .	142
Sospitatem dedit aegris	246
Speciali gloria | Cunctis	24
Splendent ecce novi.	30
Sponso regi castitatis	201
Stella duce demonstratum . . .	48
Stella solem pariens	126
Stellas solem comitantes. . . .	298
Summi patris gratia	157
Summo regi iubilemus.	214
Te decet laus pater	43
Tibi dicant omnes Ave	241
Tota pulchra es virgo	64
Totus mundus hilarescat. . . .	65
Trinitati decantate	241
Urbis novae Hierusalem	207
Vale aula virginalis.	127
Vale pura pariens.	128
Vale sancta peccatorum	129
Vale stirps Davidica	129
Vale vellus Gedeonis	67
Vale virgo vas pudoris	130
Vale virgo virginum	131
Vas decoris et honoris	91
Veneretur unitas | Collaudetur .	227
Veni iudex gentium.	57
Veni mater deica	90
Verbum bonum eructavit. . . .	228
Verus homo verus Deus	90
Victimae paschali laudes | Christo	27
Victimas reddamus laudes . . .	232
Viduae virtuti canat.	182
Virga Iesse generosa	132
Virgo devota cunctis	176
Virgo peramabilis.	132
Virgulae florentis laudes . . .	133
Vitae princeps principe	196
Vocem iucunditatis	264
Vocis sono dulci tono	296
Voci vita sit unita	51
Vox iucunda cum favore . . .	47
Vox sponsae sponsum	173

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXV.

PSALTERIA RHYTHMICA.

Gereimte Psalterien

des

Mittelalters.

Erste Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1900.

PSALTERIA RHYTHMICA.

Gereimte Psalterien

des

Mittelalters.

Erste Folge.

Aus

Handschriften und Frühdrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1900.

VORWORT.

Mit dem Worte Psalterium bezeichnet die Hymnologie eine Art geistlicher für die Privatandacht bestimmter Lieder, deren Wesen darin liegt, dafs sie, wie das Buch der Psalmen aus 150 Psalmen, aus 150 Strophen bestehen. Ursprünglich ward an ein Psalterium noch die weitere Anforderung gestellt, dafs jede Strophe desselben eine nähere oder entferntere, geistreiche oder weniger geistreiche Anspielung auf den entsprechenden Psalm enthalte. In den Werken des hl. Bonaventura, Venedig 1756, XIII, 362 wird dies in der Vorbemerkung zu dem Psalterium minus desselben also ausgedrückt: „Opusculum hoc psalterium minus beatae Mariae virginis praenotatur, quia quilibet quaternarius rhythmicus aliquid continet ad imitationem psalmorum Davidis in ordine, ita ut primus quaternarius versuum aliquid primi psalmi redoleat, secundus aliquid secundi et sic de singulis." Auch die rhythmischen Vorreden zu einzelnen Psalterien machen auf diesen inneren Zusammenhang bisweilen aufmerksam; z. B.

Qui prudenter operis huius vim perpendit
Et eius materiam, unde sit, attendit,
Si per psalmos singulos ordine descendit,
Totam de psalterio summam deprehendit.

Ähnlich ein Prologus zu dem Psalter *Ave, virgo virginum, per quam vir beatus:*

Hanc ad nostri psalmistae gloriam
Administrat psalmus materiam,
Christi matrem Davidque filiam
Ad salutis salutans gratiam.

Das Schlufswort eines anderen Psalters redet von 150 Ave (jede Strophe beginnt mit diesem Grufsworte), „quae de psalmis defloravi". Diese Anspielungen sind bald nähere, greifbarere und detailliertere, bald ferner liegende, nur schwach angedeutete und deshalb oft der Beobachtung sich entziehende. Sie sind vielfach deutlich in der einen, sehr verschwommen in einer anderen Strophe. So liegt, wenn ein Psalterium dieser Sammlung in der 1. Strophe schreibt:

Ave, porta paradisi,
Lignum vitae, quod amisi,
Per te mihi iam dulcescit
Et salutis fructus crescit,

die ganze Anspielung in dem Worte Lignum; vgl. Ps. 1, 3: Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Wenn in dem Psalter Anselms von Canterbury Str. 1 lautet:

Ave mater advocati,
Qui beatus consilio
Aula ventris incorrupti
Processit ut ex thalamo,

so zielt die Anspielung auf Ps. 1, 1: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Wenn die gleiche Strophe in dem Psalter Edmunds von Canterbury beginnt:

Ave, virgo, lignum mite,
Quae dedisti fructum vitae
Saluti fidelium,

so deutet das auf Ps. 1, 3: Et erit tamquam lignum . . . quod fructum dabit in tempore suo. Ausgeführter erscheint die Beziehung zwischen Vers und Psalm z. B. im Psalter XIV:

Ave, virgo virginum, ave, via morum,
Edidisti filium, vitam mortuorum,
Qui non in consilium abiit impiorum,
Is per te subsidium conferat beatorum.

Von dieser ursprünglichen Idee, derzufolge auch der Inhalt mit dem der Psalmen einige Berührungspunkte aufweisen sollte, gingen indes die späteren Dichter vielfältig ab, und es entstanden s. g. Psalterien, deren ganze Beziehung zum Buche der Psalmen lediglich in der Anzahl der Strophen bestand. So enthalten z. B. die beiden Psalterien Engelberts von Admont keinerlei Anspielungen auf den Inhalt der Psalmen. Die 150 Strophen teilte man in drei Quinquagenen ein, die auch zuweilen als Rosarien (Gedichte von 50 Strophen) bezeichnet werden, wie umgekehrt drei Rosarien (marianische Rosenkränze) noch heute „Psalter“ genannt werden, ebenfalls nur der 150 Ave wegen.

Der Gebrauch der gereimten Psalterien war ein mehrfacher. Sie wurden gebetet und gesungen, da manche eine Melodie bei sich haben oder auf bekannte Melodien gedichtet sind. Wurden dieselben gebetet, so beschränkte sich der Andächtige entweder auf das Hersagen des Gedichtes, oder er begleitete jede Strophe mit einem Ave Maria, oder endlich er betete sämtliche Psalmen, so aber, dafs jedem derselben eine Strophe des Gedichtes gleichsam als Antiphon vorhergeschickt ward. Letztere Art wurde wohl auch von mehreren Klerikern gemeinsam ausgeführt, wenn, wie nicht selten geschah, durch eine fromme Stiftung verordnet wurde, dafs an bestimmten Tagen für einen oder mehrere Verstorbene der ganze Psalter in besagter Weise gebetet oder gesungen werden sollte. Für die Beliebtheit der Andacht spricht

am meisten die Zahl der noch vorhandenen Psalterien sowie das häufige Vorkommen der beliebteren unter ihnen in so zahlreichen Handschriften.

Die meisten dieser Psalterien sind, wie Mone II, 245 bemerkt, noch ungedruckt. Gedruckt sind das Anselms von Canterbury (Migne PP. LL 158, 1038 ff); das Bonaventura zugeschriebene (Opp. XIII. 362 ff.); das Psalterium de passione Domini oder Granum passionis (Milchsack, Hymni et Sequentiae S. 65 ff.); das Psalterium Ave lignum excelsum gloriae (Ragey, Hymnarium Quotidianum p. 339 ff.). Auch hier gelangen wohl die meisten, namentlich die gebräuchlicheren und besseren, nicht aber schlechthin jedes Psalterium zum Abdrucke. So enthält Cod. Londinen. Reg. 2 A IX saec. 13. an erster Stelle ein Psalterium de Spiritu Sancto, von dessen Wiedergabe ich leider absehen mufste, da die Handschrift so morsch und zerfressen ist, dafs nur traurige Bruchstücke zu retten gewesen wären. Das Prooemium des Psalters ist völlig vermorscht; dieses selbst beginnt mit den Worten:

Veni, sancte spiritus patris filiique,
Ab utroque pro[diens et] compar utrique,
Da virum induere beatum sequique
Hominem, quem induit Deus . . . . . .

Hierauf folgt das Psalterium „Ave virgo, virginum, parens absque pari", dann ein längeres Gedicht über das Kreuz, das kein Psalter zu sein scheint, da das corpus nur 116 Strophen zählt. Die Einleitung beginnt:

Ad salutiferae crucis signaculum
Divino munere salvantis saeculum
Iugis sit opere dulce spectaculum
Manus attollere et mentis oculum.

Das Gedicht selbst beginnt mit folgender Strophe:

Ante luciferum a patre genitus,
Labores pauperum pensans et gemitus,
Sol, auctor siderum, nobis est editus,
In fine temporum nascens humanitus.

Auch dies Gedicht ist zerfressen. Auf dasselbe folgt an vierter Stelle das unter Nr. I mitgeteilte Psalterium sanctae crucis, dann von anderer Hand verschiedene religiöse Gedichte.

Ein weiteres Psalterium Marianum enthält Cod. 55. der Jagellonischen Bibliothek in Krakau, saec. 15; ich fand es wieder in einem geschriebenen Gebetbuche der Utrechter Karthause „Domus Novae Lucis", vom Jahre 1477, Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375. Dies Psalterium ist von so unbesorgter Form, dafs es zwischen Reimprosa und Poesie die Mitte hält, weshalb ich von einer Wiedergabe desselben glaubte absehen zu dürfen. Es beginnt:

Ave, beatissima origo conditoris,
Virgo fecundissima, praelata caeli thronis.

Ave, quae ut cedrus excrevisti,
Quando Deum ex te genuisti.[1])

Ave dies laetitiae,
Virtutis et iustitiae.[2])

Ave, decus pudicitiae,
Fons verae sapientiae.

Ave, dulcoris
Vas et honoris etc.

Was die Verfasser dieser Psalterien angeht, so sind die Angaben der Handschriften in einigen Fällen als unrichtig erkennbar, so, wenn Augustin, Hieronymus, Bernhard als Autoren genannt werden; in anderen Fällen ist der handschriftlichen Angabe unbedingt zu trauen, so bei den Psalterien des Hieronymus von Monsee, des Guilliaume de Deguileville u. a.; eine dritte Klasse von Angaben erregt einen gewissen Zweifel, ohne dafs es für den Augenblick möglich wäre, denselben, sei es als berechtigt nachzuweisen, sei es als unberechtigt abzufertigen.

Dem Kenner der lateinischen Dichtung des Mittelalters wird nicht entgehen, dafs einige unter diesen Psalterien nach Inhalt und Form mit zu den besten poetischen Erzeugnissen jener Zeit gehören. Um so mehr bedauere ich, dafs ich aus Mangel an Zeit nicht alle Handschriften zu vergleichen vermochte, in denen ich den verbreiteteren Psalterien begegnet bin. Doch ist, wie ich glaube, stets eine hinreichende Anzahl verglichen worden. Anfänglich war es meine Absicht, bei den inhaltlich an die Psalmen Bezug nehmenden Psalterien zu jeder Strophe die entsprechenden Psalmverse zu notieren. Da aber die Lesarten schon ungewöhnlich viel Raum beanspruchen, mufste ich hiervon Abstand nehmen. Übrigens bezeichnet bei regelmäfsig gebauten Psalterien die Ordnungszahl der Strophen stets auch den ihr entsprechenden Psalm, wenn man in der zweiten Quinquagene 50, in der dritten 100 hinzudenkt, wodurch ein sofortiges Auffinden der Parallelstellen ermöglicht ist.

Wien, den 9. März 1900.

Guido Maria Dreves.

[1]) Quando Deum verum ex te genuisti (Ultraj.); Quando Deum peperisti (Cracovien.). — [2]) Virtusque iustitiae (Ultraj.).

PSALTERIA RHYTHMICA.

SERIES PRIOR.

I. Psalterium sanctae Crucis.

Prologus.

1. Digni regis
digna militia
Dignae laudis
est digna gloria,
Digne laudent
signa regalia,
Qui signantur
regis victoria.

2. Crux est signum
regis iustitiae,
Signum pacis,
signum victoriae,
In hoc signo
sub servi specie
Vicit Christus
hostem nequitiae.

3. Dulce lignum
dulci praeconio
Dulcis laudis
laudet devotio,
Sono vocis
concordet actio,
Deo placet
talis laudatio.

4. Palmam Christi
qui pensant saepius,
Signum crucis
laudant libentius,
In hoc signo
triumphat filius,
Pater mundum
salvat propitius.

5. Laudis crucis
lata materia,
Late latent
crucis mysteria,
Scire cuncta
crucis praeconia
Nulla potest
mentis memoria.

6. Pauca libet
de multis dicere,
Agro pleno
spicas colligere,
Meas vires
liquet excedere
Plene laudes
crucis disserere.

7. Agrum plenum
voco psalterium,
Plene pandens
crucis mysterium,
Disce sensum
psalmorum omnium,
Cuncti pandunt
crucis praeconium.

8. Servis crucis
scio dulcescere
Laudes crucis
in psalmis noscere,
Tali causa
praesumo temere
Laudi crucis
psalmos convertere.

9. Plane patet
mea praesumptio,
Supra vires
opus incipio,
Opus parvo
dispar ingenio
Laudes dare
crucis mysterio.

10. Ut praesumat
mea temeritas,
Me compellit
fraterna caritas,
Cum peccantem
urget necessitas,
Culpae minor
erit iniquitas.

11. Rivus fluens
de vena paupere
Horto pingui
solet influere,
Sermo manans
arenti pectore
Doctis viris
potest proficere.

12. Carmen breve
de sensu tenui
Crucis laudi
pauper composui,
Herbis horti
prodest irrigui
Pauper rivus
fontis exigui.

13. Dives donis,
largus in munere
Parvum munus
sumat de paupere,
Mundum signans
crucis caractere
Carmen crucis
velit respicere.

Prima Quinquagena.

1. Ave salutiferum
sanctae crucis lignum,
Contra pomum noxium
fructum ferens dignum.
Per tuum mysterium
et per crucis signum
Hostem procul arceat
Dominus malignum.

2. Ave, crux, victoria,
regis saeculorum,
Contra quem convenerant
reges Iudaeorum,
Regum rex et dominus
omnium regnorum
Nos a iugo liberet
regum iniquorum.

3. Ave, crux, qua moriens
Dominus dormivit,
Qui signatum lapide
sepulcrum exivit,
Membra donet subsequi,
quo caput praecivit,
Qui surgens a mortuis
in caelum abivit.

4. Ave, signum typico
tau praesignatum,
Lumen vultus Domini
super nos signatum,
Qui ferunt in frontibus
signum tam sacratum,
Lumen ferant fidei
cordibus collatum.

5. Ave, crux, quam sanguine
tinxit salutari,
Quem docemur sanguinem
virum detestari,
Nos a viris sanguinum
nolit inquinari,
Qui nos suo sanguine
voluit salvari.

6. Ave, per quam Domini
furor est placatus,
Cum pro nobis innocens
agnus est oblatus,
Ne rursum nos arguat
ira conturbatus,
Gemitus et lacrimae
diluant reatus.

7. Ave, per quam fortior
fortem superavit,
Vita mortis principem
morte triumphavit,
Salvet nos a gladio
suo, qui vibravit,
Qui tetendit hostibus
arcum et paravit.

8. Ave, per quam Christus est
caelis elevatus,
Paululum ab angelis
terris minoratus,
In caelestis gloriae
sede coronatus,
Nostrae sit miseriae
per te miseratus.

9. Ave, qua iudicium
nostrum iudicare,
Nostram causam veniet
Christus ventilare,
Per te causas hominum
velit allegare
Iudex, qui iudicium
habet promulgare.

10. Ave, crux, qua moriens
de mundo migravit
Verus passer, hominum
qui lepram purgavit,
Qui pro lepra passerem
offerri mandavit,
Nos a lepra liberet,
quae mentem foedavit.

11. Ave, salus populi,
lignum sanctitatis,
Insignita lumine
verae claritatis,
Per te salvi videant
lumen veritatis,
Qui sunt in circuitu
rotae vanitatis.

12. Ave, qua succubuit
praedo depraedatus,
Inimicus amplius
non est exaltatus,
Per te mentis oculus
sit illuminatus
Nec in mortis dormiat
tenebris caecatus.

13. Ave, crux sanctissimo
sanguine respersa,
Quem sparsit in posteros
Iudaea perversa,
Signo sui sceleris
per orbem dispersa
Per te sit captivitas
Israel aversa.

14. Ave, tabernaculi
mysticum altare,
In quo fuit hostia
nostrum salutare,
Pontifex et hostia
sanctae factus arae
Suo tabernaculo
nos det habitare.

15. Ave, cuius titulum
scimus immutatum,
Ut credamus stabilem
Christi principatum,
In te bibens Dominus
calicem murratum
Nostrum cor in Domino
faciat laetatum.

16. Ave, cuius summitas
ad caelum ascendit,
Profundum ad inferos
deorsum descendet,
Orantes exaudiat,
qui in te pependit,
Qui summa cum infimis
cruce comprehendit.

17. Ave, qua circumdatus
dolis dolosorum
Dolori condoluit
Christus mortuorum,
Nos a causis liberet
penitus dolorum,
Volans super Cherubim
et pennas ventorum.

18. Ave, per quam geminus
gigas fecit cursum,
De summis ad infima
faciens excursum,
Recurrens ab inferis
ad superna rursum,
Sui cursus socios
secum vehat sursum.

19. Ave, sacerdotii
finis figuralis,
In qua finem ceperat
unctio regalis,
Per te rex et pontifex
Christus aeternalis
Regum et pontificum
salus sit finalis.

20. Ave, quae dominicae
mortis passione
Divinae nos inseris
lapides coronae,
Ab ardentis clibani
servans ustione
Sua nos glorificet
Christus visione.

21. Ave, crux, qua singulis
membris cruciatus
Christus tulit omnium
membrorum reatus,
Flagris, sputis, colaphis,
clavis vulneratus
Cuncta curet vulnera
nostri cogitatus.

22. Ave, virga noxium
perimens serpentem,
Baculus, quo transiit
Israel torrentem,
Virga sis et baculus
omnem regens gentem,
Virga regat debilem
baculus potentem.

23. Ave, nostri gaudii
porta triumphalis,
Per quam sera tollitur
portae gehennalis,
Per te nobis aditum
pandat aeternalis,
Plaga facta Domini
latere letalis.

24. Ave, qua sustinuit
carnales defectus,
In carne qui similis
nobis est effectus,
Legem delinquentibus
dulcis det et rectus,
Quae delicta diluat,
dirigat affectus.

25. Ave, per quam innocens
caelis est regressus,
Innocenter uterum
virginis ingressus,
Innocens nocentium
superans congressus,
Nobis innocentiae
tribuat progressus.

26. Ave, signum gloriae,
signum lucis verae,
In quo bona Domini
credimus videre,
Qui per crucem docuit
hostem non timere,
In terra viventium
nobis det gaudere.

27. Ave, cuius brachiis
Christus est extensus,
Patri preces offerens
in cruce suspensus,
Nos a lacu liberet
poenalis descensus,
Cuius iam refloruit
nobilis ascensus.

28. Ave, per quam vitulus
passus pascualis
Patris tenet solium
patri coaequalis,
Nostris sit propitius
et misertus malis,
Quem figurat vitulus
Libani legalis.

29. Ave, de qua gaudium
matutinum fluxit,
Cum Christus ab inferis
mortuos eduxit,
Nos ducat ad gaudium,
quo suos perduxit,
Scindens saccum corporis,
sibi quem obduxit.

30. Ave, crux, qua natio
Dominum derisit,
Quae Christum occiderat,
Barrabam dimisit,
In te suum spiritum
patri qui commisit,
Nobis mittat spiritum,
quem de caelo misit.

31. Ave, delinquentium
dulcis medicina,
Qua delicta diluit
pietas divina,
Per te paenitentiae
sanet virtus trina,
Quos configit animi
vulnerati spina.

32. Ave, cuius laudibus
iustos exaltare,
Cuius decet gloriam
rectos collaudare,
Per te carnis citharam
recte det sonare,
Qui cordis psalterium
sibi vult cantare.

33. Ave, benedictio
nostri redemptoris,
In qua benedicitur
universis horis,
Nos, qui benedicimur
signo crucis foris,
Intus gustus satiet
divini dulcoris.

34. Ave, nostrae fidei
singulare scutum,
Quo munitur fragile
nostrae carnis lutum,
Passus clavos, lanceam,
fel, acetum, sputum
Per te salvet hominem
ope destitutum.

35. Ave, de qua profluit
ubertas torrentis,
Qui dat efficaciam
cunctis sacramentis,
Per te nos inebriet
fons aquae viventis,
Qui salvabit homines
una cum iumentis.

36. Ave, signum removens
gladium nocentem,
Gladium versatilem,
gladium ardentem,
Qui removit Cherubim
gladium tenentem,
Gladium removeat
pauperes laedentem.

37. Ave, per quam Domini
servi vim fecerunt,
Amici cum proximis
de longe steterunt
Cicatrices carnium,
si quae putruerunt,
Curet, quem increduli
cruci confixerunt.

38. Ave, lignum unicum
placens salvatori,
Quo nostro succurrere
voluit languori,
Discretam custodiam
nostro ponat ori,
Qui tacens et patiens
in te venit mori.

39. Ave, per quam credimus
legem consummari,
Literam in spiritum
plene commutari,
Spiritali cantico
nos det innovari
Holocausto pecorum
nolens plus placari.

40. Ave, quam in umeris
suis Christus vexit,
Quibus dragmam decimam
ad novem revexit,
Nos vehat, quo pauperem
egenum evexit,
Qui per Iudam traditus
de morte surrexit.

41. Ave, quinque fontium
rivis decorata,
Quinque Christi vulnerum
sanguine sacrata,
Aquis horum fontium
nostra mens potata
Caritate sitiat
Christi vulnerata.

42. Ave, cuius hostiam
credimus venire
Sacerdotis precibus
in altare mire,
Quos altari Dominus
suo vult servire,
Ad altare gloriae
donet introire.

43. Ave, liberatio
populi credentis,
Non arcu vel gladio
suo confidentis,
Quos adhuc afflictio
premit pravae gentis,
Per te salvet dextera
Christi resurgentis.

44. Ave, per quam vestis est
sponsi redimita,
Murra, gutta, cassia
satis insignita,
Sponsa quoque vestibus
variis vestita
Domum, patrem, populum
per te sit oblita.

45. Ave, per quam impetus
duplicis liquoris
Effluxit de latere
nostri salvatoris,
Virtus aquae diluat
sordes peccatoris,
Sanctitatem conferat
sanctitas cruoris.

46. Ave, cuius brachiis
humilis pependit,
Qui virtutis brachium
longius extendit,
Qui salutem omnibus
gentibus impendit,
Nobis det ascendere
caelum, quod ascendit.

47. Ave, propugnaculum
sanctae civitatis,
Quam fundavit pietas
summae maiestatis,
Loco nos suscipiat
verae voluptatis
Susceptus in medio
nostrae vilitatis.

48. Ave, Deo pretium
solvens animarum,
Quas horrendus tenuit
locus tenebrarum,
Iugis meditatio
talium poenarum
Nos trahat ab ambitu
rerum terrenarum.

49. Ave, finis finiens
legis vetustatem,
Novae nobis conferens
vitae novitatem,
Nostrae laudis organo
donet puritatem,
Qui plus laude diligit
puram voluntatem.

50. Ave, miseratio
vera miserorum,
Qua fuit miseriae
misertus malorum,
Nos a multitudine
mundet vitiorum
Mundum mundans sanguine
vulnerum suorum.

Secunda Quinquagena.

1. Dulce lignum, laude dignum,
Digna ferens pondera,
In qua Christi plaga tristi
Sunt confixa viscera,
Sic arescat et senescat
Per te vetus hedera,
Ut sit homo Dei domo
Oliva fructifera.

2. Dulce lignum summi ducis,
Qui nobis compatiens
Ad crudelem mortem crucis
Factus est oboediens,
Per te lumen verae lucis
Cognoscat insipiens,
Ne confidens in caducis
Deum sit despiciens.

3. Dulce lignum crucis, vale,
Tinctum Christi sanguine,
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine,
Per hoc lignum tam condignum
Salvos nos fac, Domine,
Qui salvamur et signamur
Tuo sancto nomine.

4. Dulce lignum, de quo signum
Tribuit clementiae
Sero captus, mane tractus,
Passus in meridie,
Nos signatos et pennatos
Donis suae gratiae
Det volare, quo pausare
Possimus in requie.

5. Dulce lignum, quo calcavit
Torcular rex omnium
Et calcando torculavit
Fastum conculcantium,
Quos infestant et molestant
Mala persequentium,
Christo duce frui luce
Contingat viventium.

6. Dulce lignum, quo misertus
Deus suo populo
Poenam crucis est expertus,
Resurgens diluculo,
Super caelos exaltatus
De crucis patibulo
Nos a duri cruciatus
Liberet periculo.

7. Dulce lignum, quod sacravit
Iustus iudex omnium,
Poenam crucis qui mutavit
In vitae mysterium,
Per te dare vel dictare
Rectum det iudicium,
Ne perenne nos gehennae
Contingat supplicium.

8. Dulce lignum, quo malignum
Hostem Deus domuit,
Insurgentes et nocentes
Inimicos terruit,
Nostrum cursum ducat sursum,
Quo praeire voluit,
Qui de portis dirae mortis
Hominem eripuit.

9. Dulce lignum, quod dulcescit
Idumeae finibus,
Cum per fidem innotescit
Virtus crucis gentibus,
Innotescit et dulcescit
Per te Christus omnibus,
Ut evulsos et repulsos
Caeli reddat sedibus.

10. Dulce lignum, quo firmatur
Fidei soliditas,
Super petram solidatur
Spei nostrae firmitas,
Sic nos firmet et confirmet
Fides, spes et caritas,
Ut timenti detur genti
Caelestis hereditas.

11. Dulce lignum, quo benignum
Scimus passum gravia,
Ut subiecti sint perfecti
Christi patientia,
Cum nos turbat vel conturbat
Mundana malitia,
Sic regatur, ne frangatur
Depulsa maceria.

12. Dulce lignum, quod dulcorem
Fonti Marath tribuit,
In deserto dans liquorem,
Ubi liquor defuit,
Nostrae menti det saporem,
Qui crucem sustinuit,
Et sitire sacrum rorem,
Qui de cruce profluit.

13. Dulce lignum, quo damnavit
Christum prava natio,
Innocentem sagittavit
Linguae suae gladio,
Per te luant atque ruant
Scrutantes scrutinio,
Ut salvemur et laetemur
Vindicem supplicio.

14. Dulce lignum, cuius hymnum
Decet Sion canere,
Quam exemit et redemit
Christus crucis munere,
Nobis natis consignatis
Sion matris libere
In aeternum det supernum
Deus votum reddere.

15. Dulce lignum, per quod signum
Divini patibuli
Et honorant et adorant
Omnes terrae populi,
Per virtutem et salutem
Tam sancti signaculi
Caeli numen nobis flumen
Det transire saeculi.

16. Dulce lignum, cuius signum
Nostro vultu gerimus,
Qui per crucem veram lucem
Vultus Dei novimus,
Cuius cultu pio vultu
Laxet, quod deliquimus,
Qui nos signo signat digno
Sanctorum sanctissimus.

17. Dulce lignum, quo destruxit
Victi victor atria
Et in caelum scandens duxit
Secum capta spolia,
Segregata nobis data
Per te verbi pluvia
Epulemur et laetemur
Perenni laetitia.

18. Dulce lignum, quo solvebat
Christus, quae non rapuit,
Morti crucis se tradebat,
Qui nil morti debuit,
Pro peccatis passus gratis,
Quae pati non meruit,
A terreno salvet caeno,
Quos mundus absorbuit.

19. Dulce lignum, quo levamen
Caelestis auxilii
Dat, qui gratis ad gravamen
Ductus est supplicii,
Cum nos trahunt ad certamen
Graves adversarii,
Da festinum adiuvamen,
Deus adiutorii.

20. Dulce lignum, senectutis
Succurrens in tempore,
A vetustae servitutis
Mundum salvans foenore,
Cum senectus et defectus
Concurrunt in corpore,
Iuventutis et virtutis
Firma mentem robore.

21. Dulce lignum, quo potentem
Potenter humiliat,
Qui mendicum et egentem
A potente spoliat,
Ex usuris et pressuris
Nos omnes eripiat,
Ut egentes et potentes
Deus salvos faciat.

22. Dulce lignum, quo benignum
Occidit gens misera,
Bonus Deus quasi reus
Luit nostra scelera,
Ne zelemus vel amemus
Pravae pacis prospera,
Mens intenta tam cruenta
Penset Christi vulnera.

23. Dulce lignum, quo pacatur
Patris indignatio,
Cum pastore reformatur
Ovis agni pretio,
Qui salutem operatur
In terrarum medio,
Ovem salvet, quae vagatur
In hoc orbis invio.

24. Dulce lignum, merum dignum,
Mundum donans finibus
Orientis, occidentis
Et desertis montibus,
Per te meri dans sinceri
Calicem hominibus,
Nos a faece sua nece
Servet et a sordibus.

25. Dulce lignum, quo devotus
Duros hostes domuit,
Qui Iudaea Deus notus
Magnum nomen habuit,
Morientem et surgentem,
Quem terra contremuit
Det implere, quod vovere
Deus nos edocuit.

26. Dulce lignum, quo virtutem
Suam notam fecerat,
Qui captivos ad salutem
Per crucem redemerat,
Cum antiquis inimicis
Nos in corde vulnerat
Et virtutem et salutem
Deus nobis conferat.

27. Dulce lignum dulcoratum
Corpore dominico,
Dulcem nobis dans ducatum
In deserto mystico,
Qui nos mari naufragari
Voluit Aegyptico,
Nobis sane frui pane
Concedat angelico.

28. Dulce lignum, quo pependit
Dulcis Dei filius,
Se pro nobis cum impendit
Peccatis propitius,
Nostras mentes polluentes
Gentes pellat longius
Nec culparum antiquarum
Recordetur amplius.

29. Dulce lignum, quo plantavit
Veram Deus vineam,
Suae vitis cum potavit
Potionem felleam,
Botrus vitis poenam sitis
Perpessus spontaneam
Vera vitae nobis vite
Sitim det idoneam.

30. Dulce lignum, quo suorum
Fratrum ira venditus,
Verus Ioseph tormentorum
Poena est expositus,
Cum nos premit cophinorum
Onus sive servitus,
Libertatem det caelorum
Ioseph liber redditus.

31. Dulce lignum, in quo deos
Deus sic diiudicat,
Quod virtute mira reos
Homines deificat,
Quibus nomen et virtutem
Nominis communicat,
Suae lucis det salutem,
Qua suos glorificat.

32. Dulce lignum, cuius signum
Dei patrimonium
Ab insultu et consultu
Servat malignantium,
In malignis gravis ignis
Cum furet incendium,
Nos vindictae tam districtae
Non tangat iudicium.

33. Dulce lignum, quo dilecta
Dei tabernacula
Pandit Christus in erecta
Pandens crucis specula,
Sint amota per te tota
Peccati repagula,
Ut sit homo Dei domo
Beatus in saecula.

34. Dulce lignum, de quo datur
Nova benedictio,
Et antiquae relevatur
Culpae maledictio,
Quibus pater mitigatur
Mediante filio,
Omnis culpa remittatur
Crucis beneficio.

35. Dulce lignum lonae signum
Implens evidentius,
Cum exivit, qua dormivit,
Tumba Dei filius,
Dormiendo qui praedavit
Inferna inferius,
Exeundo quo volavit,
Nos ducat superius.

36. Dulce lignum, quo salvavit
Raab filo rubeo,
Qui gentiles liberavit
Sanguine purpureo,
Civitatem, quam fundavit
Deus in empyreo,
Donet illis, quos signavit
Signo crucis roseo.

37. Dulce lignum, quo trahebat
Ad se Deus omnia,
Quando manus extendebat
Super crucis brachia,
Qui remotis suis votis
Probra tulit vilia,
Det pensare, quam amare
Luit nostra vitia.

38. Dulce lignum, quo letali
Cruciatus vulnere
Se cum suis infernali
Duxit Deus carcere,
Qui resurgens de poenali
Liber vivit funere,
Nos castiget filiali
Virgae suae verbere.

39. Dulce lignum, quo splendorem
Dei nostri sumpsimus,
Qui per iram et furorem
Illius defecimus,
Per dolorem et laborem
Mundi cum marcescimus,
Det vigorem et virorem
Aeternum altissimus.

40. Dulce lignum, cuius signum
Nobis est defensio,
Cum diurna vel nocturna
Nos gravat temptatio,
Ne patenti vel latenti
Laedamur daemonio,
Et leonem et draconem
Liget Christi passio.

41. Dulce lignum, quo credentes
Plaudunt domo Domini,
Confitentes et psallentes
Eius sancto nomini,
Palmae flores largiatur
Per te Deus homini,
Ut per mores conferatur
Cedri celsitudini.

42. Dulce lignum, deformatam
Reformans imaginem,
Cum indutus est beatam
Christus fortitudinem,
Suam nobis renovatam
Det similitudinem,
Cuius regnum ampliatam
Habet longitudinem.

43. Dulce lignum, passionem
Quo tulit spontaneam,
Qui superbis ultionem
Duram fovit foveam,
Cum nocentem et arentem
Disperdis ficulneam,
Tuum granum serva sanum,
Deus, inter paleam.

44. Dulce lignum, in quo vilem
Mortis passus speciem
Magnus Deus in hostilem
Dimicavit aciem,
Sic praeire nobis irae
Suae donet faciem,
Ut nos ducat et perducat
Ad aeternam requiem.

45. Dulce lignum, quo regnare
Regi regum placuit
Et silvarum exaltare
Ligna ligno valuit,
Qui silvestres et terrestres
Ligno crucis eruit,
Det per lignum regnum dignum,
Quod in ligno meruit.

46. Dulce lignum, quo salvator
Vincit, regnat, imperat,
Christe, mortis triumphator,
Mortem morte superat,
Quem commota terra tota
Morientem senserat,
Sua morte rectis corde
Veram lucem conferat.

47. Dulce lignum, in quo dignum
Flagellatur triticum,
Dulcis Iesus, flagris caesus
Nostrum fit viaticum,
Resonemus et cantemus
Novum ei canticum,
Qui nos fecit et refecit
Per caelum mirificum.

48. Dulce lignum, quo potentis
Christi patet gloria,
Suum regnum extendentis
Ad caeli confinia,
Potestatem honoremus
Deitatis latria,
Ut scabellum adoremus
Carnis suae dulia.

49. Dulce lignum, cuius hymnum
Caeli canunt atrio,
Quos locavit et beavit
Suo Deus gaudio,
Per te data duplicata
Nobis sit confessio,
Ut portarum aeternarum
Patens sit ingressio.

50. Dulce lignum matutinum
Nobis dans laetitiae,
Quando Christus mane sinum
Surgens pandit gloriae,
Neve crescant et senescant
Hostes innocentiae,
Neca mane, quidquid sanae
Nocet conscientiae.

Tertia Quinquagena.

1. Salve, crux, pelicanus
per quam cruentatur,
Moritur nycticorax,
passer elevatur,
Qui per aves singulas
recte figuratur,
Christus nos exaudiat,
cum mens tribulatur.

2. Salve, crux, qua spinea
lusus est corona
Mortem morte redimens
Christus hora nona,
Qui coronae contulit
digne nobis dona,
Deum semper anima
benedicat prona.

3. Salve, crux, qua luminis
vestiens decorem
Suum sol subtraxerat
occidens splendorem,
Per occasum vestiens
lucem clariorem
Verum sol iustitiae
nobis det fulgorem.

4. Salve, crux, qua filii
Iacob liberantur,
Cum decem Aegyptii
plagis cruciantur,
Qui per crucem spoliis
Aegypti dotantur,
Per eandem gloriae
terram sortiantur.

5. Salve, crux, quae liberat
nos in rubro mari,
Qui rubente sanguine
facit nos salvari,
Qui baptismum rubricat
cruce salutari,
In te nostris vitiis
donet naufragari.

6. Salve, crux, in quattuor
partibus elata,
Qua sunt mundi climata
quattuor salvata,
Per te sit necessitas
quadruplex sanata,
Anima virtutibus
quattuor quadrata.

7. Salve, crux, qua Dominus
nostri miseratus
Probra pati vilia
mortis est paratus,
Resurgens diluculo,
caelis exaltatus,
In mortis articulo
nobis sit placatus.

8. Salve, crux, qua calicem
bibit passionis
Detractorum odium
sustinens pro bonis
Linguas, quas coinquinat
fel detractionis,
Per te sanet puritas
fidelis sermonis.

9. Salve, crux, qua meruit
caput exaltare,
Qui torrentem voluit
mortis praegustare,
Quem in patris dextera
credimus regnare,
Membra velit capiti
suo sociare.

10. Salve, crux, timentibus
escam dans sacratam,
Carnem Christi cornibus
crucis immolatam,
Qui donat credentibus
escam tam beatam,
Illam det edentibus
mentem timoratam.

11. Salve, crux, qua timuit
calicem poenalem
Christus, docens hominem
fore se mortalem,
Qui timori spiritus
subdidit carnalem,
Timorem timentibus
donet spiritalem.

12. Salve, crux, qua pueri
calvum irrisere,
Iudaei Calvaria
Christum occidere,
Per te laudent Dominum
pueri, qui vere
Puritatis gratiam
puram meruere.

13. Salve, crux, quae laticem
de petra deduxit,
Quando Deus Israel
ab Aegypto duxit,
Nos ducat, quo mysticum
Israel perduxit,
Qui de suo latere
veniam produxit.

14. Salve, crux, qua vinculis
mortis et dolorum
Christus in periculis
fuit inferorum,
Conversus ad requiem
in fine laborum
Det quietem placidam
in regno caelorum.

15. Salve, crux, quae mystico
prelo torcularis
Imples Christi sanguine
calicem altaris,
Calix quos inebriat
vini singularis,
Salvi sint in calice
summi salutaris.

16. Salve crux, quam populi
gentesque laudare,
Iudaei cum gentibus
gaudent adorare,
Quos in cruce veritas
voluit vocare,
Per misericordiam
velit confirmare.

17. Salve, crux, quae lapide
Christo angulari
Diversos parietes
fide iungis pari,
Lapis se spontanee
passus reprobari
Nos caelesti inserat
lapides altari.

18. Salve, crux, qua sabbati
ritus sunt deleti,
Legis septenarii
veteris impleti,
Quotquot octonarios
psallunt alphabeti,
Octavam surgentium
cernant per te laeti.

19. Salve, crux, ascensio
gloriosa caeli,
Scala, quam monstraverat
Deus Israeli,
Tuos gradus scandere
passu det fideli,
Per quem cantum graduum
dulcis cantant meli.

20. Salve, crux, protectio
mundi singularis,
Diem nube protegens,
noctem signis claris,
Per diem prosperitas
non urat solaris,
Nocte nec adversitas
nos laedat lunaris.

21. Salve, crux in atriis
Summae civitatis,
Ima summis foederans
pace caritatis,
Per te servent pectore
pacem unitatis,
Quibus tandem dabitur
pax aeternitatis.

22. Salve, crux, qua veniens
miseris mederi
Caligavit oculis
luminis lux veri,
Sese puros oculos
donet intueri,
Donec Christus miseris
velit misereri.

23. Salve, crux, qua voluit
passer immolari,
Passer, in quo creditur
Christus figurari,
Animam, quam passeri
scimus comparari,
Laqueos venantium
non sinat praedari.

24. Salve, crux, prodigia
faciens signorum,
Virga virgam noxiam
devorans magorum,
A iustis amoveat
virgam peccatorum
Virga crucis moriens
Christus, rex caelorum.

25. Salve, crux, qua militans
Sion liberatur,
Triumphans ecclesia
plene gloriatur,
Semen, quod cum lacrimis
via seminatur,
Per crucem in gaudio
patriae metatur.

26. Salve, crux viaticum
veri dans dulcoris,
Pane frui caelico
pro pane doloris,
Panis nos perpetui
satiet dulcoris,
Cum dilectis dabitur
requies soporis.

27. Salve, crux, qua mystica
vitis sic abundat,
Quod olivam mysticis
fructibus fecundat,
Per te Christus saucios
vino vitis pungat,
Ut olivae postmodum
oleo nos ungat.

28. Salve, crux, ecclesiae
scutum singulare,
Quam in Abel coeperat
Cain expugnare,
Quos in suo quaeritur
dorso fabricare,
Mali malum nequeat
magis prolongare.

29. Salve, crux, qua veniam
Ionas dedit mundo,
Ut mundum redimeret
Mersus maris fundo,
Qui clamant ad Dominum
in mali profundo,
A malorum gurgite
mundentur immundo.

30. Salve, crux, remedium
oculis elatis,
Exemplum humilibus
dans humilitatis,
In te pendens humilis
Deus maiestatis
Mentem donet humilem
magis et inflatis.

31. Salve, crux, in foederis
arca figurata
Et arca diluvii
Noe praesignata,
Arca sit ecclesiae
per te liberata,
Arca pauset animae
requie beata.

32. Salve, crux, qua capitis
unguento linita
Unitatis vinculo
membra sunt unita,
Quibus una regula,
una lex est sita,
Mente sint unanimes
et concordes vita.

33. Salve, crux, sententiam
poenalis edicti
Et antiqui relevans
poenam maledicti,
Benedicant Dominum
per te benedicti,
Ad quem manus noctibus
attollunt adflicti.

34. Salve, crux, quam sanguinis
signo praesignavit,
Qui cum primogenitis
Aegyptum damnavit,
Nos salvet in sanguine
Quo suos salvavit,
Qui postes et limina
sanguine signavit.

35. Salve, crux, exercitum
perdens Pharaonis
Signis, ditans Israel
in deserto donis,
Hunc laudet laudabilis
laus confessionis,
Qui nos crucis munere
tantis ditat bonis.

36. Salve, crux, qua parvuli
petrae alliduntur,
Fide Christi noxii
motus reprimuntur,
Super Babyloniae
fluctus qui queruntur,
Per te canant cantica,
quae caelis canuntur.

37. Salve, crux, qua tribuit
pro nobis tributum,
Suum sanctum sanguinem
Dominus virtutum,
Qui formavit manibus
nostrae carnis lutum,
Opus non despiciat
suum destitutum.

38. Salve, crux, qua sessio
Domini mortalis
Et post resurrectio
datur triumphalis,
Quos involvit sessio
mortis generalis,
Per te resurrectio
salvet aeternalis.

39. Salve, crux, qua Domino
lingua venenosa
Superbe detraxerat
plebs perniciosa,
A peste superbiae
linguaque linguosa
Nos defendat passio
Christi gloriosa.

40. Salve, crux ad Dominum
dirigens incensum,
Patri Christum offerens
manibus extensum,
Qui clamorem moriens
emisit immensum,
In crucis memoria
nostrum figat sensum.

41. Salve, crux, e carcere
ducens confitentes,
Donans patientiam
inter persequentes,
Neve mercenarii
simus fugientes,
Vera patientia
nostras firmet mentes.

42. Salve, crux, qua spiritu
Christus anxiatus
In obscuris corpore
fuit collocatus,
Iustus iudex omnium
in te iudicatus
Non intret iudicium
cum servis iratus.

43. Salve, crux, superbiam
Goliae frenare,
Maxillam Leviathan
potens perforare,
Mundum, carnem, daemonem
per te superare,
Suos hostes animam
Christus det domare.

44. Salve, crux, qua veniae
datur plenitudo,
Divinae potentiae
patet magnitudo,
Te dierum omnium
laudet longitudo,
Tuas laudes resonet
orbis latitudo.

45. Salve, crux, ab omnibus
digna salutari,
Digna dignis laudibus
a cunctis laudari,
Qui sperare prohibet
in re saeculari,
Nos in tuis laudibus
donet delectari.

46. Salve, crux, qua sanguini
mixta fluit unda,
Quae corvorum pabula
pullis dat fecunda,
Ut Deo laudatio
nostra sit iucunda,
Per te vocis organo
mens concordet munda.

47. Salve, crux, Ierusalem
porta sempiternae,
Porta pandens aditum
patriae supernae,
Qui portant miseriam
sarcinae modernae,
Per te laudem gloriae
modulent aeternae.

48. Salve, crux, qua media
factura factorem,
Creatura quaelibet
laudat creatorem;
Quem mundi laudabilem
laudamus auctorem,
Ad laudes perpetuae
nos ducat dulcorem.

49. Salve, crux, restituens
primae dignitati,
Quos primi deiecerat
sarcina peccati,
Per te novum canticum
cantent renovati,
Deum laetis laudibus
laudent liberati.

50. Salve, crux, materia
summae melodiae,
Finis et impletio
nostrae psalmodiae;
Qui cuncta definiet
in postremo die,
Nos in suae laudibus
salvet harmoniae.

Cod. Londinen. Reg. 2 A IX. saec. 13/14.

II. Psalterium de Passione Domini,
dictum Granum passionis.

Prima Quinquagena.

1. Te ut in memoriam
revocem salvator,
Mihi benignissimus
assit consolator,
Spiritus praeclitus,
tuae inspirator
Gratiae et cordium
pius illustrator.

2. Redemptus, quem sanguinis
auro redimisti,
Ascendat Calvariae
montem, quo solvisti
Aurum, ubi pretium
sanguinis fudisti,
Legat ibi gratiae
librum, quem scripsisti.

3. Ad hoc mens evigilet,
in hoc delectetur,
In hoc se exerceat,
manus excitetur,
Ut agat viriliter,
totus inflammetur
Homo, in hoc Dominum
servus imitetur.

4. Ave, mons Calvariae,
recordatione
Tu dignus praecipua,
veneratione
Excolendus iugiter,
quem tu, Iesu bone,
Facis memorabilem
tua passione.

5. Ave, gemma montium,
mons coagulatus,
Mons pinguis sanguineis
guttis impinguatus,
Salvatoris Domini
lacrimis rigatus,
Cedro nobilissimae
crucis decoratus.

6. O mons, Dei filius
in te decalvatus,
Nudatus est vestibus,
in cruce levatus,
In palmis et pedibus
clavis est plagatus,
Lancea mitissimum
perforavit latus.

7. Cum ligna defecerint,
ignis exstinguetur,
Ait quidam sapiens;
his verbis docetur:
Auditor, si animae
ignis non fovetur
Lingnis crucis, proprio
vigore privetur.

8. Ergo ne igniculus
tuus exstinguatur,
Anima, quo caleas,
consulo catur
In montem Calvariae,
ibi colligatur
De crucis ramusculis,
unde nutriatur.

9. Crucis beneficiis
totum te involve,
Ima, summa, media
pro posse revolve,
Venerare singula,
oculos resolve
In devotas lacrimas,
gratias persolve.

10. Reduc in memoriam
Iesum proeliantem,
Hostes suae clipeo
crucis expugnantem,
Gestu sui corporis
hunc tympanizantem
Cerne carnis cithara,
vitia fugantem.

11. Superat superbiam
caput inclinando,
Livorem, cum brachia
hostes amplexando
Expandit, cupiditas
fuga perit, quando
Dextram, laevam porrigit
se et sua dando.

12. Ad probra, blasphemias
os claudit, sic irae
Imperat, accelerat
pati, sic abire
Compellit acediam,
flagella subire
Gaudet, ne luxuria
valeat saevire.

13. Per amaritudinem
aceti et fellis
Fugas gulae vitium,
Iesu, qui sic pellis
Hostes propugnaculo
crucis et das bellis
Finem, tua passio
mihi favus mellis.

14. Tuam crucem corpori
tuo coaptatam,
Membris tuis veluti
gemmis adornatam
Rubicundo, candido
flore picturatam,
Mihi pro deliciis
gaudeo collatam.

15. Anima, apiculae
apprehende mores,
Campos intrat floridos,
accedit ad flores
Florumque foramina
scrutatur, sapores
discernit et extrahit
succos meliores.

16. Tu quoque fac simile,
omni suavitate
Plena Christi passio,
tota caritate
Redundat, non alius
flos quaeratur a te,
Hunc florem si suxeris,
vives delicate.

17. Suge ergo, anima,
suge, quia vita
Est in Christi sanguine,
tua sint condita
Hoc liquore fercula,
huc tuos invita
Affectus, os applica
flori et dic ita:

18. Ave, flos de Nazareth,
flos refectionis,
In te locus pascuae
angelis et thronis,
Melle me reficias
Consolationis,
Si sugam foramina
tuae passionis.

19. Pro tuis vulneribus
placet commutare
Mundi, carnis ubera,
quibus me lactare
Consueverunt daemones,
convenit amare
Illa et eligere,
ista reprobare.

20. Ex tuis vulneribus
sanguis emanavit,
Cuius clamor validus
caelos penetravit,
Exclamando veniam
mihi postulavit,
Suspendit sententiam,
iudicem placavit.

21. Anima, incorpora
per dilectionem
Tibi Christi sanguinem,
per devotionem
Hunc in mente recole,
ad confessionem
Laudis huius sanguinis
praepara sermonem.

22. Cum esses in sanguine
tuo, eras muta
A laude et mortua,
sanguine abluta
Christi, tibi dictum est:
Vive ergo tuta,
Lingua hisque laudibus
sanguinem saluta.

23. Ave, sanguis Domini,
verbi incarnati,
Tyriaca medici
pro me lanceati,
Cuius efficacia
omnes sunt sanati,
Qui Iesu sunt moribus
vitam protestati.

24. O unguentum nobile,
quod humanitatis
Ex flore confectum est
et divinitatis,
Adipe in thalamo
summae sanctitatis
Mariae a spiritu
summae pietatis.

25. Tu rosetum animae
Iesum diligentis,
Ad vulnus de vulnere
se circumferentis,
Vulnerum perambulans
loca mens pigmentis
Rosarum reficitur,
hic est cibus mentis.

26. Tu mel, quod extrahitur
labiis sugentis
Ex favis dulcissimis
vulnerum pendentis
In crucis patibulo,
tu sanguis rubentis
Uvae meracissimus,
tu vita viventis.

27. Ad tui memoriam
cordis obdurati
Adamas dissolvitur,
facis, ut peccati
Animam paeniteat,
facis, ut legati
Ad Deum sint lacrimae
cordis contristati.

28. O sanguis dulcissime,
sanguis gloriose,
Tu meae divitiae,
gemmae pretiosae,
Tu meae deliciae,
tu flores et rosae,
Grates tibi refero
fuso copiose.

29. Grates tibi, lancea,
quae viam fecisti
Per latus, per lateris
costas introisti
Cordis sanctuarium
salvatoris Christi,
Ibi te visceribus
Iesu immersisti.

30. Quid boni eduxeris
inde, quis narrabit?
Hoc bonum dat gratiam
in praesenti, dabit
In morte fiduciam,
caelum reserabit,
Sociabit angelis,
rosis coronabit.

31. Rogo, dulcis lancea,
vulnera cor meum,
Voluntatem propriam
eice, quae Deum
Offendit, me efficit
coram ipso reum,
Fac, Iesu oboediat,
fac, sequatur eum.

32. O clavi, vos sanguinis
huius reserastis
Thesauros, obstacula
carnis penetrastis,
Medullarum, ossium,
nervorum intrastis
Secreta, divitias
bis mihi donastis.

33. Vos pro gariofolis
mihi reservabo,
Ne defectum patiar
cordis, masticabo,
Pro dolore capitis
frequens ruminabo,
Manus pedes stimulis
vestris excitabo.

34. In petra durissima
nidum exstruxistis
Columbis, ericiis,
illuc confugistis
Cum vestris aculeis,
vos, qui excessistis
In summis sceleribus,
ibi latuistis.

35. Ibi paenitentiae
sumpsistis labores,
Ibi vos contritio
apprehendit, fores
Spei reseratae sunt,
gehennae tortores
Evasistis, pessimos
exuistis mores.

36. Qui ergo aliquando
estis operati
In vos, Deum, proximum
nefas, sanitati
Restituti, consulo,
ne sitis ingrati,
Rogo, amplectimini
plagas vulnerati.

37. Ad hanc petram, anima
mea, viam tere,
In hac nidum construe,
hic stude latere,
Haec turris fortissima,
ex hac arma quaere,
Ex hac mille clipeos
scias dependere.

38. Omni diligentia
illud elabora,
Ut in die exitus
et in mortis hora
In hac petra lateas,
ut evadas ora
Leonum et videas
sponsum sine mora.

39. Stude dulcis lavacrum
lateris adire,
Ut munderis, abluet
aqua, sanguis mire,
Reddet pulchritudinem,
sic resistes irae,
Nec audebunt daemones
contra te mugire.

40. Esto, quod chirographa
cartas peccatorum
Adducat in medium
et advocatorum
Copiam, clamoribus
resistant eorum
Instrumenta sanguinis,
crucis et clavorum.

41. Crucis cancellatio
scripta reprobabit,
Abradent mendacium
clavi, palliabit
Sanguis sua purpura
culpas et clamabit
Veniam, sic hostium
rabies cessabit.

42. Aqua reddet candidam
sanguis rubicundam,
Sic assimilaberis
sponso tuo, mundam
Praesentabunt angeli,
sic vitam iucundam
Obtinebis per Iesu
sanguinem et undam.

43. In his foraminibus,
in ista caverna
Requiesce, anima
peccatrix, superna
Largiente gratia,
vitare inferna
Ut possis, et transitus
detur ad aeterna.

44. Grates tibi, Domine,
qui reis nefandis
Factus es latibulum,
brachia expandis,
Paratus amplexibus
hos fovere blandis,
Promptus in criminibus
sibi relaxandis.

45. Inferni latibulum
meruit peccator,
Pro eo patibulum
subis, miserator
Iesu et misericors,
fisque restaurator
Peccatoris, ut tuae
sit crucis amator.

46. Ad amplexus suscipis
aegrum et dignaris
Huic emplastrum fieri,
fis ei altaris
In mensa viaticum,
potus salutaris,
Medicus fidissimus
per hoc comprobaris.

47. Paenitenti pillulae
aureae tuorum
Fiunt guttae vulnerum,
hae sunt, quae humorum
Consumunt superflua,
quae illi morborum
Sunt causa, eiciunt
fleuma vitiorum.

48. Hae felices pillulae
suas ostenderunt
Vires, efficaciam,
cum eas sumpserunt,
Qui te crucifixerant,
cum paenituerunt,
Et ex eis milia
quinque crediderunt.

49. Diligam te, animae
meae firmamentum,
Iesu, et refugium
in cruce extentum,
Continens ut fieres
et ego contentum,
Sciens, quia sine te
nihil est figmentum.

50. Quid tibi retribuam,
Domine, quid dabo,
Pro tantis, tam arduis,
tam summis? Negabo
Quidquam tibi? Absit hoc,
calicem potabo
Tuum, tuis laudibus
in finem vacabo.

Secunda Quinquagena.

1. Circuibo, Domine,
aureum altare
Tuae crucis, appetens
laudis immolare,
Tura, thymiamata
Precum, tu dignare
His me sacrificiis,
Iesu, tu placare.

2. Adoro vestigia
pedum, quae formasti,
Cum in sacris umeris
crucem baiulasti,
Lambo stillicidia,
quibus dedicasti
Terram, quando sanguine
hanc inebriasti.

3. Amplector, deosculor
pedes, Magdalena
Ubi planxit lacrimis
et dolore plena,
Ubi paenitentiae
peracta carena,
In pace dimissa est,
rediit serena.

4. O pedes dulcissimi
Iesu, me quaesistis,
Ovem, quae perieram,
post me cucurristis,
Malleos carnificum
clavos suscepistis,
Viae lassitudinem,
crucem pertulistis.

5. Sanguis pedum, Domine,
quos clavi foderunt,
Deleat vestigia
pedum, quae fecerunt,
Quando carnis, daemonis
cursum peregerunt,
Vanitatis literas
in terra scripserunt.

6. Rogo, pedum rivuli,
ut omissionis
Boni culpas diluant,
perpetrationis
Mali nefas auferant,
virtus passionis
Tuae verbum proferat
absolutionis.

7. Flecto tibi genua,
qui tua flexisti,
Cum tuis discipulis
pedes abluisti,
Magister et Domine,
linteo tersisti,
Hoc exemplum nobile
tuis relequisti.

8. Sanguis tuus, Domine,
quem fudit beata
Tua circumcisio,
deleat errata
Carnis, sit cinctorium
renum, quo servata
Caro sit, in motibus
castis ordinata.

9. Sudoris sanguinei
balsamum per totum
Corpus tuum diffluens
me reddat devotum
In orationibus,
me sanet aegrotum,
Me caelesti curiae
repraesentet lotum.

10. Sanguis tuus, Domine,
nodis flagellorum
Eductus e corpore
meorum membrorum
Sit regalis purpura,
faciat laborum
Patientem, socium
martyrum tuorum.

11. Tui cordis flumina
sanguinis et undae
Meum cor circumfluant,
influant et munde
Abluant, inebrient,
penetrent profunde,
Ut te plene diligat,
serviat iucunde.

12. Sanguis Iesu floride,
sanguis delicate,
Profluens de latere,
pannum menstruatae
Commuta in purpuram,
fac, in pietate
Ambulem, et obtine
vivere beate.

13. Tu resina Galaad
ungis, ut portetur
Iugum Christi suaviter,
facis, ut ametur,
Facis, ut quaerentium
Iesum cor laetetur,
Facis momentaneum,
quidquid sustinetur.

14. Tu Raab funiculus,
tua me extraxit
Virtus de miseriae
lacu, me attraxit,
Prope, longe positum
ad bonum pertraxit,
Ne malum repeterem,
a malo retraxit.

15. Tu misericordiae
mihi pluis rorem,
Tu, vitta coccinea,
Iesu ad amorem
Cor stringis affectibus,
mellicum saporem
Infundis, ut dulce sit
sequi redemptorem.

16. O aqua rosacea,
quam fervor amoris
Eduxit de latere
rosae pulchrioris,
Inter rosas hominum
perversi ardoris
Incentivum prohibe
a claustro pudoris.

17. Tui cordis scissio,
Iesu, scissionem
Cordi meo ingerat,
vulnerationem
Ex amore sentiat
cor et passionem
Tuam suam faciat
per compassionem.

18. Paratum cor, Domine,
meum cor paratum
Sit, ut tibi serviat,
fac, habere ratum,
Quidquid tu decreveris,
fac, ut cogitatum
Suum ad te dirigat
pro me vulneratum.

19. Sanguis tuae dexterae
me dignum beatis
Faciat amplexibus.
cum praedestinatis
Ad dextram me collocet,
ubi dono gratis
Paratum percipiam
regnum claritatis.

20. In virtute sanguinis
tui, Iesu Christe,
Quem sinistra protulit,
rogo, mundus iste
Mihi crucifixus sit,
pauperi assiste,
Ne cum hoedis audiam
Ite, verbum triste.

21. O manus tornatiles,
aureae et plenae
Iacynthis, divitiae
vestrae non terrenae
Sed caelestes, animae
pauperi, egenae
De vestro tribuite,
ut sit ei bene.

22. O manus tornatiles
Iesu, me tornari
A vobis expostulo,
vas hoc transformari
Irae in vas gratiae,
mensae praesentari
Caelesti, et ex eo
laudes propinari.

23. Manus Iesu aureae,
rogo, inauretur
Hoc vas de Arabiae
auro, meditetur
Mens de vitae vespera,
quod morte claudetur,
Quod pulvis in pulverem
cito revertetur.

24. Hoc aurum Arabiae
peccatum excludit,
Hoc est sapientiam,
quae carnis illudit
Commodis, superbiae
motibus concludit,
Bonum mansuetudinis
cordibus includit.

25. Manus Iesu aureae,
vasi apponatis
Aurum terrae Eiulat,
hoc est, conferatis,
Pro meis et proximi
lugeam peccatis,
Ad decorem vasculi
gemmas includatis.

26. De gemmis iacyntinis
peto decorari,
Hoc est, in caelestibus
mente conversari,
Plateas Ierusalem,
vicos pervagari,
Alleluia canere,
sanctos contemplari.

27. In aeternum, Domine,
tuas venerabor
Manus laudum oculis
et regratiabor
Pro donis exhibitis,
cum dolor et labor
Cessabunt, haec tribuant,
unde satiabor.

28. Pastor, tuis umeris,
gratias rependo,
Quibus reportasti me
ad gregem, ponendo
Me in loco pascuae,
foeno me pascendo
Tuae carnis floridae,
pie protegendo.

29. Collum tuum, pontifex,
stolam colaphorum
Suscepit, quod totiens
ulnis brachiorum
Mariae astrictum est,
hoc suppliciorum
Graminis fasciculos
tollis peccatorum.

30. Iesu, tui colaphi
a iugo peccati
Collum meum liberent,
tuae potestati
Me subdant, oboediant
tuae voluntati,
Qui per sacrificium
tuum sunt purgati.

31. Tuae vocis organum
dulce et canorum
Pro me raucum factum est,
quod mihi caelorum
Reseravit gaudium,
praemia iustorum,
Regula iustitiae,
disciplina morum.

32. Mel et lac de labiis
tuis propinasti
Tuis auditoribus,
quibus praedicasti,
Rudes in parabolis
lacte informasti,
In monte discipulos
melle satiasti.

33. Doctor amantissime,
aurea doctrina
Tua sit vulneribus
meis medicina,
Fundat mihi oleum,
fundat mihi vina,
Det in his proficere
unctio divina.

34. Iesu, tuum *Sitio*
in cruce prolatum
Sitim mihi provocet,
potum delicatum
Ex te fonte tribuat,
quo me renovatum
Sentiam, a veteri
fermento purgatum.

35. Ut cervus desiderat
ad fontes aquarum,
Sic ad te desiderem,
tuum fel amarum
Et acetum mihi det
ad deliciarum
Paradisum transvehi
pennis aquilarum.

36. Vultum tuum, Domine,
requiro, splendore
Divinum, dignissimum
laude et honore,
Et sputa recipio
pro suavi odore,
Quae illata tibi sunt
a persecutore.

37. O vultus amabilis
Nazareni floris,
Qui Mariae totiens
delicati oris
Suscepisti oscula,
plenus es maeroris,
Qui per sputa contrahis
maculas horroris.

38. Te velant, te lacerant
manus impiorum,
Gravis ad videndum es
oculis eorum,
Quibus lumen veneras
praebere sanctorum,
Margarita, claritas,
splendor angelorum.

39. Anima, considera
hunc vultum et gere
Morem benignissimo
Iesu, exhibere
Vultum stude lugubrem,
cum Maria flere,
Et Iohannem videas,
debes condolere.

40. Gladius, qui animam
transivit Mariae,
Anima, te vulneret,
quodsi modo pie
Cum Maria fleveris,
hoc peracto viae
Cursu in novissimo
tu ridebis die.

41. Dicat mater filio:
fili, consolare
Sicut mater animam,
Quae flevit amare
Tuam mortem, lacrimas
abstergas, regnare
Fac tecum in gloria,
tecum exsultare.

42. Quae tibi compassa est,
nihil patiatur,
Fiat impassibilis,
nunquam moriatur,
Immortalis maneat,
haec introducatur
In tuum cubiculum
teque perfruatur.

43. Sic misericordiae
mater pro te stabit,
Labores et lacrimas
tuas retractabit,
Auribus dulcissimi
Iesu inculcabit,
Tibi patrocinium
Iohannes praestabit.

44. Stude ergo, anima,
ut promovearis
Ad tantas delicias,
sic intuearis
Iesum, ut pro nomine
Iesu patiaris
Et suis communices
poculis amaris.

45. Vultum tuum, Domine,
mihi contemplari
Dulce sit, iniurias
tuas amplexari,
Tuas contumelias
hic philosophari,
Tribue proficere
in hoc exemplari.

46. Quot maxillae alapis
pro me feriuntur,
Quot verba blasphemiae
tuis ingeruntur
Auribus, sic instruor
cum ista leguntur,
Arma patientiae
mihi proponuntur.

47. Horum recordatio,
Iesu, armaturam
Mihi tolerantiae
praestet profuturam,
In adversitatibus,
age meam curam,
Ne factus impatiens
excedam mensuram.

48. Molestavit foetidum
sputum sanctitatis
Tuae nares, Domine,
ut nos trinitatis
Pasceres aromate,
nobis collocatis
Per te in florentibus
paradisi pratis.

49. O summae fraglantiae
et caelestis chori
Aureum turibulum,
tibi, meo flori,
Rosae meae supplico,
mihi sis odori,
Sursum trahe spiritum,
cum contingat mori.

50. Iesu, rosa candida,
rubicunda, oro,
Animam reficias
meam, cum laboro,
In morte hanc eripe
a causis et foro
Daemonum, hanc insere
angelorum choro.

Tertia Quinquagena.

1. Gratias pro lacrimis,
Iesu, quas fudisti
Salsis, puris, calidis,
quibus commovisti
Tui patris viscera,
quibus eruisti
Me de manu inferi,
vitam contulisti.

2. Iesu, tuae lacrimae
salsae dent saporem,
Ut tu mihi sapias,
purae dent decorem
Puritatis, calidae
ingerant calorem,
Quae accendant, vulnerent,
auferant teporem.

3. Ut peccata defleam,
ad quae mens est prona,
Ut plangam exsilium,
ut aeterna bona
Requiram cum lacrimis,
o Iesu, corona
Celsior, tu tribue
lacrimarum dona.

4. Salsas confer lacrimas,
quae corruptionis
Expertem me faciant,
a pollutionis
Labe pure abluant,
contra aquilonis
Frigus mihi lacrimas
da dilectionis.

5. Illos tuos oculos
in morte clausisti,
Quibus Petrum, ceteros
pie respexisti
Peccatores, cordibus
quorum infudisti
Lumen tuae gratiae,
culpam remisisti.

6. O paternae gloriae
splendor, per respectum
Tuum benignissimum
animae profectum
Operaris, corporis
sublevas defectum,
In utroque respice
meum imperfectum.

7. Verus sol iustitiae,
tu interiorem
Hominem irradia,
da cordi fervorem
Spiritus, exterius
tribue vigorem
Membris, laudent omnia
suum creatorem.

8. Diadema spineum
intulit dolorem
Reverendo capiti
tuo et cruorem
Extraxit purpureum
pretiosiorem
Regum diademate,
regnis cariorem.

9. Pie pater, filium
tuum me fecisti,
Sanguine de regio
tu me genuisti,
Quando semen sanguinis
in terra fudisti
Et ex hac fidelium
grana produxisti.

10. Ut in me perficias,
quod coepisti, bonum,
Tuarum participem
me fac punctionum,
Quibus si communico,
te ipsum in donum
Dabis, regis filius
obtinebo thronum.

11. Sanguis tui capitis
extractus per spinam
Sensus mei capitis
servet, ne ruinam
Patiantur, fugiant
hanc mundi sentinam,
Illos ad notitiam
erige divinam.

12. Ad te, Iesu, oculi
mei dirigantur,
Cuius pulchritudinem
sol, luna, mirantur,
Ad chorcas virginum
aures erigantur,
Paradisi floribus
nares nutriantur.

13. Da gustare, Domine,
quantae suavitatis,
Quantae sis dulcedinis,
me humanitatis
Tuae lacte refice,
melle deitatis,
Tactu tuae fimbriae
mundes a peccatis.

14. Tui sancti capitis
verticem beatum
Veneror arundine
pro me flagellatum,
Obsecrans, dulcissime,
ut caput elatum,
Quod erexi contra te,
tibi sit substratum.

15. Iesu, tui capitis
inclinatione
Me salutas, osculum
praebes, fiunt pronae
Aures meis precibus,
de afflictione
Grates agis, pascar hac
dulci lectione.

16. Te tradente spiritum
caput inclinasti,
Quid hoc, nisi quod per hoc
reconciliasti
Me patri et rediens
mihi nuntiasti
Pacem, meque capitis
motu salutasti.

17. Dulce praebes osculum
pace reformata,
Hoc est quasi diceres:
meretrix prostrata,
Surge, sume osculum
sanguine mundata
Meo, eris deinceps
mihi desponsata.

18. Aures pace reddita
fiunt proniores
Patris, quasi diceres:
hactenus labores
Consumpsisti vacuos,
cum precum clamores
Ad ipsum transmitteres,
nunc secure ores.

19. Audias, exaudias,
pater, tantum, talem,
Volo, te exhibeas,
quae sis digna, qualem
Sponsam decet regiam,
refuge carnalem
Vitam et amplectere
formam spiritalem.

20. In hoc gestu capitis,
Iesu, declinare
Te a crucis titulo
perpendo, vitare
Per hoc vanam gloriam
te ostendit, care
Doctor, ac si diceres:
nolo hic regnare.

21. Nolo, scribat, nominet
me regem Pilatus,
Laudum plumas respuo,
qui sum deputatus
Modo cum latronibus,
cito coronatus
Regnabo in gloria
patris sublimatus.

22. Hic plebis abiectio,
ibi exaltabo
Caput, meam gloriam
alteri non dabo,
Danti mihi gloriam
ego procurabo
Gratiam et gloriae
locum praeparabo.

23. Sic me, Iesu, instruis,
ne a me quaeratur
Laus, ac favor hominum,
si a me geratur,
Quod sit dignum laudibus,
sed tibi dicatur
Laus, qui velle tribuis,
a quo posse datur.

24. Iesu, confer gratiam,
ne velim laudari
De bonis operibus,
regis appellari
Nomine, sed tribue
hic humiliari,
Ut in regno valeam
per te sublimari.

25. In hoc gestu capitis,
Iesu, actiones
Gratiarum reddere
in adversis mones
Dignas, te per varias
tribulationes
Sequendum ad praemia,
ubi nos corones.

26. Hoc est quasi diceres:
tu, qui viam quaeris,
Qui ducit ad patriam,
per crucem doceris,
Si mei non fueris
imitator, peris,
Ambulas in invio,
morte morieris.

27. Ne sit iter asperum,
pedibus substravi
Tuis mei sanguinis
purpuram, pugnavi,
Vici et latrunculos
viae trucidavi,
Ergo passus ambula,
per quos ambulavi.

28. In hoc gestu capitis,
Iesu, relicturus
Matrem et discipulum,
ad patrem iturus
Accipis licentiam,
ultimum dicturus
Vale circumstantibus,
hic est sermo durus.

29. Ad istam licentiam
quis non moveatur,
Cum audit, quod filius
Dei moriatur,
Thesaurus tam nobilis
de mundo tollatur,
Universa continens
sepulcro claudatur?

30. Iesu, mea lectio
et philosophia,
Mei cordis speculum,
quo Rachel et Lia
Suas ornant facies,
dulcis melodia,
Quam de carnis cithara
produxit Maria.

31. Membra tui corporis
in cruce extenta
Cantilenas resonent
mihi, quas attenta
Aure cordis audiam,
horum sacramenta
Cuncta vincunt musicae
artis instrumenta.

32 Tu sis mihi iubilus,
tu sis canticorum
Canticum, solacium
dolorum meorum
Singulare, unicum,
vulnerum tuorum
Memorem in numero
pone filiorum.

33. Iesu, tui memores
fac imitatores
Esse tuos, fac eos
exempla et mores
Tuos apprehendere,
plagae et livores
Tui nostros condiant,
temperent labores.

34. Memores Calvariae
montis decalventur,
Tecum fiant filii
Chore, conformentur
Membra suo capiti,
terrenis nudentur,
Ut a te caelestibus
thesauris donentur.

35. Cruci tui memores
fac considerare
Tuae crucis proelia
et se praeparare
Ad bella, quae imminent
vexillum levare
Crucis et fortissimum
nomen invocare.

36. In hoc tuo nomine
manus confortentur
Dissolutae, pavida
corda roborentur,
Hoc audito nomine
in fugam vertentur
Hostes, decem milia
duo prosequentur.

37. Milites audaciam
sumant intuendo
Sui regis vulnera,
sese offerendo
Ad mortem pro mortuo
crucem sustinendo,
Vincula et carceres,
sanguinem fundendo.

38. Tua triumphalis crux
super cor ascendat
Et cordis signaculum
fiat, apprehendat
Crucis longitudinem
cor et se distendat
In latum, totaliter
cruci se impendat.

39. Dulcis Iesu, tua mors
mors victoriosa,
Iudaeo turpissima,
Iudaeo probrosa,
Nobis amantissima,
nobis saporosa,
Inscribatur cordibus
in textu et glosa.

40. Quidquid est a vertice
ad plantam, conetur
Tuae morti compati,
cor intus mactetur
In contritionibus,
corpus castigetur
In labore, sanguine
lacrimis lavetur.

41. Non torrens, non rivulus,
non fontes aqarum
Oculis sufficiant,
Iesu, lacrimarum
Da nobis diluvium
respectu guttarum
Quas fudisti, talia
nihil sunt aut parum.

42. Tuae mortis memores
mundo moriantur,
Vivant tibi, Domine,
qui vivificantur
Tuo sacro corpore,
hi benedicantur
A patre et spiritu
sancto repleantur.

43. Dulcis Iesu, rogo te,
tuum monumentum
Et murra et aloe
quasi librae centum,
Lintea, sudarium
sint incitamentum
Doloris et gemitus
provocent lamentum.

44. Murra membra condiat
contra vitiorum
Vermes, intus aloe
agat contritorum
Gemitus, ut ita sim
de beatis, quorum
Peccata remissa sunt,
de coetu iustorum.

45. Cor meum quod exstitit
spelunca latentis
Inimici, fac tibi
locum quiescentis,
Utere pro sindone
castitate mentis,
Sit loco sudarii
labor paenitentis.

46. Rogo te per gloriam
resurrectionis
Tuae, da resurgere
a malis, in bonis
Florere, ut in die
consummationis,
Me verbum non feriat
maledictionis.

47. Supplico, dum tempus est
emendationis,
Da mereri gratiam
benedictionis,
Quam tuis daturus es,
locum mansionis
Obtinere, gloriam
tuae visionis.

48. Da mihi te cernere
regem in decore,
Tuo da colloquio
frui, ex amore
Amplecti te intimo,
sumere ab ore
Osculum, te perfrui
paradisi flore.

49. Pater mihi tribuat
immortalitatis
Locum, tu me satics
tuae caritatis
Ferculis, paraclitus
suae voluptatis
Torrente inebriet,
regnem cum beatis.

50. Ad altare aureum
hoc devotionis
Granum in memoriam
tuae passionis
Dulcis, Iesu, offero,
te summum in bonis
Requiro pro munere
retributionis.

Orat. ms. saec. 14. Cod. Vatican. Ottobon. 14. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. $^{14}/_{15}$. C. — Orat. ms. Arnesti de Pardubic ca. 1350. Cod. Mus. Bohem. 217. D. — Orat. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 199. E. — Orat. ms. saec. 15. in. Cod. Sangallen. 519. F. — Cod. Mellicen 716. saec. 15.

G. — Cod. Scotorum Vindobonen. 53 f 10. saec. 15. H. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3835. saec. 15. I. — Cod. Gottwicen. 192. saec. 15. K. — Cod. Paulan. Hospitalen. cart. 192. saec. 15. L. — Orat ms. Claustroneoburgen. 1216. anni 1437. M. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. N. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19 636. saec. 15. O. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20 123. P. — Orat. ms. Ebers-pergen. saec. 15. Clm. Monacen. 6053. Q. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14538 anni 1404. R. — Clm. Monacen. (ol. Fürstenfelden.) 7083. anni 1406. S. — Orat. ms. anni 1505. Cod. Berolinen. VIII. 58. T. — Orat. ms. Carth. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Hildesheimen. Ioseph. 3(6). U. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14582. saec. 14. in. V.

I. 1, 1 Te cum in B. — 1, 2 revoco B. — 1, 3 Assit benignissimus L. — 1, 4 mihi consolator L. — 1, 7 et mentium B. — 1, 8 inflammator DL, visitator B. — 2, 3 Attendat B. — 2, 5 ubi sanguinis DL. — 2, 6 pretium fudisti DL. — 2, 7 Recordetur operum AGH. — 2, 8 Quem ibi gessisti A, quae ibi GH. — 3, 1 Ad haec AGH, Adhuc B. — 3, 2 ista contempletur AGH. — 3, 3 In suis affectibus AGH. — 3, 7 in his A. — 4, 3 dignus perpetua B. — 4, 5 Extollendus omnium B. — 4, 6 que tu A. — 5, 7 nobilissimo B. — 5, 8 coronatus B. — 6, 2 calvatus B. — 6, 6 est fehlt B. — 6, 8 perforatur GH. — 7, 4 et sic docetur L. — 8, 1 igniculis B. — 8, 2 tuis B. — 8, 3 et caleas B; Homo quo fovendus es A. — 8, 7 ramusculi A, ramiculis B. — 9, 2 te totum A. — 9, 6 revolve B. — 9, 7 Devotas in DL. — 10, 1 ad memoriam AGHL. — 10, 3 suo GHL. — 10, 5 Cerne gestum corporis DL. — 10, 6 hinc G. — 10, 7 Suae carnis DL. — 10, 8 A hat hier die Bemerkung: Hic annotantur septem vitia principalia a Domino superata. — 11, 3 brachiis L. — 11, 4 Expandit amando A, fugando GH. — 11, 5 Indignos, cupiditas A; Hostes et cupiditas GH. — 11, 6 fugam petit L; vincitur in dando A. — 11, 7 Manus tendit animam A. — 11, 8 Sed et sua B; et corpus erogando A. — 12, 2 os claudendo irae B. — 12, 4 et sic abire A. — 12, 7 Grandis ne B. — 13, 1 amaritudines A. — 13, 3 Fugas castrimargiam AGH. — 13, 8 favum AB. — 14, 8 Gaudet A, oblatum B. Hier fügt A die Bemerkung ein: Nota exemplum apis, quae dicuntur [!] brevis in volatilibus esse. — 15, 1 Applica et anima B. — 15, 4 accede L. — 15, 5 Et florum foramina A, Per florum DGH. — 15, 6 sapore A. — 15, 7 attrahit B. — 16, 1 Ut quoque A. — 16, 5 Recludat A. — 16, 7 sugeres B. — 17, 4 tua sic A. — 17, 6 huc cunctos A. — 17, 7 hos applica A. — 19, 1 Pro Iesu vulneribus A. — 19, 2 stude commutare A. — 19, 3 et carnis A. — 19, 4 te lactare A. — 19, 5 Consuevit satanas A. — 19, 6 cum venit A. — 20, 1 Ex Iesu vulneribus A. — 20, 5 Alligavit veniam B. — 21, 1 in corpore GH. — 21, 2 ob dilectionem H. — 21, 3 Habe Christi GH. — 21, 6 per confessionem GH. — 22, 1 Dum H. — 22, 3 A laude Christi mortua A. — 22, 5 Christus tibi dictus est B. — 22, 6 ergo muta AB. — 22, 7 Linguam AL. — 23, 1 sanguis potio A. — 23, 7 Qui sunt vita et moribus A; Qui Iesu sum B. — 23, 8 Iesum potestati A. — 24, 3 factum est G. — Str. 24 lautet in DL:

O unguentum nobile, quod ex carnis flore
De virgulto virginis sumptum et ex rore
Caelesti conficitur, sis mihi in ore,
Sis in mente, affice me tuo dulcore.

25, 7 Et rosarum refici B. — 26, 5 Crucis in DL. — 26, 6 sanguis bibentis AGH, bidentis DL. — 27, 2 obturati B, petra obdurati A. — 27, 3 Pectoris dissolvitur A. — 27, 4 faecis et peccati B. — 27, 6 furis ut B; facias ut A. — 28, 3 sq. und 5 sq. umgestellt A. — 28, 7 Laus illi, qui te pro me A. — 28, 8 fudit gloriose A, fundo copiose DL, pro me copiose GH. — 29, 2 quam viam D. — 29, 3 Per latus per latinus A. — 30, 5 mortem fiducia B, in futuro gloriam GH. — 30, 6 caelos B. — 31, 1 dulci A. — 31, 4 reice B. — 31, 5 et me DL. — 32, 5 Et medullarum L. — 32, 7 serrata B. —

33, 1 cariofolis DGHL, ganofoli A. — 34, 2 nidos ADL. — 34, 5 vestris iaculis A. — 34, 6 qui extensistis G. — 36, 1 Ergo qui GH. — 36, 2 iniqua estis B. — 36, 3 In Deum et proximum A. — 36, 7 complectimini B. — 37, 2 viam tuam L. — 37, 3 hanc A. — 37, 5 Haec crucis B. — 38, 2 labora G. — 38, 6 hora A. — 39, 1 duplex lavacrum ADGHL. — 39, 3 Ut mundus A. — 39, 6 resistens A. — 39, 8 te mutire A. — 40, 1 Esto crux B. — 40, 3 Adducant B. — 40, 5 Capiam A. — 41, 3 Arradent A. — 42, 3 assimilabis A: — 42, 4 munda A. — 43, 3 Sint tibi latibulum A; Requiescet DL. — 43, 4 anima superna A. — 43, 5 Tribuat hoc gratia A. — 43, 7 possit L. — 43, 8 ab aeterna A. — 44, 6 hos fehlt L, hoc A. — 45, 6 fitque A. — 45, 8 crucis sit L. — 46, 1 In amplexus DGHL. — 46, 4 fit ei B. — 47, 8 fluma B, flerma L, phlegma DGH. — 49, 7 Scies G. — 50, 8 fine A.

II. 1, 3 appeto A. — 1, 3 Crucis tuae H. — 1, 4 laudes B. — 1, 5 Tura pretium munera A. — 1, 6 offert dignare A. — 1, 7 Me his A. — 2, 7 Terram dum B. — 3, 7 Katena A, cena B, Kartena H. — 5, 1 Domini D. — 6, 5 Mali ne nos A, nervos GH. — 7, 7 exemplum posteris B. — 8, 2 fuse B. — 8, 5 Carnis succinctorium A. — 8, 6 quo servata B; per quod refraenata A. — 8, 8 adornata GH. — Str. 9 lautet in A:

Sudoris sanguinei balsamum per totum
Corpus tuum, Domine, diffusum, aegrotum
Me sanet, me curiae repraesentet lotum
Caelesti, perpetuo me reddat devotum.

10, 1 tue L. — 10, 2 nobis A. — 10, 3 ex A. — 10, 4 omnium membrorum B, membrorum meorum DL. — 10, 5 legalis purpura GH; foeditates abluat A. — 11, 5 Abluent A. — 11, 6 ut tibi iucunde A. — 11, 7 Serviat et diligat A. — 11, 8 integre profunde A. — 12, 4 meum sternatae A. — 12, 5 Commi ea in A. — 12, 6 fac cum sanctitate A. — 12, 7 Ambulans et amat nec. A. — 13, 1 Tu roseum galeat A. — 13, 5 Satis ut A. — 13, 8 quicunque A. — 14, 3 sq. lacu miseriae A. — 14, 6 me traxit A, protraxit DG, bona D. — 14, 7 Sic malum A. — 14, 8 pertraxit A. — 15, 3 vita A. — 16, 7 Incentum A. — 16, 8 ac claustro B. — 17, 3 meo generet B. — 17, 8 ac compassionem D. — 18, 3 Sic ut A. — 18, 7 diligat A. — 19, 1 te dexterae A. — 19, 6 quo humanitatis A. — 19, 7 Lacte poter, perfruar A. — 19, 8 melle deitatis A. — Str. 19 lautet in DL:

Incessanter cogitet de dilectione
Tui cordis erga me, de contritione
Tui cordis propter me, de compassione,
Qua mihi compassus es mortis in agone.

20, 3 pertulit AB. — 20, 7 Ut huius munimine A. — 20, 8 Omne pellam triste A. — Str. 20 in DL Sanguis tuae dexterae etc. — 22, 3 postulo A. — 23, 2 rogo auretur B. — 23, 5 vita B, vespere A. — 24, 3 Hoc et B, Haec est ADHL. — 24, 6 moribus DL. — 25, 2 opponatis H. — 25, 3 Evilat DH. — 25, 4 hoc et B. — 25, 5 Ut pro meis proximis B; ut pro mei, proximi A; ut pro meis et proximi GH; ut pro mis et proximi L. — 26, 1 Me gemmis AH; Iacinthinis me peto DL. — 26, 2 gemmis decorari DL. — 27, 5 bonis B. — 27, 7 Cessarunt hoc B; tribuent DHL. — 28, 7 florido B. — 29, 6 quo suppliciorum B. — 29, 7 gener fasciculus A. — 30, 3 liberant A. — 31, 4 quo mihi A. — 31, 5 Reservavit G, gaudia A. — 31, 7 Regulam AG. — 31, 8 disciplinam G. — 32, 2 promonasti B. — 33, 3 sint G, sunt H, virtutibus B. — 34, 2 perlatum A. — 34, 5 tribuas G. — 35, 3 a te B. — 35, 4 felle L. — 35, 5 det mihi A. — 35, 6 ad fehlt B. — 36, 2 specie ac decore DL. — 36, 3 Carentem recogito DL. — 36, 4 non sine dolore DL; laudem et honorem A. — 36, 7 sunt tibi A. — 37, 1 Vultus peramabilis DL. — 37, 6 Plenum DH, est DL. — 37, 7 Quod per DL. — 37, 8 herroris A. — 38, 8 decus angelorum G. — 39, 2 et quere B, et aegre G. — 39, 3 benignissimum GH. — 39, 5 Vultu A. — 37, 6 Cum fehlt B. — 37, 7 videris

B. — 40, 2 pertransiit L. — 40, 8 ridebis bene A. — 41, 1 Dicet DG, Videt A. — 41, 2 recordare GH. — 41, 4 flere A. — 41, 5 mortem abstergas L. — 41, 6 lacrimas regnare L; absterge AG. — 42, 2 mihi patiare A. — 42, 6 hic A. — 42, 8 atque perfruatur B. — 43, 1 Hic G. — 43, 2 protestabit A. — 43, 6 incantabit B. — 43, 7 patrocinia B. — 44, 4 ut intuearis DL. — 44, 7 communicet A. — 45, 7 perficere B; diese ganze Strophe lautet in A:

Ne avertas faciem tuam, Iesu bone,
A me, sed sit coram me contemplatione,
Cui tristis ambulem, ab elatione
Caveam, proficiam in abiectione.

46, 1 Quod AHL; Os maxillae B. — 46, 4 tibi ingeruntur GH. — 46, 5 sic fehlt A, instrui B. — 47, 2 armatura AB. — 47, 3 Patientiae mihi A. — 47, 4 prosit profutura B. — 47, 6 mei AGHL. — Str. 47 u. 48 umgestellt D. — 48, 5 Aroma reficeret A. — 48, 8 paradisi praestatis A. — 49, 4 nostro flori B.

III. 1, 4 pucis A. — 1, 5 Tu patris A. — 2, 3 mihi tu GH. — 2, 6 immutent calorem A. — 2, 7 Quae accendat, ferveat A; Quo accendor, ferveam GH. — 2, 8 ad tuum amorem A, tuum ad amorem GH. — 3, 2 mens cum prona A. — 3, 6 o fehlt A. — 4, 2 compunctionis GH. — 4, 4 a pollutione A. — 5, 1 Iesu tuos DL. — 5, 5 Peccatorum AG. — 5, 6 quibus G. — 6, 6 subleva B, sublevans D. — 6, 8 Me nunc imperfectum L, meum defectum B. — 7, 4 cordis A. — 9, 6 sparsisti L, perspexisti A. — 9, 8 protulisti G. — 10, 4 pudronum A, putationum B. — 10, 5 Quibus se A. — 10, 7 filium G. — 11, 6 hac mundi A. — 12, 1 te mei oculi L. — 12, 2 Iesu dirigantur L. — 12, 4 sol et luna A. — 13, 1 sqq. lauten in A:

Gustum meum provoca, o summa dulcedo,
Da te manu fidei tangere, quod credo,
Confirmetur opere, accedat pinguedo
Gratiae, sic illatis [l.: hilaris], non tristis incedo.

14, 1 Iesu tui capitis A. — 14, 3 Venerer B. — 15, 4 praebens B. — 15, 7 agis, pascor A, agas G, ago DH. — 15, 8 dulci fehlt GH; delectatione H. — 16, 7 me quod B; motu capitis A. — 16, 8 salvasti L. — 17, 4 anima prostrata B. — 17, 7 Modo eris DGHL, mihi deinceps L. — 17, 8 mihi sociata B. — 18, 8 non secure A; securiores DL. — 19, 1 Audies exaudies B; audiet exaudiet AGH; audiet et exaudiet DL. — 19, 2 cantum B. — 19, 5 reginam G, regina H. — 20, 1 Sub hoc A, gustu B. — 20, 3 Te a cunctis A. — 20, 5 Per haec A. — 20, 8 hic nolo ADL. — 21, 1 nomina A. — 23, 1 Hic me AB. — 23, 3 Laus aut vana gloria A. — 24, 1 confert A. — 24, 4 et regis L. — 25, 1 Sub hoc gestu A. — 25, 4 monens A. — 25, 5 Signas GH, sinas A, signans DL. — 25, 5 sq. und 25, 7 sq. umgestellt A. — 25, 8 ut nos tunc DL. — 26, 4 docueris A. — 26, 6 perieris A. — 26, 7 in vitio A. — 27, 2 substravit GH. — 27, 3 sui sanguinis GH. — 27, 4 pugnavit GH. — 27, 6 trucidavit GH. — 27, 8 per quod B, ambulavit GH. — 28, 1 Sub hoc AGH. — 30, 1 Vale Iesu lectio GH. — 30, 5 ornent B. — 31, 3 Melodias A, resonant AL. — 31, 4 mihi quae fomenta AGH. — 31, 5 Dent meo spiritui AGH. — 32, 3 Cantica A. — 33, 2 fiant imitatores A. — 33, 7 nostros conquerant A. — 34, 2 montes A. — 34, 3 tecum ne sint filii L. — 34, 8 dominentur A. — 35, 6 vexilla G, gestare H. — 36, 5 Audito hoc A. — 36, 8 vero prosequentur B. — 37, 1 sqq. lauten in A:

Sumamus audaciam in respiciendo
Per fenestram lateris viam intuendo
Viscera, tu proelia nostra promovendo
Praecede, victoriam confer subsequendo.

38, 5 latitudinem B. — 38, 6 extendat ADL. — 39, 2 mors fehlt A. — 40, 2 ad plante cognoscetur A. — 41, 3 sufficerent B. — 41, 6 respectum B. — 42, 5 sacro sanguini A. — 43, 5 sudamina B. — 45, 2 specula A. —

45, 3 tibi fac G, sit tibi B. — 45, 4 lectum B. — 45, 4 sq. und 45, 6 sq. umgestellt GH. — 45, 8 opus paenitentis A. — Hier schiebt D ein:

Pater benignissime, nate, sacrum flamen,
Mea prece gratiam dones, ut examen
Ultimum terrible fiat consolamen
In vi sacratissimae passionis. Amen.

46, 3 Tuo da A, Da mihi L. — 46, 5 ut fehlt A. — 47, 4 consolationis DGHL. — 47, 5 Quam vis A, es fehlt B. — 48, 7 teque frui B, fruique te DL. — 49, 3 facies A. — 49, 8 regem cum A, ut regnem G. — 50, 3 Carmen in G, memoria B. — 50, 6 te ipsum A, in donis AG. — B hängt noch folgende Strophe an:

Amen dicat caelitus chorus angelorum
Obstrepente cetera turba supernorum,
Et nos eia iugiter ad laudes ipsorum
Decantemus pariter, laus sic beatorum.

B bemerkt: „Sequitur planctus sancti Bernhardi abbatis“, von anderer Hand „seu granum passionis Domini“; fol. 80 b: „Explicit granum passionis Domini“; E: „Florida compassio beati Bernhardi“; F: „Experimentum probatum est. Si quis huius psalterii de passione Domini tres quinquagenas, quod etiam granum devotionis dicitur, omnibus sextis feriis coram crucifixo per quadragesimam devote dixerit in honore passionis Domini, absque dubio visitationem et illuminationem, gratiam et consolationem sancti spiritus sentiet et gratiam saluberrimam compunctionis et indulgentiam peccatorum consequetur. Et in ultima hora mortis huius praecipuam gratiam merebitur. Et sano sensu et bona ratione in fide, spe et caritate in oratione positus memor mortis Christi ad instar filii Dei animam suam in manus patris commendans et beato fine ex hoc mundo transiens feliciter morietur“; N: „Incipit granum devotionis beati Bernhardi abbatis distinctum in tres quadragenas.“ Diese und die anderen Tegernseer Hss. bezeichnen Strophe I 1 als „Prologus“. — V bezeichnet den Psalter fol. 96 b. als „Meditatio Anselmi de passione“. — Vgl. Hauréau, Des poèmes latins attribués à Saint Bernard, p. 78 sqq. In einen beschämenden Irrtum verfällt Hauréau, wenn er S. 79 meint: le perpersonnage que le poète met en scène, gémissant ou priant, parait être un roi, non pas un moine, und zum Beweise die mifsverstandene Strophe III, 24 anführt. — Dieses Psalterium findet sich gleichfalls in Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4588—91. — Orat. ms. Montis S. Georgii (ap. Goslariam) anni 1464. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1391.

III. Psalterium Iesu

Anonymi Cisterciensis.

Prima Quinquagena.

1. Ave, Iesu, beatorum
Spes et salus miserorum,
Dux et via tu iustorum,
Iter spernis impiorum.

2. Ave, candor purgans mentes,
In quem frustra fremunt gentes,
Invidorum nos rodentes
Et hostiles tunde dentes.

3. Ave, nomen dulce Iesus,
Tu de monte lapis caesus
Et vitalis mentis esus,
Ad te clamat homo laesus.

4. Ave, portae caeli clavis,
Iesu dulcis et suavis,
Ad te clamo corde gravis,
Qui quam mortem vitam mavis.

5. Ave, Iesu, dulcis sono,
Sume tuo super throno
Verba mea, quae propono
Pietatis tuae dono.

6. Ave, salus nostrae spei,
Miserere, quaeso, mei,
O dulcedo requiei,
Tu me sana, virtus Dei.

7. Ave, cuius semper ero,
Me ab hoste serva fero,
Te tutorem meum quaero,
In te, Iesu, quia spero.

8. Ave, nomen admirandum,
Orbi toto praedicandum,
Iesu, dulcis ad narrandum,
Nos accendas ad amandum.

9. Ave, Iesu mi benigne,
Nomen tuum ob insigne
Surge velox, ne maligne
Surgat hostis in nos digne.

10. Ave, passer solitaris,
Qui frequenter immolaris
Super tuis sacris aris,
Nunquam tamen consummaris.

11. Ave, Iesu, nosque serva
A progenie proterva
Hostis, ipse quem subnerva
Nosque tibi coacerva.

12. Ave, noster advocatus,
Ne in morte soporatus
Hosti tradar imparatus,
Per te surgam excitatus.

13. Ave, Iesu, rector morum,
Distributor meritorum,
Tu defectum studiorum
Supple, quaeso te, meorum.

14. Ave, Iesu, dulcis totus,
Per te sim in morte notus
Tuo sancto, quo promotus
Sanus fiam nunc aegrotus.

15. Ave, tu sollemnis festu,
Tu solamen es in maestu,
Carnis serva me ab aestu,
Quia Deus meus es tu.

16. Ave, Iesu, vis divina,
Aurem tuam huc inclina,
Ut me serves a ruina,
Tu vitalis medicina.

17. Ave, spei supplementum,
Omnis boni fundamentum,
Esto mihi firmamentum,
Iesu, laudis ornamentum.

18. Ave, dies tu diei,
Assis mihi, fili Dei,
Ne me vincant Amorrhaei,
Recordare, Iesu mei.

19. Ave, Iesu, dulcis quaeri,
De supernis fac videri
Et de Sion me tueri,
Ne me laedant hostes feri.

20. Ave, Iesu et meorum
Fave voci labiorum,
Ut consortem angelorum
Esse velis me tuorum.

21. Ave, cuius manus cruce
Sunt confossae, nos a truce,
Iesu, salva mortis duce
Ad fruendum tua luce.

22. Ave, Iesu, princeps fortis
Et caelestis dux cohortis,
Ne me perdat umbra mortis,
Educ de inferni portis.

23. Ave, Iesu, Dei manus,
Peto fide, quod sim sanus,
Hostis laedat ne profanus
Me vel timor mundi vanus.

24. Ave, puer nobis datus,
Peto corde tribulatus,
A te laeter consolatus,
A dolore sublevatus.

25. Ave, Iesu, de dilecto
Generatus patre recto,
Da, stent solo de prospecto
Pedes mei in directo.

26. Ave, Iesu, caeli rector,
Cordis mei tu prospector,
Aufer mala, quibus plector,
Vitae meae sis protector

27. Ave, Iesu mi, quem amo,
Ad te, Deus meus, clamo,
Solvas me ab eius hamo,
Quem vicisti crucis ramo.

28. Ave, leo, qui vicisti
Vique tuos rapuisti,
Et me quoque suscepisti
Nec indignum me sprevisti.

29. Ave, Iesu, contra morem
Quem effudit virga florem,
Te cognosco curatorem
Libans laudem et honorem.

30. Ave, Iesu, tibi iungar,
Tu medela, qua perungar,
Ut hic flendo nunc compungar,
In aeternum ne confundar.

31. Ave, quies mortuorum,
Iesu, salus tu vivorum,
Tectae, quaeso, sint meorum
Foeditates peccatorum.

32. Ave, Iesu, ac dignare
Servum tuum visitare,
Ut cum iustis exsultare
Dignus sim et te laudare.

33. Ave, Iesu, dulcis vere
Fac gustare, fac videre,
Quam benigne, quam sincere
Scias tuos possidere.

34. Ave, digne tu colende,
Iesu dulcis, huc intende,
Scutum tuum apprehende
Et ab hoste me defende.

35. Ave, Iesu, parce natis,
Dona, pater, dona gratis,
Ut nos poti simus satis
De torrente voluptatis.

36. Ave, patris tu sophia,
Iesu, vitae dux et via,
Os iustorum tu es quia
Carnem sumens de Maria.

37. Ave, Iesu, dulcis mire,
Tu me velis custodire,
Ut non possim interire
A furore tuae irae.

38. Ave, Iesu, da, quod crescat
In me donum nec tepescat,
Amor tuus non lentescat
Sed cor meum coalescat.

39. Ave, Iesu, quem vocavi,
Quem cognovi, quem optavi,
Pro amore tuo suavi
Te exspectans expectavi.

40. Ave, Iesu, meque sana,
Qui per multa fluxi vana,
In me, quod est tortum, plana,
Ut albescam velut lana.

41. Ave, Iesu, corda sanans,
Tu vitalis rivus manans,
Cor te meum fiat amans,
A te satiari clamans.

42. Ave, Iesu, fulgens clare,
Me dignare te laudare,
Quem collaudant astra, mare,
Vultus mei salutare.

43. Ave, pro salute datus,
Prece matris suscitatus,
Surge, Iesu soporatus,
Ne nos mergat mundi flatus.

44. Ave, Iesu, verbum bonum,
Non quod transit post hunc sonum,
Sed quod caeli regit thronum,
Pater ructat summum bonum.

45. Ave, Iesu, et adiutor
Esto meus atque tutor,
Si non ades, mox permutor,
Et peccati foedat putor.

46. Ave, Iesu, fac gaudentes
De te tuos praesumentes,
Cui plaudunt omnes gentes,
Te agnosce diligentes.

47. Ave, Iesu, rex sublimis
Et laudandus, magnus nimis,
Congregatos nos ab imis
Coaduna caeli primis.

48. Ave, tu qui semper vives,
Ne me fructu vitae prives,
Ubi, Iesu, tui cives
Simul pauper sunt et dives.

49. Ave, decus meritorum,
Fac ad sortem filiorum
Congregari me tuorum,
Iesu, Deus tu deorum.

50. Ave, Iesu, agne Dei,
Miserere, quaeso, mei,
Si quid quoque fero rei,
Tolle, robur nostrae spei.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, Iesu, ad quem fleo,
Dona mihi, lux de Deo,
Ne in corde velim meo
Gloriari ni in Deo.

2. Ave, Iesu, tu amarae
Dulcor mentis, fac me stare,
Te timendo trepidare
Nec in vanum declinare.

3. Ave, Iesu, ad solamen
Mitte nobis sacrum flamen,
Ut sit nobis adiuvamen
Tribulatis et levamen.

4. Ave, Iesu mi colende,
Me exaudi et intende,
Fletu mortis ab horrendae,
Te exoro, me defende.

5. Ave, Iesu, tolle metum,
Cerne malis me repletum,
In conspectu tuo fletum
Pone meum, fac me laetum.

6. Ave, Iesu, lumen clarum,
Mira facis nec est rarum,
Fac foveri sub alarum
Tegumento me tuarum.

7. Ave, Iesu, fac perfecte
Me studere in te recte,
Ne oberrem indirecte
Iustis tuis me connecte.

8. Ave, Iesu, tu me portes
Et bellantem me confortes,
Impiorum, en, cohortes
Irruerunt in me fortes.

9. Ave, Iesu, miseratus
Me infirmum, veni gratus,
Ne repellas me iratus,
Ne sim hosti praeda datus.

10. Ave, salus ex Iudaea,
Turris fortis et spes mea,
In me bonum quodvis crea,
Procul aufer quaeque rea.

11. Ave, Iesu, fide recta
Sursum mea mens subvecta,
Tibi digne sit subiecta,
Cuius dona stat erecta.

12. Ave, Iesu, qui peritas
Hostis fraudes cruce tritas
Atque tuos dote ditas
Meliori super vitas.

13. Ave, Iesu, flos de flore,
Corde peto, precor ore,
Ut me serves pio more
Inimici a timore.

14. Ave, Iesu, mea vota,
Oro, quod sint tibi nota,
Ut dum surgo fraude mota,
Reddam tibi illa vota.

15. Ave, Iesu, terrae, maris
Et astrorum rex vocaris,
Iure tuo non privaris,
Qui virtute dominaris.

16. Ave, Iesu, quem laudamus,
Ut te solum requiramus,
Da, in terra, te rogamus,
Viam tuam cognoscamus.

17. Ave, Iesu, tu virtuti
Manda tuae, qua adiuti
Ab incursu simus tuti
Hostis nequam et versuti.

18. Ave, Iesu, quos in imo
Cernis fixos et in limo,
Leva sursum nos de fimo
Et reforma loco primo.

19. Ave, valde tu serenus,
Iesu dulcis et amoenus,
Ad te malis multis plenus
Clamat pauper et egenus.

20. Ave, Iesu, vas mellitum,
Contra hostem valde tritum,
Mihi locum in munitum
Tu sis et tutorem citum.

21. Ave, Iesu, ad me stilla
De malorum duc favilla,
Ut mens mea sit tranquilla,
Oriatur pax in illa.

22. Ave, Iesu, cruce pressus
Meos, oro, fige gressus,
Ne discurram post excessus,
Sed quiescam in te fessus.

23. Ave, Iesu, creans stellas,
De peccatis me evellas,
Mundi feram ne procellas,
Ne in finem me repellas.

24. Ave, calix vini meri,
Quem non bibunt insinceri,
O mi Iesu, dulcis quaeri,
Fac te cito possideri.

25. Ave, Iesu, non sic tace,
Raptum mundi de fornace
Caritatis ure face,
Ut quiescam sic in pace.

26. Ave, Iesu, virtus pia,
Patris oro te sophia,
Es iucundus multum quia,
Tibi sit cor meum via.

27. Ave, panis angelorum,
Iesu cibus tu ciborum,
A languore me meorum
Refoveto vitiorum.

28. Ave, Iesu, mentes fundans,
Impollutus nos emundans,
Pietatis fons inundans,
Sis me servans et circumdans.

29. Ave, Iesu, pulchrum multum
Nobis praebe tuum vultum,
Et in nobis, quod est stultum,
Ad aeternum reduc cultum.

30. Ave, Iesu ver et aestas,
Omnis subest cui potestas,
Tu te tuis manifestas,
Quando mel et manna praestas.

31. Ave, iudex egenorum
Et defensor pupillorum,
Iesu, Deus tu deorum,
Stans in medio eorum.

32. Ave, Iesu, non tacebis,
Non mutesces, non silebis,
Donec omnes rehabebis
Tuos, post haec quos tenebis.

33. Ave, Iesu, quam beatum,
Quam iucundum quamque gratum
Ire tecum iam locatum,
O quam felix tale datum.

34. Ave, dator, spei certae,
Ad te, Iesu, nos converte,
Mala nostra tu subverte
Nec a nobis te averte.

35. Ave, fructus tu Mariae
Et calestis vas sophiae,
Fac me laetum, Iesu pie,
Ad te clamo tota die.

36. Ave, Iesu, bonus bonis,
Me de terra Babylonis
Suspirantem caeli thronis
Et sanctorum iunge sonis.

37. Ave, Iesu, tu salutis
Meae Deus et virtutis,
Da cum caelum te secutis
Requiescam locis tutis.

38. Ave, Iesu, in quo stabo,
Adiutorem te vocabo,
Quam sis pius, enarrabo,
In aeternum te cantabo.

39. Ave, Iesu, lux, lucerna,
Locum Dei da, pincerna,
Quo sint pace de superna
Dies mille ut hesterna.

40. Ave, Jesu, dulce merum,
Da, quod opto, fiat verum,
Ut sequatur, factor rerum,
Longitudo me dierum.

41. Ave, Iesu, amor veri
Cui bonum confiteri,
Fac ab hoste non terreri,
Sed in caelis me videri.

42. Ave, Iesu, qui decorem
Induisti post laborem,
Te agnosco creatorem,
Serva tuum laudatorem.

43. Ave, liber actionum
Tuque Deus ultionum,
Iesu bone, fac me bonum.
Hoc largire mihi donum.

44. Ave, cuncta qui creasti,
Terram manu qui fundasti,
Iesu, mortem qui gustasti
Pro mortali, quem amasti.

45. Ave, Iesu, dignus ludo,
Omnis in te pulchritudo
Tuque nostra sanctitudo,
Ex quo nostra fortitudo.

46. Ave, Iesu, pluens nubes,
Tu, rex regum, nulli subes,
In fervore ubi cubes,
Monstra nobis, da, quod iubes.

47. Ave, Iesu, dignus laude,
Vincens hostem plenum fraude,
Terra ergo omnis gaude
Atque manu simul plaude.

48. Ave, Iesu, nos heredes
Tuos caeli duc ad aedes,
Super Cherubim qui sedes
Nec abinde tu recedes.

49. Ave, qui de vera vite
In spem manas, Iesu, vitae
Eius, gentes, introite
In conspectum et servite.

50. Ave, Iesu, tu lux grata,
Caecitati nostrae data,
Luce frui nos optata
Via fac immaculata.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, Iesu, dulcis dici,
A te peto benedici,
Per quem mala multa vici
Exprobrantis inimici.

2. Ave, parens mis parentum,
Iesu, nostrum tu figmentum,
Quia nosti, fac proventum
Contra hostis tentamentum.

3. Ave, fructus benedictus,
Iesu, matris qui amictus
Luce fulges, fac, ne victus
Sim ab hoste nec relictus.

4. Ave, Iesu, nomen gratum,
Nomen pacis nobis datum,
Quod et ego invocatum
Quaero pacis advocatum.

5. Ave, Iesu salutaris,
Bene nempe sic vocaris,
Quia salus nobis daris
Et salutem meditaris.

6. Ave, petra fluens mella,
Unguentorum fraglans cella,
Iesu, mundi seda bella,
Stentque flatus et procella.

7. Ave, portus requiei,
Iesu, bone fili Dei,
Tu solamen cordis mei
Atque lebes meae spei.

8. Ave, Iesu, ac dignare
Laude mea te laudare,
Me egenum visitare,
A dolosis observare.

9. Ave, summa spes salutis,
Iesu, virga tu virtutis
Ad nos missa, sensum brutis
Atque verba redde mutis.

10. Ave, Iesu, dulcis menti,
Escam donans te timenti,
Memor esto testamenti
Et placare tuae genti.

11. Ave, Iesu, lux exorta,
Mala dele iam suborta,
In me plana, quae sunt torta,
Mortis procul absit porta.

12. Ave, Iesu, lux caecorum,
Laude dignus puerorum,
Tu deiector superborum,
Sublevator egenorum.

13. Ave, Iesu, robur meum,
Protectorem solum Deum
Te adoro, salva reum,
Ne devincat hostis eum.

14. Ave, Iesu, flos honoris,
Decor omnis tu decoris,
Quem circumdat vis doloris,
Me foveto cunctis horis.

15. Ave, Iesu, expers paris,
Calix, potus salutaris,
Ipse motus quo placaris
Et pro pace nobis daris.

16. Ave, salus, quam tenemus,
Aufer mala, quae, timemus,
Ut te, Iesu, fac, amemus,
In aeternum et laudemus.

17. Ave, Iesu, et de spinis
Peccatorum et ruinis
Salva, quaeso, me, ne minis
Hostis tradar belluinis.

18. Ave, Iesu, Iesu bone,
Legem ipse mihi pone,
Quam secutus actione
Tua fruar visione.

19. Ave, Iesu, lux beatis,
Tuis donis atque datis
Fac me laetum his sublatis,
Quae impugnant iam me gratis.

20. Ave, Iesu, ne dormites,
Surgunt hostes, en, immites,
Quorum ne formidem lites,
Tuis donis tu me dites.

21. Ave, Iesu, tu qui sedes
Et paternas regis sedes,
Ut caelestes super aedes,
Fac, sint stantes nostri pedes.

22. Ave, Iesu, regnans vere,
Fac nos semper te videre,
Qui te colunt nunc sincere,
Nostri, Deus, miserere.

23. Ave, Iesu, funde rivos
Pietatis super vivos,
Deus super omnes divos,
Solve tuos et captivos.

24. Ave, Iesu, gluten forte,
Me de peccatorum sorte,
Quaeso, trahe, ne me forte
Apprehendant mortis portae.

25. Ave, Iesu, tu quem scimus
Panem nostrum, retro imus,
Ni succurras, et perimus,
Consolati, fac, ut simus.

26. Ave, Iesu, ad me manum
Mitte tuam, fac me sanum,
Ut non frustra vel in vanum
Mundum sequar hunc profanum.

27. Ave, Iesu, dona gratis,
Dona multum, dona satis,
Laeter malis ut sublatis,
Qui te timent, cum beatis.

28. Ave, Iesu, dulcis fari,
Fac in bono me firmari,
Ut non possim expugnari,
Hostem iube infirmari.

29. Ave, Iesu, qui effundis
Pacem multam corde mundis,
Ad te clamo de profundis
Malis cunctis gemebundis.

30. Ave, Iesu, summum datum,
Sit, quod peto, tibi gratum,
Cordis mei rege statum,
Ne vilescat elevatum.

31. Ave, Iesu, lux diei,
Tu sis rector cordis mei,
O spes summa, fili Dei,
Quam elegi requiei.

32. Ave, bonum et iucundum,
Vas unguenti vasque mundum
Mundans omne, quod immundum,
Cor perunge vagabundum.

33. Ave, Iesu, quem amare
Aequum est et salutare,
Fac in domo tua stare
Et me semper te laudare.

34. Ave, Iesu, nomen suave,
Leni quidquid urget, grave
Et a malis nobis cave,
Preme fluxa mentis pravae.

35. Ave, Iesu, ipsum vernum,
Qui es bonus in aeternum,
Vultum placa tu paternum,
Procul esse fac Avernum.

36. Ave, Iesu, dives donis,
Super ripam Babylonis
Qui nunc flemus, fac tu bonis
Nos adesse caeli thronis.

37. Ave, quies tu laborum,
Iesu, laudes labiorum
Recommenda famulorum
In conspectu angelorum.

38. Ave, Iesu, lumen rectum,
Cui nihil est obtectum,
Cerne meum imperfectum
Atque leva iam deiectum.

39. Ave, Iesu, ac dignare
Me bellantem adiuvare,
Hostem possim ut fugare,
Eius gressus supplantare.

40. Ave, laudis vas immensum,
Meum, Iesu, rege sensum,
Verba mea ut incensum
Ad te petant sic accensum.

41. Ave, Iesu mi, post luctum
Da felicem hinc eductum
Atque caelis introductum
Fac haurire vitae fructum.

42. Ave, vas stillantis undae,
Menti meae sitibundae
Affluenter et abunde
Ipsum, Iesu, te infunde.

43. Ave, Iesu, et descende,
Tange mentem et accende,
Ut crementur in me mendae,
Oro Deus te colende.

44. Ave, Iesu, rex aeterne,
Rex immense, rex superne,
Doctor pacis et internae,
Quae me vincunt, mala cerne.

45. Ave, cordis mundans visum,
Iesu, stare fac elisum
Contra hostis me annisum
Fac intrare paradisum.

46. Ave, Iesu, totus mundus,
Psalmus decet te iucundus,
Assis mihi, ne me mundus
A te trahat furibundus.

47. Ave, Iesu, tu frumentum,
In Maria quod inventum,
Crucis venit ad tormentum,
Cordis mei pascementum.

48. Ave, Iesu, quem de caelis
Laudat omnis plebs fidelis,
Inter semen Israelis
Tu me quoque nosse velis.

49. Ave, Iesu, laus sanctorum,
Intus fac me tu decorum,
In te laeter, sis meorum
Supplementum gaudiorum.

50. Ave, Iesu summe bonus,
Suave cordis mei onus,
Angelorum tibi pronus
Digne plaudit dulcis sonus.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14528. saec. 14. A. — Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3 B. — Cod. Lambacen. CLXXXVI. saec. 14. C. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14538. anni 1404. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. E. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. F. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14841. saec. 15. G. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. H. — Orat. ms. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Maguntin. II. 151. I. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. K.

I. 2, 2 fremunt frustra AE. — 3, 3 O vitalis C, Et in caelis mentis B. — 4, 3 Ad te clamitat cor B. — 7, 2 hoste salva B. — 12, 3 Hostis cedat B. — 13, 4 tu meorum E. — 18, 1 dives tu A. — 21, 3 solvas duce A. — 22, 3 perdant umbrae B. — 25, 3 te perfecto B. — 26, 2 conspector B. — 28, 3 Et me reum B. — 35, 1 per te natis B. — 38, 2 ne A. — 38, 3 ne latescat A. — 38, 4 meum contabescat B. — 39, 2 cognosco B. — 40, 3 Im me tortum quod est ACE. — 44, 2 Nunquam transit B. — 45, 4 pudor A. — 46, 2 Doce tuos C. — 46, 3 Tibi plaudent B. — 49, 4 Ubi Deus es deorum B. — 50, 1 agnus A.

II. 1, 1 ad fehlt B. — 3, 1 Iesu consolamen C. — 6, 2 est carum B. — 9, 4 Et sim A. — 14, 4 mea vota B. — 17, 4 ac versuti B. — 19, 1 vale B. — 28, 3 fons iucundans B. — 29, 1 pulcher B. — 34, 4 tu averte C. — 37, 3 Da te mente (?) cum secutis B. — 41, 1 Ave tu amator veri B. — 44, 2 Certa manu qui B. — 47, 3 Terra omnis ergo B. — 48, 2 duc ad sedes B. — 48, 4 vi recedes B.

III. 8, 4 A doloque B. — 17, 3 ne me B. — 17, 4 tradat BE. — 20, 2 non mites B. — 25, 3 en perimus B. — 33, 4 vacabundum A. — 34, 2 Veni quidquid B. — 39, 4 Atque gressus B. — 40, 4 petat et ascensum B. — 42, 4 tu infunde B. — 45, 3 me amissum B; Contra hostem me invisum AE. — 46, 1 donis mundus A. — 47, 3 venis C. — 47, 4 pasce mentum A. — 50, 4 dulce sonus A.

Diesem Psalterium geht in A und I folgender „Prologus in subiectum opusculum“ vorher:

Rhythmis et sensu verborum consociatum
Psalterium Iesu, sic est opus hoc vocitatum,
Qui legit intente, quocunque dolore prematur,
Sentiet inde bonum, dolor eius et alleviatur.

Ergo pius legat hoc eius sub amore libenter,
Cuius ibi nomen scriptum videt esse frequenter.
Edidit hoc carmen quidam monachus Griseorum
Ad laudem Domini Iesu studiumque bonorum.

B hat nur die beiden letzten Verse, G nur den vorletzten, B am Schlusse: „Explicit psalterium Domini nostri Iesu Christi, editum ad laudem Domini nostri a quodam reverendo patre ordinis Cisterciensis.“ Da das Psalterium nur in deutschen Handschriften auftritt, scheint der Schlufs berechtigt, dafs es in Deutschland verfafst worden.

IV. Psalterium de D. N. Iesu Christo.

Prima Quinquagena.

1. Ave, Iesu, lignum mite,
Lignum, inquam, vitis vitae,
Quae salutem edidit,
Ligno mundus est peremptus,
Ligno rursus est redemptus,
Cum Iudas te vendidit.

2. Ave, Iesu, miserere
Pecatoris et medere
Meae mentis intima,
Qui pro nobis es benigne
A Iudaeis sed indigne
Probra passus plurima.

3. Ave, Iesu, vox amoena,
Vox suavis, vox serena
Vox plena laetitiae,
Sana, precor, sauciatum,
Serva tibi Deo datum
Ab hoste malitiae.

4. Ave, Iesu, qui dormisti,
Qui sepultus iacuisti
Terrae sub umbraculo,
Felix miles te potavit,
Semel latus perforavit
Crucis in patibulo.

5. Ave, Iesu, quem adorant
Omnes gentes et exorant
Dicentes: salvifica;
Igne sancto meos ure
Renes et cor, ut te pure
Laudem laude caelica.

6. Ave, Iesu, in furore
Non me tuo vel ardore
Igni tradas hostium,
Paenitentis mentem sana,
Mala cordis, oris vana,
Carnis dele vitium.

7. Ave, Iesu, iudex iustus,
Ira cares, vindex pius,
Mitis atque patiens,
Oro, ne nostras rapiat
Animas vel inficiat
Adversator saeviens.

8. Ave, Iesu, splendor patris,
Qui beasti ventrem matris,
De qua carnem sumeres,
Sub qua Deus latitasti
Sicque eos provocasti,
Ut hostes deciperes.

9. Ave, Iesu, legis lator,
Esto meus gubernator
Nunc semper et ubique,
Ut fidei sim amator
Atque legis conservator
Mariae matris opere.

10. Ave, Iesu, verbum patris,
Vitae via, vas virtutis,
Per beata viscera,
Cuius carnem induisti
Emisso ave caelesti,
Sana nos et libera.

11. Ave, Iesu, summum bonum,
A quo venit summum donum,
Corpus sumens fragile,
Tu veritatis abyssus,
Te respuit omnis coetus,
Signum delectabile.

12. Ave nostri mediator,
Iesu, mundi reparator,
Qui salvas et perimis,
Dele mentis pravitatem,
Daemonibus potestatem
Qui confers et adimis.

13. Ave, Iesu, nos respice
Servos tuos et refice
Caelesti dulcedine,
Stultus stulta meditatur,
Ei lectus superatur
Phantasmatum turbine.

14. Ave, Iesu, puritatis
Auctor, pacis, veritatis,
Custos innocentiae,
Ex hoc mundo triumphare
Fac me, precor, et calcare
Principem superbiae.

15. Ave, Iesu, Deus meus,
Ad te clamat omnis reus
Clementem, propitium,
Tu es vitae via, strata
Paenitenti usque grata
Tendenti ad praemium.

16. Ave, Iesu, summus amor,
Te moveat meus clamor
Ad misericordiam,
Dono tuae pietatis
Igne dele caritatis
Peccaminum copiam.

17. Ave, Iesu, robur meum,
Qui confringens calcaneum
Adversantis zabuli,
In hac vita me conforta
Et ad gregem me comporta
Tui tabernaculi.

18. Ave, Iesu, dies clara,
Quem non capit mens amara
Nec nutantis oculi,
Tuum nomen veneratur
Ab omnibus et laudatur
In saeculum saeculi.

19. Ave, Iesu, rex caelorum,
Pia prece supernorum
Emunda nos vitio,
Dum recordor tuam necem,
Pone, precor, nostram precem
In caeli sacrario.

20. Ave, Iesu, rex suavis,
Qui ad instar laetus avis
Repetisti supera,
Tibi preces offerimus,
Exaltatum te credimus
Supra caeli sidera.

21. Ave, Iesu, spes sanctorum,
Te vesana Iudaeorum
Turba morti tradidit,
Te flagellis ceciderunt,
Cruci demum adfixerunt,
Ut scriptura prodidit.

22. Ave, Iesu, cuius mensa
Fidelibus est extensa
Longe, late populis,
Hac in mensa immolatur
Agnus ille, quo mundatur
Mundus plenus maculis.

23. Ave, Iesu, qui creasti
Caelum terramque fundasti
Et fecisti maria,
Qui creator es omnium,
Cordi meo da gaudium,
Quod expellat vitium.

24. Ave, Iesu, mundi salus,
Cuius dono homo lapsus
Rediit in patriam,
Tu veritas, vita, via,
Via, inquam, mitis, pia
Et monstrans iustitiam.

25. Ave, Iesu, in supernis
Sedens preces qui non spernis
Tuorum fidelium,
In directum siste pedem
Meum deduc et ad sedem
Supernorum civium.

26. Ave, Iesu, salus mea,
Roboretur tuo mea
Virtus adiutorio,
Te Iudaei reliquerunt,
Sed angeli susceperunt
Cum ingenti gaudio.

27. Ave, Iesu, cuius caro
Poenam ferens ab amaro
Nos purgat contagio,
Meam mentem castam serva,
Ne daemonum hoc proterva
Corrumpat incursio.

28. Ave, Iesu noster, ave,
Mundi reparator a vae
Crucis ferens pondera,
A Chaldaeis veneraris
Et a magis adoraris,
Dantque tibi munera.

29. Ave, Iesu, qui sanasti
Luctum Adae protoplasti
Eiusque propaginis,
Es angelis minoratus,
Cum es nostri recordatus
Corpus sumens virginis.

30. Ave, Iesu, beatorum
Vita, panis angelorum
Caeli dans delicias,
Esto mihi fulcimentum,
Contra hostes munimentum,
Ut salvum me facias.

31. Ave, Iesu, laetitia
Summi patris et gloria,
Sanctorum praesidium,
Fere meum inimicum
Et cor mihi da pudicum,
Iesu, factor omnium.

32. Ave, Iesu, quo beatus
Grex est ille dealbatus
Supernarum virginum,
Verbo tuo spiritales
Recreantur et carnales
Te cognoscunt Dominum.

33. Ave, Iesu, cuius dono
Reficitur omnis homo
Puraque sententia,
Nos amare, quod praecipis,
Fac, ne daemonum principis
Fallamur astutia.

34. Ave, Iesu, cuius minis
Cedunt hostes, venit finis,
Ut iudices homines;
Arma, scutum apprehende,
Deus pie, me defende
Cum sanctis et ordines.

35. Ave, Iesu, fons amoenus,
De quo rivus manat plenus
Caelesti dulcedine,
Fac, ut tecum gloriemur
Et aeternae sociemur
Vultus tui lumine.

36. Ave, Iesu, qui diligis
Veritatem et eligis
Pauperes in saeculum,
A gladio peccatoris
Et a lingua detractoris
Serva tuum famulum.

37. Ave, Iesu, cuius verba
Semper virent velut herba
In sanctorum cordibus,
Lumbis meis castitatem
Dona, menti puritatem,
Cor reple virtutibus.

38. Ave, Iesu Christe, vias
Illas mihi monstra pias
Ducendo ad patriam,
Finem meum respicito,
Dono tuo gratuito
Dona mihi veniam.

39. Ave, verbum speciale,
Genus regens hoc mortale
Tua sapientia,
Immitte ori canticum,
Ut supremum te medicum
Laudem in ecclesia.

40. Ave, Iesu, quem proditum
Confitemur et venditum
A viro perfidiae,
Intellectum da serenum,
Quo vitemus hostem plenum
Spiritu fallaciae.

41. Ave, Iesu, vox fidelis,
Quem despicit infidelis
Sepultus in vitiis,
Te sitio fontem vivum,
Repara me fugitivum
Sanctorum deliciis.

42. Ave, Iesu, verus homo,
Qui deceptum Adam pomo
Reducis ad superos,
Paradisi voluptate,
Vultus tui claritate
Refice nos miseros.

43. Ave, Iesu, rector meus,
Caeli, terrae verax Deus,
Qui custodis Israel,
Contra meos hostes pugnet
A te missus Michael
Archangelusque Gabriel.

44. Ave, Iesu gloriosus,
Homo forma speciosus
Prae filiis hominum,
Per te mihi remittatur
Ac de corde propellatur
Multitudo criminum.

45. Ave, qui nos laetificas
Et exaltans glorificas
In superna patria,
Donum benigni spiritus
Transmitte nobis caelitus
Tua, Iesu, gratia.

46. Ave, sub cuius manibus
Subicitur et pedibus
Gens amica proelii,
Fac nos tuos amatores,
Ut caelestes possessores
Efficias gaudii.

47. Ave, Iesu, qui laudandus
Es a nobis, quo salvandus
Mundus erat perditus,
Tu, rex regum dominator
Veritatis et amator.
Es a nobis cognitus.

48. Ave, qui nos redemisti
Et in cunis iacuisti
Parvoque praesaepio,
Frater noster effectus es
Per carnem, quando natus es
Divino consilio.

49. Ave, Iesu, qui congregas
Bonos et malos segregas
A tuo consortio,
Ne me velis deputare
Cum impiis et damnare
Tremendo iudicio.

50. Ave, Iesu, fili Dei,
Miserere, precor, mei
Per misericordiam,
Munda mundum hunc immundum
Et cor in me crea mundum
Visitans per gratiam.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, qui non gloriaris,
Iesu Christe, nec laetaris
Morte pereuntium,
Fac nos tibi oboedire,
Ut possimus pervenire
Ad tuum consortium.

2. Ave, Iesu, qui deseris
Superbos, nobis miseris
Fac opem celeriter,
Te Dominum invocamus,
Pro peccatis exoramus
Te Deum humiliter.

3. Ave, Iesu, nos eripe
Ab hostibus et suscipe
In aeterna requie,
Laudes audi cum precibus,
Quas tuae praesens auribus
Offero clementiae.

4. Ave, Iesu, qui parasti
Tibi pennas et volasti
Caeli petens gloriam,
Tu daemonum temptamenta
Superasti fraudulenta
Per assumptum hominem.

5. Ave, lucis altitudo,
Quem inspicit multitudo
Virtutum caelestium,
Tu puerorum puritas,
Te peperit virginitas
Ad salutem omnium.

6. Ave, Iesu, rex caelorum
Pia prece supernorum
Emunda nos a vitio,
Dum recordor tuam necem
Pone, precor, meam precem
In caeli sacrario.

7. Ave, Iesu, cuius nomen
In Israel velut omen
Primitus est cognitum,
Illic arma confregisti
Et de caelis transmisisti
Spiritum paraclitum.

8. Ave, tu, cuius oculi
Pro remedio populi
Tulere vigilias,
Tuam plebem traduxisti
Per mare, quo demersisti
Phalangas Aegyptias.

9. Ave, Iesu, vitae pastus,
Cuius sapor pellit fastus
Et cruores criminis,
Panem caeli contulisti
Populo, quem eduxisti
De terra caliginis.

10. Ave, nostra professio,
Quam acquirit oratio
Puraque confessio,
Hanc hi digne mercati sunt,
Qui te Deum secuti sunt
Corporis martyrio.

11. Ave, Iesu, qui milibus
Caeli praees virtutibus
Per summam potentiam,
Per te vitam aetheream
Humanam regi vineam
Oramus per gratiam.

12. Ave, granum triticeum,
Quod comprimit aculeum
Famis et infamiae,
Hoc frumento reparatur,
Qui te Deum veneratur
Cum cultu iustitiae.

13. Ave, Iesu, doctus scriba,
Tua lege tuos ciba
Iudex factus pauperis,
Hominibus, quos plasmasti,
Qui pro nobis decertasti,
Miserere miseris.

14. Ave, cui non est similis,
Licet ad tempus flebilis
Et ferens convicia,
Adversum te sonuerunt,
Qui te clavis confixerunt
Furentes insania.

15. Ave, Iesu, quam beati
Sunt, qui purae castitati
Serviunt attentius,
Te turturem imitantur
Et columbam venerantur,
Qui es Dei filius.

16. Ave, per quem iniquitas
Aboletur et veritas
Nostras replet animas,
Iram tuam, quam meremur
Pro peccatis, quis tenemur,
Oramus, ut comprimas.

17. Ave, Iesu, nos custodi,
Ne permittas nos corrodi
Peccatorum vermibus,
Qui te suum refugium
Statuunt et praesidium
Continuis precibus.

18. Ave, per quem est creata
Super caelos exaltata
Caeli terrae domina,
Quae pro nobis preces fundat
Tibi et in caelis condat
Nos et nostra crimina.

19. Ave, Iesu, cuius noti
A te mecum sunt remoti
Prope mortis terminum,
Illic matrem commendasti
Discipulo, quem amasti
Supra natos hominum.

20. Ave, Iesu specialis,
Deo patri coaequalis
Et sancto spiritui,
Te peperit virgo mater,
Tibi dixit Deus pater:
Hodie te genui.

21. Ave, Iesu, flos de spina,
Stirpe natus ex canina,
Iudaeorum populo,
Qui venturum te noverunt,
Incarnatum contempserunt
Locantes in tumulo.

22. Ave, lapsi reparator,
Arcanorum reserator,
Cognitor consilii,
Hic scapulis nos adumbra,
Deposita carnis umbra
Te das in ius praemii.

23. Ave, Iesu, qui sanctior
Omnibus et humilior
In nostra substantia,
In arborem ascendisti,
Fructum eius collegisti,
De quo manat venia.

24. Ave, Iesu, rex decore,
Qui tuorum ex amore,
Subintrasti virginem,
Carne tectus qua prodisti,
Ut dilectum, quem fecisti,
Reciperes hominem.

25. Ave, Iesu, qui de caelo
Descendisti carnis velo
Trabeatus paupere,
Creaturam, quam formasti,
Pietate visitasti
Sedentem in pulvere.

26. Ave, Iesu, leo fortis,
Qui destructa lege mortis
Caeli portas aperis,
Tu virtutem potentium,
Fastus superbientium
Dissipas et conteris.

27. Ave, Iesu, rex Israel,
Qui Tobiae per Raphael
Illuminas oculos,
Per te ipsum descendisti,
Pretiosa redemisti
Passione populos.

28. Ave, Iesu, qui commoves
Terram, cum vis, et amoves
Principes de solio,
Nos pro vino vinearum
Imbre riga lacrimarum,
Ut purgemur vitiis.

29. Ave, Iesu, quem reclamo,
Ut liberes me, ne hamo
Capiar venantium,
Tu pharetra, tu clipeus,
Tu gladius argenteus,
Turris te timentium.

30. Ave, Iesu, cui subditur,
Quidquid fine concluditur
Viventi perenniter,
Mea nimis infirmatur
Mens, nam a te separatur
Delinquendo iugiter.

31. Ave, Iesu, quem sitio,
Iram pelle cum iurgio,
Nostra serva corpora,
Dulcedine castitatis
Et fraternae caritatis
Nostra reple pectora.

32. Ave, Iesu, ne terrore
Terreamur vel livore
Subruamur hominum,
Nos custodi venatoris
A sagitta deceptoris,
Rumpe nexus criminum.

33. Ave, Iesu, lux dierum,
Qui temperas vices rerum
Accinctus potentia,
Imbre terram inebrias,
Hominibus delicias
Praeparas ex gratia.

34. Ave, Iesu laudabilis,
Consilio terribilis
Super natos hominum,
Te laudamus iubilando,
Confitentes venerando
Caeli terrae Dominum.

35. Ave, Iesu, miserere,
Nostri quoque recordare,
Benedic et dirige,
Ut te Deum diligamus
Et post mortem convivamus
Tecum, tu nos erige.

36. Ave, pater orphanorum,
Consolator miserorum,
Miserator pauperum,
Tu, Iesu, es mons montium,
Humilitas humilium,
Relaxator scelerum.

37. Ave, Iesu, qui cibatus
Es pro nobis et potatus
In amaritudine,
Non avertas a pueris
Vultum tuum, cum videris
Nudatos velamine.

38. Ave, Iesu convertantur,
Erubescant, conterantur,
Qui me quaerunt perdere,
Ego dolens et egenus,
Quem inquinat carnis Venus,
Ne me libem libere.

39. Ave, Iesu, cui canimus,
Cuius opem expetimus
Devotis carminibus,
Purga mentes et labia
Sonis tibi praeconia,
Ut reddamus dulcibus.

40. Ave, cuius potentiam
Reges et sapientiam
Venerantur supplices,
Te magnates contremiscunt,
Vultum tuum concupiscunt
Caeli terrae supplices.

41. Ave, Iesu, qui bonus es,
Deus homo qui factus es,
Ut salvares omnia,
Cor a nobis lapideum
Aufer et da cor carneum
Pro tua clementia.

42. Ave, Iesu, memor esto
Tuae gentis, mihi maesto
Da caeleste praemium,
Leva manum contra gentes
Adversum nos erigentes
Linguae suae gladium.

43. Ave, Iesu, qui populum
Caeleste donans poculum
Instruis humiliter,
Ni me clemens respexeris
Et iuvamen intuleris,
Labens cadam graviter.

44. Ave, Iesu, qui omnibus
Praees diis ac gentibus,
Rex clemens, amabilis,
Quidquid caelo continetur
Vel in terris possidetur,
Factor es laudabilis.

45. Ave, cuis principatus
Comprehendit mundi status
Sui magnitudine,
Ad te tui cum amore
Perveniunt et honore
Colorati sanguine.

46. Ave, Iesu, cuius regnum,
Non caducum sed aeternum
Creditur ab omnibus,
Qui te toto corde credunt
Deum regem nec discredunt
Praeesse caelestibus.

47. Ave, Iesu, cui cantica
Nova dulci cum musica
Decantat ecclesia,
Nam laudes et praeconia
Solemnisque laetitia
Decantat per omnia.

48. Ave, verbum mirabile,
Nomen inenarrabile,
Sanctum et terribile,
Per quod mundus stabilitur,
Porta caeli aperitur
Potens et laudabile.

49. Ave, qui cordis iubilo
Mentem emundas nubilo
Noctis et invidiae,
Caeli patefac aditum,
Ut post carnis depositum
Luce fruamur gloriae.

50. Ave, Iesu, qui timorem,
Superbiam et livorem
Detestaris hominis,
Purga me ab illecebris,
Ut actu, mente, palpebris,
Paveam viam criminis.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, Iesu, qui temporis
In fine nostri corporis
Assumptam imaginem
Transtulisti ad sidera,
Supernis monstrans vulnera
Assumpta propter hominem.

2. Ave, supremum gaudium,
Qui nostrum desiderium
Sanas in hominibus,
Tu, Deus, es refugium
Ministrans adiutorium
In te confidentibus.

3. Ave, Iesu, qui spiritum
De sublimi paraclitum
Transmittis hominibus,
Olim linguas divisisti,
Has in unam collegisti
Ultimis temporibus.

4. Ave, petra, de qua manat
Medicamen, quod nos sanat
In oboedientia,
Super petram hanc fundata
Nostra mater benedicta
Noscitur ecclesia.

5. Ave, Iesu, dux omnium,
Flos et decus regnantium,
Quo reguntur omnia,
Te victimam obtulisti
Patri mundam, quod fecisti
Per crucis supplicia.

6. Ave, qui sitientibus
Potum, esurientibus
Escam das et avibus,
Summae Sion civitatem
Tuis confer, claritatem
Eius dona fratribus.

7. Ave, Iesu, meum para
Cor et renes, ut in ara
Crucis Dei filium
Te cognoscam cum amore,
Tuo mercer et honore
Cursus tui bravium.

8. Ave, cuius ieiunium
Nostrum fuit remedium
Nostraque refectio,
Nos pupilli sine patre
Degimus, non sine matre
Sub tuo dominio.

9. Ave, praesul et victima,
Peccati per quem anima
Solvitur a maculis,
Ad dextram patris resides,
Cunctos excellens praesides
Auri cinctus cingulis.

10. Ave, patris prudentia,
Contra quem sapientia
Humana nihil proficit,
Duc nos regens ad gaudia,
Ducat, ubi spurcitia
Foeda nullum pellicit.

11. Ave, lumen de lumine,
De patre, sed non homine,
Natum ante saecula,
Demum in fine temporis
In forma nostri corporis
De matre virguncula.

12. Ave, nomen benedictum,
Quod abolet maledictum
Primis datum patribus,
Illud nomen mutat mores,
Ornat suos amatores
Optimis virtutibus.

13. Ave, Iesu, lator legis,
Qui superna potens regis,
Salva nos a barbaris.
Educ nos de miseria,
Qua tenemur, et copia
Tui reple nectaris.

14. Ave, bonus Samarita,
Mundi custos, mundi vita,
Mundi reparatio,
Fac parvulos sine dolo
Nos degentes in hoc solo
Gratos tuo solio.

15. Ave, qui culpae silicem
Per passionis calicem
Ad nihilum redigis,
Ego mendax et impius,
Sed tu verax et serius,
Corrige, quae diligis.

16. Ave, dignus omni laude,
Mitis, clemens sine fraude,
Qui fracta consolidas,
Nos caelestis custodia
Protegat, ne inertia
Mentes reddat sordidas.

17. Ave, Iesu, lapis fortis,
Qui conteris portas mortis
Et magias Simonis,
Hoc lapide liberamur,
Qui Christus est, et armamur
Contra vires daemonis.

18. Ave, qui rex omnium,
Finis es et principium,
Divina substantia,
Qui quaerunt te, benedicti,
E diverso maledicti,
Qui sectantur noxia.

19. Ave, per quem erigimur,
Per quem stantes eripimur
Gehennae incendio,
Carbone sancti spiritus
Accende nos divinitus
Purgans nos a vitio.

20. Ave, Iesu, qui non dormis,
Licet nobis sis conformis
Pro salute Israel,
Nostrum servet introitum,
Praestoletur et exitum
Missus a te Michael.

21. Ave, pax indeficiens,
Turris, qui tuos muniens
Contra carnis vitia,
Hanc da nobis sine mora,
Ut proxima mortis hora
Sis muneris gloria.

22. Ave, qui caelos habitas,
Humilis et humilitas
Et virtutum Domine,
Ad te levamus oculos
Hymnos reddimus sedulos,
Ut ancillae dominae.

23. Ave, Iesu, nos intende
Nostro curam et impende
Medicando vulneri,
Tu laqueos mortiferos
Evasistique inferos
Comparatus passeri.

24. Ave, Iesu, corripiens
Virga, nefandos puniens,
Iram seda populi,
Ne relinquas peccatorum
Virgam super sortem horum,
Qui tui sunt famuli.

25. Ave, cuius auxilio,
Spirituali gaudio
Replemur et gloria,
Da, ut per quae seminamus
Te donante capiamus
Aeterna remedia.

26. Ave, custos civitatis
Summae Sion, tribulatis
Corde da laetitiam,
Ne in vanum laboremus
Vel de mane vigilemus
Te rogantes veniam.

27. Ave, Iesu, vir beate,
Castus timor nobis a te
Permanens in saeculum,
Adveniat, qui nos regat,
Ne in nobis amor degat
Mentis turbans oculum.

28. Ave, Iesu, par homini
Glorificantes nomini
Tuo benedicimus,
Tu cervices peccatorum
Caedas iustus impiorum,
Piorum piissimus.

29. Ave, misericordia,
Flagitiorum venia,
Multiplex remissio,
De profundis me clamantem
Et pro posse deprecantem
Tuo iunge solio.

30. Ave, cuius cor elatum
Non est sed humiliatum
Excelsis aspectibus,
Tuis siste me curatum,
A sordibus emundatum,
Atque patris vultibus.

31. Ave, dulcis alvi fructus,
Per quem finem sumit luctus
Humanae miseriae,
Super thronum resedisti
David, cum te induisti
Stola pudicitiae.

32. Ave, Iesu, quam bonum est
Te laudare, quam sanctum est
Fratres in te vivere,
Tu balneum, quo lavatur,
Et unguentum, quo sanatur,
Quidquid est in vulnere.

33. Ave, decus dominorum,
Qui facis velle tuorum
Te glorificantium,
Extollimus cotidie
Manus ad te meridie,
Nocte, lumen noctium.

34. Ave, vivens in aeternum,
Iesu, nomen sempiternum
A patre susciperis,
Ne iudices ut damnatos
Nos, sed nutri ut salvatos
In pace recipiens.

35. Ave, potus et pabulum,
Quod consolatur populum
Defectum inedia,
Solem, lunam tu fundasti,
Universa tu creasti
In terris viventia.

36. Ave, lumen nectareum,
Iubar fundens aethereum,
Illuminans hominem,
Praesta, ne simus silices,
Ut infecundae salices
In sanctorum ordinem.

37. Ave, Iesu, cui merito
Inclinamur ut inclito
Et factori omnium,
Cum sanctorum virtutibus
In organis et vocibus
Te laudamus filium.

38. Ave, cuius scientia
Mirabilis, potentia
Potens et terribilis,
De sepulcro surrexisti,
Quo devicta iacuisti
Morte, victor nobilis.

39. Ave, beata pietas,
Adversum quem impietas
Linguam suam acuit,
Erue me de pedica
Malignorum inimica,
Quae fraus tuis posuit.

40. Ave, salus pacifica,
Virga mitis, thurifica
Pertransiens omnia,
Odore cuius mortui
Reviviscunt et in tui
Assistunt praesentia.

41. Ave, fidelis portio,
Defende nos in proelio
Futuri examinis,
Ne peccata respicias
Vel laesas conscientias,
Qui rector es hominis.

42. Ave, via gloriosa,
Quam despicit frontuosa
Turba malignantium,
Precor, ut spiritum meum
Ducas per spiritum sanctum
Ad caeli fastigium.

43. Ave, cuius digiti
Potestates dispositi
Debellant aereas,
Subde nobis malignantes
Atque tuos impugnantes
Turbas adversarias.

44. Ave, mitis universis,
Ut amicis sic aversis
Spondes indulgentiam,
Ex corde si paeniteant
Et a malis abstineant
Deprecantes veniam.

45. Ave, clavis carceralis,
Libera nos, ne poenalis
Tartarus absorbeat,
Qui promittit, ut avertat,
Insequitur, ut pervertat,
Instigat, ut teneat.

46. Ave, Iesu, qui numeras
Stellas solus innumeras
Divina scientia,
Harum solus cognovisti
Cursus, loca, quas fecisti,
Cum patris essentia.

47. Ave, porta deaurata,
In ascia non dolata
Nec lita bitumine,
Per te decus castitatis
Floreat integritatis
Meo flos in homine.

48. Ave, rex, qui caelestium
Voce laudaris omnium
Nec non et terrestrium,
Nam amovisti rompheam
A porta caeli flammeam
Mittens in exsilium.

49. Ave, quem chordis, organo
Una cordis cum tympano
Collaudat ecclesia,
Tua nobis memoria
Sit ad praesens laetitia
Et merces in patria.

50. Ave, virtus eximia,
Columna portans omnia,
Caelica, terrestria,
Illustra nostras caelitus
Mentes, ut omnis spiritus
Te laudet per saecula.

Orat. ms. Caelestin. Parisien. saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 419. A. — Orat. ms. Caelestin. Meten. saec. 15. Cod. Meten. 571. B. —

I. 16, 2 calcuneum A. — 16, 3 Adversitatis A. — 25, 1 sq. das doppelte mea in beiden Hss.

II. 6, 1 sqq. schon oben I 18, 1 sqq. — 24, 3 ab amore A.

III. 5, 5 mundans A. — 10, 6 nulum fefelit A. — 15, 5 et serenus A. — 26, 5 de fehlt A. — 29. 1 sq. umgestellt A. — 30, 3 Excelsus A.

Dafs dieser Psalter von einem französischen Dichter herrührt, verrät der Reim II 18, 4 sq.

V. Psalterium de D. N. Iesu Christo
auctore Hieronymo de Werdea.

Prima Quinquagena.

1. Iesu, da quod canimus
in psalmis, ut sequamur,
Ne ab infidelium
errore seducamur,
Nam primi nos materia
psalmi sic informavit,
Quae aliis ut prologum
Esdras sic adaptavit.

2. Iesu, qui per os David
olim cecinisti,
Cur gentes fremuerunt?
et nobis subvenisti,
Tuam per passionem
a paganis et malis
Hominibus nos liberans
protege sub alis.

3. Iesu, qui sanctum David
illaesum praeservasti,
A facie dum Absalon
fugit, liberasti,
Ne nos ab hominibus,
qui tribulant, vexari
Nec sinas a daemonibus,
qui temptant, superari.

4. Iesu, qui salvas David,
dum in modum coronae
Saul et exercitus
hunc cingunt, Iesu bone,
Sicut ei laetitiam
tunc dederas, sic dona,
Ut nunc et omni tempore
pace fruamur bona.

5. Iesu, qui cantoribus
psalmorum praestitisti,
Quod eos tua gratia
victores effecisti,
Nos, dum psalmos canimus,
exaudi supplicantes,
Pro hostium victoria
devote te rogantes.

6. Iesu, qui punis David
populum censentem
Et misericorditer
acceptas paenitentem,
Tuae nobis gratiae
dona largitatem,
Delens per paenitentiam
nostram pravitatem.

7. Iesu, qui parcis David,
quod ignoranter peccat,
Dum Doech iussu Saulis
sacerdotes necat,
Parce nobis, Domine,
qui ignoranter multum
Peccamus sine numero,
hoc transeat inultum.

8. Iesu, qui meruisti
per tuam passionem
Coronam et gloriam
et exaltationem,
Nobis patientiam
et alia condona,
Per quae regni perpetui
acquiritur corona.

9. Iesu, qui psalmo nono
ob datam potestatem
Tibi iudiciariam
exsultans laudas patrem,
In extremo iudicio
ne nobis, quaeso, *Ite*,
Sed ad dextris stantibus,
o Iesu, dic *Venite*.

10. Iesu, qui regem David
ad Moab fugientem,
Iubente propheta Gad
inde revertentem
In te facis confidere,
ne quid ei molesti
Contingat, sic nobiscum fac,
quando sumus maesti.

11. Iesu, qui de Ceyla
dum David fugiebat,
Quem ingratus populus
tradere volebat,
Salvasti, sic salva nos,
in tribulatione
Malorum dum existimus
et persecutione.

12. Iesu, qui per quattuor
regna affligebas
Hebraeos, dumque rogant,
tu exaudiebas,
A carne, mundo, daemone
et quarto inimico
Nos semper, quaeso, libera,
et grates tibi dico.

13. Iesu, Nabuchodonosor
sic sciens esse reum,
Quod et verbo factoque
blasphemans negat Deum,
Si qui in nobis mali sunt,
qui verbo sed non facto
Te confitentur, corrige
opportuno nacto.

14. Iesu, qui cum macula
ministros habitare
In tuo tabernaculo
nec sinis ministrare,
Da per paenitentiam
peccata nos deflere
Et tandem tabernaculum
caeleste possidere.

15. Iesu, quintus decimus
psalmus decantatur
De resurrectione,
ut Petrus testatur,
Dum a morte surgimus,
cum hoedis non stare,
Sed ad tuam dexteram
iube collocare.

16. Iesu, qui, dum oraret,
David exaudisti
Eumque, ne caperet
Saul, custodisti,
A malis dum persequimur,
sic, quaeso, nos tuere
In corpore vel anima
ne valeant nocere.

17. Iesu, cui David rex
pro angustiarum
Liberationibus
reddit gratiarum
Actiones, da, ut nos
grates sic agamus,
Ne pro beneficiis
ingrati maneamus.

18. Iesu, qui per caelicos
viros publicasti
Fidem evangelii,
quos illuminasti,
In via verae fidei
nos recte semper ire
Fac et post ad caelica
regna pervenire.

19. Iesu, qui, quando David
pro exercitu orat,
Exaudis victoriam
dans, pro qua implorat,
De caelo auxilium,
dum quacunque hora
Inire bellum cogimur,
mitte sine mora.

20. Iesu, qui regni tui
in exaltatione,
In adversariorum
vero depressione
Laetaris, sic et nostrum
regem triumphare
In iusto semper proelio
fac et exsultare.

21. Iesu, de passione
vicesimus primus
Psalmus est, ut saepius
scriptum invenimus,
Dum quid mali patimur,
liberans exaudi,
Et promptiores erimus
Semper tuae laudi.

22. Iesu, qui quando David
ad Moab fugit regem,
Revertentem in Iuda
pascis et eius gregem,
Si quis profectus gratia
in claustrum velit ire,
De corpore et anima
ne sinas hunc perire.

23. Iesu, qui dominium
habes generale,
Nam, quod tibi subditum
non sit, nil est tale,
Praeceptis tuis deditos
fac nos, qui cunctorum
Creator es ex nihilo
et dominus eorum.

24. Iesu, dum sanctus David
petit liberari,
Psalmo alphabetico
ab ipso vis orari,
Si qua tribulatio
adfligit spiritalis,
Nos orantes protege,
o Domine, sub alis.

25. Iesu, qui Saul mortuo
in regno prosperari
Regemque facis David
a malis praeservari,
Ne regnum nostri corporis,
precamur, Iesu pie,
Subvertant hostes pessimi,
qui temptant omni die.

26. Iesu, qui hanc gratiam
post Saulis necem,
Antequam inunctus est,
David propter precem
Dederas, quod populo
poterat praeesse,
Hoc his, qui habent regem,
dones, est necesse.

27. Iesu, qui et ornantem
David exaudisti
Et in fuga Absalon,
quod petit, praestitisti,
Qui vexamur plurimum
te, Domine, rogamus,
Ut liberes, tunc gratias
laeti tibi damus.

28. Iesu, tabernaculi
in consummatione
David hic laetificas
et repositione
Arcae et, quod tibi sit
devote offerendum,
Ostendis exemplariter
et prompte serviendum.

29. Iesu, qui dedicari
templum voluisti,
David cum Bethsabee
peccanti indulsisti,
Dum per paenitentiam
dimissas speramus
Culpas, da, ut gratias
tibi referamus.

30. Iesu, qui, dum David est
in persecutione,
Salvas eum provocans
sic pro actione
Gratiarum, nobis da,
ut non pereamus,
Et tunc grates reddimus
hymnosque sacramus.

31. Iesu, adulterii
qui culpam commissam
A David tu per Nathan
revelas dimissam,
Si non certitudinem,
attamen spem dona,
Culpas nostras diluens
confessione bona.

32. Iesu, qui tricesimo
psalmo et secundo
Ad tuum praeconium
fideles corde mundo
Inducis et praemium
praeconii ostendis,
Quod et illis dare vis,
quos dignos deprehendis.

33. Iesu, qui David in Geth
ad Achis fugientem
A servis eius tertio
salvas insanientem,
Pro quo tibi gratias
agit in hoc psalmo,
Doce nos has reddere
tibi Deo almo.

34. Iesu, qui in Saulis
fuga exsistentem
Exaudis David regem
auxilium petentem,
Nos, qui malis premimur
quam plurimis, rogamus,
Exaudi, pie Domine,
et victimam litamus.

35. Iesu, qui a doloso
Saul liberasti
David, quod et per eum
hoc psalmo prophetasti,
Dona, dum quid patimur,
ne simus ingrati,
Ad tuam qui exsistimus
imaginem creati.

36. Iesu, qui docueras
hic *Noli aemulari*,
Ut non cum malevolis
quaeramus properari,
Quia sic est, tribue
adversa libenter
Et omnia, quae patimur,
ferre patienter.

37. Iesu, quem rogat David
corde atque ore,
Ne eum arguere
velis in furore,
Poena sibi debita
suis pro delictis,
Idem, quaeso, tribue
omnibus afflictis.

38. Iesu, qui regem David
dotas affluenter,
Dum maledicit Semei,
suffert patienter,
Exemplo tam egregio,
o Iesu, nos informa,
Ut virtus patientiae
nostra fiat norma.

39. Iesu, qui hic canere
David more pio
Iussisti de mystico
de corporeque tuo,
Tam grandia mysteria
Etsi perscrutari
Nescimus, saltem tribue
ea venerari.

40. Iesu, qui in hoc psalmo
de tua passione
David loqui feceras
et resurrectione,
Hanc nos passionem fac
colere decenter
Et post vitae terminum
surgere gaudenter.

41. Iesu, Core filios
inspiratos a te
Psalmum istum canere
de captivitate
Iubens Babyloniae,
duc nos corde mundo
Ad caeleste gaudium
de hoc nequam mundo.

42. Iesu, iudicaturus
cum in mundi fine
Venies in Iosaphat
vallem, tunc non sine
Nos cum hoedis, quaesumus,
ad sinistram stare,
Sed ad tuam dexteram
velis collocare.

43. Iesu, Core filii
hunc psalmum cecinerunt
De persecutione,
Iudaei qua fuerunt
Sub nobili Antiocho,
sed inde liberantur,
Pro quo dicti filii
devote deprecantur.

44. Iesu, Core filios
iubens prophetare
De teque et ecclesia
hunc psalmum decantare,
Da, te regem gloriae
perfecte diligamus
Hic et illic, ubi te
perpetue laudamus.

45. Iesu, Core filios
qui miraculose
Salvas atque provocas
ad laudes gloriose,
Terra dum absorbuit
patrem et adhaerentes,
Nos promptos fac in omnibus
gratias agentes.

46. Iesu, qui in hoc psalmo
grates magna cura
Agis pro victoria
sub Iosue futura
Et hoc per Core filios,
qui a te inspirati
Hoc prophetarunt, tribue,
ut semper simus grati.

47. Iesu, qui Ierusalem
templum glorificasti
Per magna et mira opera,
quae ibi actitasti,
Quaeso, da, pro omnibus
te magnificemus
Atque devotissimas
grates tibi demus.

48. Iesu, qui in hoc psalmo
moves quaestionem
De extremo iudicio
et das solutionem,
In hoc die iudicii
cum malis non timere,
Fac cum bonis potius
perpetue gaudere.

49. Iesu, qui de duplici
iudicio cantare
In mundum, ad iudicium
Asaph prophetare
Facis evangelii
virtutemque ostendis,
Si non damus gratias,
iure reprehendis.

50. Iesu, sicut David rex
a Nathan reprehensus
Paenitet et gratia
divinitus accensus
Petit misericordiam,
sic culparum nodum
Solve, quia pessimi
sumus supra modum.

Secunda Quinquagena.

1. Iesu, qui malitiam
Doech reprehendis
Atque innocentiam
David hic ostendis,
A malis detractoribus,
qui apud praesidentes
Nos iniuste lacerant,
salva innocentes.

2. Iesu mi, qui Iudaeos
per regnum Graecorum
Afflixisti plurimum,
sed Maccabaeorum
Auxilio sublevas,
in malis obstinatos
Puni et salva tibi
servire paratos.

3. Iesu, qui dum Ziphei
ad Saul vadunt regem
Volentesque tradere
David et eius gregem,
Eos salvas, quaesumus,
contra accusatores
Defende nos ac pessimos
quosque delatores.

4. Iesu, cuius gratia
David est salvatus,
Dum fugit a Ceyla
a Saul liberatus,
Audi preces supplicum,
qui te pie quaerunt
In tribulationibus,
qui se invenerunt.

5. Iesu, David redimens
ad regem Achis ductum,
Dum est in periculo,
auferendo luctum,
Timidos nos aspice
oculis attentis,
Procul pelle tenebras
timorosae mentis.

6. Iesu, qui, dum speluncam
ad purgandum ventrem
Saul intrat, custodis
David innocentem,
Quaelibet temptatio
abscedat velut fumus,
In mortis dum periculo
constituti sumus.

7. Iesu, qui sic perficis
David mentem castam,
Inimicum perdere
cum posset, parat hastam,
Tamen et aquae scyphum
in signum huius rei
Servat, tu me similem
fac misertus mei.

8. Iesu, qui salvas David
in domum fugientem
Per Michol per fenestram
eum deponentem,
Hostes nostros contere,
qui nobis nocere
Cupiunt, et dabimus
grates tibi vere.

9. Iesu, qui Israelis
regnum lacerari
Sinis, per Philistaeos
ad tempusque vastari,
Et paenitentes liberas,
a via nos erroris
Revocans ad statum duc
vitae melioris.

10. Iesu, David liberans
a Saul, dum sic erat
Anctus, quod evadere
posse se desperat,
Pro quo agit gratias,
fac nos quoque gratos
A quovis periculo
a te liberatos.

11. Iesu, de terra Moab
in Iuda revertentem
Regem David facicns
in te confidentem,
Nostra in te sita sit
spei certitudo,
Cuius est dulcedinis
magna multitudo.

12. Iesu, quem laudat David
pro consolatione,
A te sibi reddita
in persecutione
Saul regis pessimi,
nobis hoc solamen
Dona, pacem perditam
restaurando, Amen.

13. Iesu, qui Danielem
suasu malignorum
In lacum missum leonum
salvasti eorum
Ora claudens per angelum,
hos, qui nos offendunt
Iniuste, fac, ut incidant
laqueos, quos tendunt.

14. Iesu, Babylonicae
qui captivitatis
Hic prophetas reditum
per David pulchre satis,
Nos per paenitentiam
fac ad te redire.
Ut non semper filii
maneamus irae.

15. Iesu, Aegyptiaca
de captivitate
Israelem liberans,
pro quo hic laudat te,
Nos captos a daemone
ob nostra peccata
Paenitentes libera
gratia donata.

16. Iesu, qui per prophetam
de incarnatione
Et tua inter homines
conversatione
Praedicis et mysterium
sanctae trinitatis,
Miserere miseris
spem dans desperatis.

17. Jesu, qui scandens caelum
post resurrectionem
Promisisti spiritus
sancti missionem
Hic, ut ad Ephesios
apostolus ostendit,
Perduc nos ad superos,
quo mens nostra tendit.

18. Iesu, qui Iudaeorum
de punitione
Per David hic loqueris
et tua passione,
Qui et tuam cantico
magnificat laudem,
Vincere nos facias
malignorum fraudem.

19. Iesu, qui huius psalmi
principium cantari
In horis praevideras
per David liberari
Petentem a periculis,
nostrae spes saluti
Sis, cum iugo premimur
dirae servitutis.

20. Iesu, sicut David rex
allegat rationes
Plures gratiarumque
reddit actiones,
Ut salvus in periculis
sit, sic nobis dona
Grates tibi reddere
mente semper bona.

21. Iesu, cui deferunt
tres ab oriente
Magi tria munera
stella praecedente,
Fac nos sic dispositos
gratia donata,
Ut et nostra munera
fiant tibi grata.

22. Iesu, providentia
ab Asaph hic ostensa
A fine est et ad fines
fortiter extensa
Disponentis omnia
recte tam malorum
Quoad poenam, etiam
praemium bonorum.

23. Iesu, Babylonica
de captivitate
Liberandum populum
Asaph petit a te,
Quaeso, pie Domine,
ut non captivari
Sinas nos nec daemonis
dolo defraudari.

24. Iesu, cui reversi
de captivitate
Et, quod adversariis
poenae sunt illatae,
Multi grates referunt,
sic cum paenitemus,
A peccatis libera,
fac, ut gratis demus.

25. Iesu, a Senacherib
Iudam afflixisti,
Quem confusibiliter
expost occidisti,
Pro quo laudes plurimae
dantur in hoc psalmo,
Sic nos doce facere
tibi Deo almo.

26. Iesu, qui praevideras
per Asaph futuram
Fore Babylonicam
captivitatem duram
Pro orationeque
bonorum finiendam,
Pro culpis quando patimur,
tribue emendam.

27. Iesu, regnum Israel
ostendens pertinere
Ad David et minime
ad Ephraim debere,
Nam non Effrem, sed Iuda
tribum elegisti,
Iudam confidentes fac
nos, quos dilexisti.

28. Iesu, qui Ierusalem
prophetico more
Per Nabuchodonosor
destruendam fore
Praedicis et per circum
reaedificandam,
Nostram lapsam animam
dona restaurandam.

29. Iesu, tuam vineam
qui per te visitasti
Et ab idolatria
liberans plantasti,
De caelo respiciens
a culpa nos converte
A pravisque aspectibus
oculos averte.

30. Iesu, iubens agere
pro fructibus collectis
Grates, prout facere
videmus a rectis,
Quaesumus, nos refice
adipe frumenti
Et de petra satia
melle profluenti.

31. Iesu, qui nequitiam,
iudicum malorum
Synagoga arguis
cum stas in deorum,
Nos pusillos refove
tu, spes egenorum,
Et adoptans elige
spem in filiorum.

32. Iesu, quem rogat Asaph,
ut hostes Iudaeorum
Digne pro nequitia
punias eorum,
Nos a malis eripe,
qui impugnant fidem,
Si nescimus aliud,
grates damus quidem.

33. Iesu, tabernaculum
caeleste concupisti,
Docens hic et qualiter
possit adipisci,
Solve, quaeso, vinculum
nostrae pravitatis
Perducens ad gloriam
tuae claritatis.

34. Iesu, qui hic gratias
pro per te fiendis
Liberationibus
agendas ostendis
Et tuae mysterium
incarnationis,
Funde in nos gratiam
benedictionis.

35. Iesu, quem hic iterum
in persecutione
Saulis rogat David
pro liberatione,
Nos a malis eripe,
qui nos persequntur,
Grates non immerito
tibi tunc dicuntur.

36. Iesu, qui ecclesiae
statum militantis
Hic per Core filios
Atque triumphantis
Describis, nos in Sion
montem duc supernum,
Ubi tibi gloriam
demus in aeternum.

37. Iesu, cuius passio
hic denuntiata
Spiritu prophetico
estque prophetata,
Qui pro nobis moriens
spolias infernum,
Solium nos facias
scandere supernum.

38. Iesu, qui regnum David
vis perpetuari,
Non in eo, sed in te
iube nobis dari
Gratiam divinitus,
ut semper intenti
Tuis simus laudibus
post et in praesenti.

39. Iesu, cui Moyses
grates magna cura
Dat pro beneficiis,
ut impetretque plura,
Preces tibi porrigit,
per te dirigatur
Nostra sic oratio,
ut exaudiatur.

40. Iesu, tuum populum
protegens electum
A daemone et homine
malo et deiectum
Habens adversarium,
libera, rex pie,
Nos a verbo aspero
in extremo die.

41. Iesu, in hoc cantico
ostendens promovendos
Gratos, e contrario
ingratos puniendos,
Doce nos, ut gratias
devotas agamus
Servitutis nostraeque
pensum persolvamus.

42. Iesu, qui regni tui
inchoationem
Hic describis et eius
impugnationem
Confirmationemque
miracula per multa,
Unde et valde mirum est,
quod gens non credit stulta.

43. Iesu, providentiam
quod ad actus humanos
Habes, ostendis in hoc,
quod punis profanos,
Nos astare facias
laetos ante thronum,
Cum in fine veneris
Deus ultionum.

44. Iesu, quia Domino
hic ad iubilandum
Plebem inducit David
eumque laudandum,
Illud nobis, quaesumus,
virgo, mater Dei,
Impetret a filio,
ut iubilemus ei.

45. Iesu, qui hic canticum
novum decantare
Iubes atque gloriam
tuam nuntiare,
Iuris et iudicii
fervidum rigorem
Per misericordiae
tempera dulcorem.

46. Iesu, qui dominicum
tuum descripisti
Adventum ad iudicium,
hic non praeteristi,
Tandem cum advenerit
illa dies irae,
Nos ad tuam dexteram
praecipe venire.

47. Iesu, quem Deus pater
salutare notum
Fecit, cum, quod hominis
erat, sumis totum,
Cum in fine veneris
orbem iudicare,
Non hoedis nos sed ovibus
velis adgregare.

48. Iesu, de cuius regno
Iudaei irati
Ita, quod id crebri sunt
destruere conati,
Sed quod non fit, catholici
hinc ad Dei laudem
Inducti sunt, da vincere
perfidorum fraudem.

49. Iesu, qui in iubilo
tibi decantare
Ac pro beneficiis
vis regratiari,
Dona, ut in gaudio
devote te laudemus
Et peccatorum vulnera
semper deploremus.

50. Iesu, sicut David rex
firmatus in throno
Potestate regia
usus est in bono,
Sic nostris da principibus,
ut erga te devotos
Et iustos se ad proximos
exhibeant totos.

Tertia Quinquagena.

1. Iesu, cuius intime
populus adventum
Exspectavit faciens
orando lamentum,
Qui misertus miseris
compassus es vere,
Da per paenitentiam
peccata deflere.

2. Iesu, ad cuius laudem
utraque natura
Humana et angelica
et omnis creatura
A David hic inducitur,
da, ut te amemus
Teque pro beneficiis
semper collaudemus.

3. Iesu, ad cuius laudem
se ipsum hortatur
Propheta, ut reddere
non obliviscatur
Nunc vel ullo tempore
gratias pro donis,
Nos illustra cumulo
benedictionis.

4. Iesu, qui vis gratias
tibi, Deo almo,
Hoc alleluiatico
tibi dici psalmo
Propter beneficia,
quae praestitisti, plura,
Ut sit nobis, tribue,
te laudandi cura.

5. Iesu, qui in hoc psalmo
solaris paenitentes
Veniam dans arguis
atque neglegentes,
Nobis quaeso, tribue,
qui te confitemur,
Ut in tui nominis
laude gloriemur.

6. Iesu, in periculis
a te liberatos
Secundum quod iustum est
iubens esse gratos,
Da, ut nunquam aliquam
committamus fraudem,
Sed nos semper promptos fac
ad utramque laudem.

7. Iesu, quem laudat David
pro malorum repressa
Voluntate pessima
victoria concessa
De cunctis tuis hostibus
coactis ad tributum,
Nos in tua laude fac
habere cor non mutum.

8. Iesu, qui hic increpas
Iudam et Iudaeos,
Quos tua manifestum est
in passione reos,
Converte incredulos,
converte, quos plasmasti,
Pro quibus cruce positus
patrem exorasti.

9. Iesu, David dominus
per divinitatem,
Patre minor etiam
per humanitatem,
Qui olim de restibus
feceras flagellum,
Pone, qui nos tribulant,
pedum sub scabellum.

10. Iesu, qui a propheta
ceterisque gnaris
Pro dono eucharistiae
et aliis laudaris,
Salva nos per gratiam
et aeternitatis
Adipisci facias
regnum cum beatis.

11. Iesu, qui per prophetam
de praemio bonorum
De afflictioneque
hic tractas impiorum,
In misericordiae
operibus nos ire
Fac, post vitae terminum
ad te pervenire.

12. Iesu, dator optime,
per quem vita datur,
Cuius laus a pueris
digne praedicatur,
In praesenti, quaesumus,
da nobis laudare,
Post cum sanctis omnibus
te glorificare.

13. Iesu, sicut Israel
Aegyptum exeundo
Laudare te satagit
cordis ex profundo,
Nos immundos mundos fac
in confessione,
Mare nobis consecrans
merso Pharaone.

14. Iesu, a periculis
qui David liberasti,
Pro quo hic ad gratias
eum provocasti,
Nos a malis eripe,
quos a via morum
Decurvare satagit
trames vitiorum.

15. Iesu, peccantem David
per deceptionem
Patienter ferre dans
persecutionem,
Mala da, quae patimur,
ferre patienter
Et liberans nos agere
grates reverenter.

16. Iesu, qui a gentibus
Iudaeisque laudari
Pro tuo adventu vis
et magnus praedicari,
Te laudare iugiter
cantu fac psalmorum,
Donec nos suscipiat
chorus angelorum.

17. Iesu, qui ecclesiam
una ex Iudaeis
Facis et gentilibus,
ut penitus in eis
Nulla sit discordia,
a nobis laudaris
Digne tu, qui verus es
lapis angularis.

18. Iesu, iubens currere
viam mandatorum
De beatitudine
tractans viatorum,
Ad quam contemplatio
ratioque spectat,
Contemplationem da,
quae tibi nos conectat.

19. Iesu, qui in cantici
huius gradu primo,
Quod ad te recurrendum sit
vis ex cordis imo,
Ut cesset tribulatio,
noster incolatus
Transeat in gloriam
melioris status.

20. Iesu, ut de vitiis
possimus triumphare,
Nos in montem doceas
oculos levare,
Ad te Deum scilicet
et caelestes cives,
Qui a te hoc obtinet,
satis erit dives.

21. Iesu, qui Ierusalem
aedificatione
Laetum David faciens
et consummatione,
Caritatem facias
tenere fraternam
Nos, per quam Ierusalem
scandimus supernam.

22. Iesu, in angustiis
iubens elevare
Ad te mentis oculos,
promptus adiuvare
Esto, quando patimur
iniuriam malorum,
Quod nos gravat, amovens
pondus peccatorum.

23. Iesu, quem et Israel
Davidque cum eis,
Dum ipsis victoriam
das de Philistaeis,
Laudant, muni fortiter
pedes nostrae mentis,
Ut torrentem transeant
aquae vehementis.

24. Iesu, da fiduciam
in te nos habere,
Caelestem Ierusalem
tandem possidere,
Omni quoque tempore
stabiliens in bonis
Hos, qui tui filii
sunt adoptionis.

25. Iesu, qui Iudaicam
dum de Babylone
Plebem redit gaudio
reples, Iesu bone,
Qui es consolatio
plebis captivatae,
Nos ad portum applica
pacis praeoptatae.

26. Iesu, quia Salomon
in vanum laboraret,
Dum templum aedificat,
nisi adiuvaret
Tua providentia,
adaedificare
Domum cordis, volumus,
digneris iuvare.

27. Iesu, qui timentibus
te hic tribuisti
Bona temporalia,
aeterna promisisti
In futura patria,
fac nos te timere
Et aeterna gaudia
tecum possidere.

28. Iesu, qui punis eos,
qui Israel expugnant,
Idem fac et omnibus,
qui male nos impugnant,
Da, ut fiant viribus
suis destituti,
Ut sic simus iugiter
te tuente tuti.

29. Iesu, paenitentibus
parcens succurendo,
Hic misericordiam
eis promittendo,
Iuvamen humiliter
tuum imploramus,
Ut misericorditer
audias, clamamus.

30. Iesu, sicut David rex
se humiliatum
Dicit, quia eius cor
non est exaltatum,
Dona, ut nos humiles
semper maneamus
Et post vitae terminum
caelos conscendamus.

31. Iesu, quia David rex
pro templi complemento
Habet desiderium
maximum, memento,
Quod ei promiseras
prolem successuram,
Et domum nobis deputa
semper permansuram.

32. Iesu, sicut Israel
in unum habitare
Facis atque sub uno
rege militare,
Nos unitos mutuam
per dilectionem
Fac et tuam consequi
benedictionem.

33. Iesu, qui ecclesiae
ministros, adorare
Ut devote debeant
te atque laudare,
In hoc psalmo incitas,
nostrae spes salutis,
Fac nos caelum scandere
gradibus virtutis.

34. Iesu, qui hic singulos
ad laudationem
Tuam generaliter
invitas rationem
Assignans multiplicem,
ita te laudare
Da, ut id, quod facimus,
fiat salutare.

35. Iesu, vere fateor,
iure collaudaris
Tu a nobis omnibus,
quia operaris
Solus mirabilia,
per te liberatur
Israel, et Pharao
persequens necatur.

36. Iesu, quando principem
punis Babylonis,
Tantum sumit Israel
iubilationis,
Per veram paenitentiam
tua maiestate
Libera nos daemonis
a captivitate.

37. Iesu, cui David rex
hic regratiatur,
Reges atque alios
ad id adhortatur,
Quod eum ab Absalom
et Siba salvasti,
Grates tibi agimus
nos, quos liberasti.

38. Iesu, qui voce tua
et voce aliorum
Patrem hic adloqueris,
nos in viam morum
Nostrae, quaeso, dirigens
prospice saluti,
Ut fiamus iugiter
te tuente tuti.

39. Iesu, sicut David rex
petit liberari,
Dum eum persequitur
Saul, ita dari
Pacem nobis petimus,
ut nunquam vincamur
A daemone aut homine,
a quo molestamur.

40. Iesu, ad quem David rex
clamavit orando
Pro linguae custodia
petens, ut non fando
Peccet, dona, exeant
ut a nobis boni
Sermones, non alii,
ad quos sumus proni.

41. Iesu, sicut David rex,
dum est anxiatus
In spelunca ad ollam,
a te consolatus
Redditur, sic et nos
in anxietate
Positos exaudias
tua pietate.

42. Iesu, qui regem David
faciendo tutum
A filio Absalom
salvas persecutum,
A persequente daemone
salva paenitentes,
In peccatis excitans
diu dormientes.

43. Iesu, sicut David te
benedicit Deum,
Goliam in proelio
dum vincit Philistaeum,
Ita, quando vincimus
hostes, quos videmus,
Sicut invisibiles,
da, ut te laudemus.

44. Iesu, quem hic David rex
laudat exaltando,
Omnes atque alios
ad idem hortando,
Te laudare tribue,
rex universorum,
Cuius regnum omnium
regnum saeculorum.

45. Iesu, quem propheta hic
iubet collaudare
Nobis, ne in aliis,
qui salutem dare
Nequeunt, confidamus,
tu solus adiutor
Verus, dicens: ego sum
Deus et non mutor.

46. Iesu, cuius laudibus
laus est delectari,
Dona nobis, qui per te
cupimus salvari,
Ut iucunda plurima
per te omni hora
Nostra sit laudatio
semperque decora.

47. Iesu, quem Ierusalem
laudat spiritalis,
Scilicet ecclesia,
protege sub alis
Semperque celerius
perduc nos ituros
Caelestem in Jerusalem
semper permansuros.

48. Iesu, qui creaturas
hic superiores
Te laudandum inducis
et inferiores,
Laudes, quas offerimus,
acceptare cura
Nos beatitudine
ditans permansura.

49. Iesu, cui canticum
novum corde mundo
Hic decantant fideles
pro adventu secundo
Tuo ad iudicium,
quia in aeternum
Vivent, quando pessimi
tradentur in infernum.

50. Iesu, qui ab omnibus
sanctis vis laudari
Ab eis perpetuo
et glorificari,
Iure nos laudabimus
tuum sanctum nomen,
Quia omnis spiritus
te collaudat, Amen.

51. Amen dicit colligens
hic petens solamen.
Amen dicit iterum
postulans levamen,
Amen dicit tertio
poscens adiuvamen,
Suae, Iesu, animae
miserere. Amen,

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3848. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423. anni 1481. B. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4408. anni 1496. C.

I. 5, 3 eos de tua B. — 32, 8 comprehendis B. — 39, 4 que fehlt B. — II. 4, 8 Qui te B. — III. 4, 8 laudando B.

AB haben folgende Einleitung: Exsecuturus modo qualicunque otio dato diu dilatum desiderium, psalterium sub nota carminis „Ave vivens hostia“ decantandum opitulante Dei gratia ordinare curabo. Ad hoc autem faciendum ea de causa inductus sum, quia hactenus psalmos orans sive decantans cordis cum multa ariditate id egi et plurimum indevote. Choro enim sic orans aut cantans advertere curavi, quae esset materia aut quorsum talis aut talis psalmi tenderent verba. Ideoque tali indevotioni meae remedium qualecunque appositurus diligenter perspexi singulos psalmos considerans, de qua materia tractaret quilibet psalmus. Qua materia habita conformiter ad eam circa quemlibet psalmum carmen unum sub nota praefati carminis ordinavi. Quo factum est, divina cooperante gratia, dum psalmum quemcunque prae manibus habens orem aut cantem, carmen ei correspondens se oculis mentis aut corporis obiciat nec penitus inattentum et indevotum, ut prius, manere sinat. In hoc autem processu Honorium et alios, qui magis mysticum quam literalem prosecuti sunt sensum, raro secutus sum, sed potius Nicolaum de Lyra, cui maior cura fuit quam ceteris sensui insistere literali. Nihilominus tamen ut communiter, immo quasi semper, brevem oratiunculam in quolibet carmine inserui, quae mystice sive moraliter ex tali psalmo elici potest. Et quia, ut ante iam dixi, ad obviandum indevotioni hoc feci, ideo quodlibet carmen a nomine Iesu incepi; sic enim facilius desiderata se offert devotio. Et illud idem nomen Iesu quasi semper stat in vocativo casu, aliquando tamen, sed raro stat in genitivo, ut in 17. et 21. psalmo, et similiter in 73. et in 94. in dativo casu, prout quilibetcunque parum intelligens faciliter ex sensu percipere potest. Explicit prologus. — Aufserdem geht dem Psalterium noch die folgende Strophe vorauf:

Iesu, quia devotum cupio, salvator,
Facere psalterium, mihi consolator
Spiritus paraclitus assit, imperfectum
Suppleat et doceat fari, quod est rectum.

Verfasser ist der ehemalige Magister der Wiener Hochschule Johannes Faber, später als Mönch von Monsee Hieronymus de Werdea oder de Mensee genannt. Vgl. über ihn Vinzenz Staufer, Mondseer Gelehrte, Wien 1864 S. 15. ff.

VI. Psalterium de D. N. Iesu Christo

auctore Engelberto Admontensi.

Prima Quinquagena.

1. Ave Iesu, Iesu ave,
Lumen vivum, lumen suave,
Luminis meridies,
Quo in luce sex dierum
Res informis, hyle rerum,
Prodiit in species.

2. Ave, Iesu, lux serena,
Summe bonus, summe plena,
Veritatis speculum,
Tu imago, tu figura,
Patri unum in natura,
Quo subsistit saeculum.

3. Ave, Iesu, tu plasmasti,
Tu bis binas concreasti
Creaturas primitus,
Ignem caeli, tempus, hyle,
Sine forma quoddam vile,
Angelorum spiritus.

4. Ave, Iesu, factor mundi,
Per te solum tanta fundi
Massa rerum potuit,
Distinguenda sex diebus,
Ideanda speciebus,
Ut revera decuit.

5. Ave, Iesu, Dei verbum,
Tu rebellem, tu superbum
Deiecisti merito,
Corruerunt pari sorte
In aeterna trusi morte
Adhaerentes perdito.

6. Ave, Iesu, rex caelestis,
Quem caelorum illa pestis
Malo sprevit omine,
Qui dum petit aquilonem,
Lucis perdit regionem;
Sic decebat, Domine.

7. Ave, Iesu, ave, Christe,
Fit mutatus Seraph iste,
Perdit sapientiam,
Dum fit miser ex beato,
Voluntate, non ex fato
Versus ad malitiam.

8. Ave, Iesu, sic nimirum
Vindicasti scelus dirum,
Iusto dum iudicio
Petitorem alti throni,
Contemptorem summi boni
Subvertit aversio.

9. Ave, Iesu, magne Deus,
Cum ruendo iste reus
Ad has umbras transiit,
Terrenorum nova gente
Te, creator, disponente
Genus nostrum prodiit.

10. Ave, Iesu, sicut nosti,
Sic deiecto datur hosti
Fomentum invidiae,
Dum de limo procreatos
Scit futuros et beatos
Angelorum gloriae.

11. Ave, Iesu, primus homo,
Cum deceptus vili pomo
Paradiso pellitur,
Mundi sine causa tali
Huius tanti causa mali
Sanguis tuus funditur.

12. Ave, Iesu, lumen verum,
Talis erat ordo rerum,
Ut captivos solveres,
Lux de caelo descendisti,
Velo carnis latuisti,
Carnem ut redimeres.

13. Ave, Iesu, quem de caelis
Suavis fatus Gabrielis
Nuntiavit virgini,
Illud ille tulit ave,
Verbum bonum et suave,
Vitam ferens homini.

14. Ave, Iesu, rex o talis,
Dum secreti virginalis
Subintrares viscera,
Paranymphus tulit ille
Salutare, plus quam mille
Gratiarum munera.

15. Ave, Iesu, lux immensa,
Umbris lux incomprehensa,
Castis in visceribus
Virgo verbo quam conceptam,
Carne munda circumsaeptam
Novem tulit mensibus.

16. Ave, Iesu, inquietum
Unicornem et insuetum
Te Maria tenuit,
Metuendum et invictum
Vi amoris te astrictum
Illa virgo domuit.

17. Ave, Iesu, sensus Dei,
Per quem mirae speciei
Hoc effulsit saeculum,
Dum Mariam elegisti,
Clarum prorsus subiisti
Solis tabernaculum.

18. Ave, Iesu salutaris,
Quem concepit stella maris
Sine mare penitus,
Vivae lumen veritatis,
Vivae flamma caritatis
Cum spiraret caelitus.

19. Ave, Iesu, rex caelorum,
In supernis angelorum
Vita, pax et iubilus,
De supernis descendisti,
Deus carne latuisti,
Carnis nube nubilus.

20. Ave, Iesu, flos divine,
Quem non laesit vis pruinae,
Omni pulchro pulchrior,
Flos in horto virginali
Austro flante speciali,
Balsamo flagrantior.

21. Ave, Iesu, qui es primus
Factus homo, caro, limus,
Honor nostri generis,
De Maria sine viro
Induisti modo miro
Massam nostri pulveris.

22. Ave, Iesu, voce laeta
Protestatur ut propheta
Linguae dulcis calamo,
Homo forma speciosus
Processisti amorosus
Sponsus ut de thalamo.

23. Ave, Iesu, fons dulcoris,
Quem profudit flos pudoris,
Castitatis lilium,
Lumen purum, splendor clare,
Talis talem generare
Merebatur filium.

24. Ave, Iesu, flos vernalis,
Pulchritudo aestivalis,
Omni dulci dulcior,
Quem plantavit grandi cura
Virgo dulcis, virgo pura,
Sole luminosior.

25. Ave, Iesu speciose,
Tibi cedit rubor rosae,
Cedit candor lilii;
Quantum gaudes, o Maria,
Mater felix, mater pia,
Vultu talis filii!

26. Ave, Iesu, clara proles,
Vultus tuus mille soles
Claritate superat,
Felix homo, cuius mentem
Vultum illum sitientem
Fortis amor vulnerat.

27. Ave, Iesu, cuius ore
Mel amoris ut e flore
Virgo suxit osculis,
Matutino velut apes
Dulces sugunt mellis dapes
Variis ex flosculis.

28. Ave, Iesu, flos vitalis;
Gaude, mater nati talis,
Veris ut rosaria,
Sic, o dulcis, speciosas
Oris risu spargis rosas,
Nutu fundis lilia.

29. Ave, Iesu, o flos verne,
Claritatis flos aeternae,
Flos immarcessibilis;
Gaude, mater floris huius,
Lux divinitatis cuius
Est inaccessibilis.

30. Ave, Iesu, cum prodisses,
Sol in mundo effulsisses,
Umbra mortis vanuit
Tactu lucis speciosae,
Tibi flori, tibi rosae
Fides mundi paruit.

31. Ave, Iesu, quam decora
Illa tui partus hora,
Cum te virgo genuit
Nostrae carnis ex natura!
Vere tunc, non in figura,
Virga Iesse floruit.

32. Ave, Iesu, lux mentalis,
Quam mens plena virginalis
Lucem mundo peperit,
Solis dandam mundis corde,
Inquinatis nulla sorde,
Felix, qui acceperit.

33. Ave, Iesu, amor meus,
Verus homo, verus Deus,
Vita, lumen, veritas,
Virginali casta domo
Nascereris velut homo,
Mira fecit caritas.

34. Ave, Iesu, expers paris,
Cum iam magni nascebaris
Angelus consilii,
Reclinando tibi nato
Non patebat orbe lato
Locus diversorii.

35. Ave, Iesu, caeli heres,
Lecto foeni dum iaceres
Stipularum medio,
Deum pannis involutum
Admiratur pecus brutum
Flentem in praesaepio.

36. Ave, Iesu, flos in foeno,
Deitatis iure pleno
Regnas super sidera,
Membra pannis mater ligat,
Parvum sitis dum fatigat,
Fletu petis ubera.

37. Ave, Iesu, quam stupendum,
Quam devote recolendum,
Quod tu ab initio
Angelorum cibus, vita
Parvo lacte pastus ita
Vagis in praesaepio.

38. Ave, Iesu, rex sublimis,
Factus pro me parvus nimis
Sub pannis infantiae,
Concinentes quem loquuntur,
Non loquenti obsequuntur
Caelestes militiae.

39. Ave, Iesu, puer mitis,
Fili clarae Sunamitis,
Cuius ad crepundia
Te laudando voto, more
Assistebant cum honore
Angelorum milia.

40. Ave, Iesu, quem clamabat,
Magis tribus quem signabat
Splendor novi sideris,
Ad praesaepe contra morem
Cum adorant salvatorem
Dono terni muneris.

41. Ave, Iesu, flos candoris,
Longe spargens vim odoris
Orientis finibus,
Sidus novum ostendisti,
Novus homo cum lusisti
Maternis in sinibus.

42. Ave, Iesu, non loquentes
Quem loquuntur morientes
Voce fusi sanguinis,
O quam miro tunc dolore,
Virgo mater, pro te flore
Vim pavebat hominis.

43. Ave, Iesu, flos aestive,
In aeternum vale, vive,
Flos decore nimium,
Aevo ludis puerili,
Morte demum dandus vili
Crucis per opprobrium.

44. Ave, Iesu adorande,
Veritatis revelandae
Tempus cum accederet,
Turbae comes popularis
A Iohanne baptizaris,
Cum baptista tremeret.

45. Ave, Iesu, doctor veri,
Ab aeterno, nunc et heri
Dei sapientia,
Lux in mundo splenduisti,
Verbo, signis claruisti,
Omni plenus gratia.

46. Ave, Iesu, grande mirum,
Quod te talem, tantum virum
Iudaea persequitur,
Exoptandus dulcor cuius,
Omne dulce mundi huius
Vincit et non vincitur.

47. Ave, Iesu, lux et dies,
Electorum una quies,
Sola spes et gaudium,
Te invictum amor fregit,
Vitam mori dum coegit
Crucis per supplicium.

48. Ave, Iesu Galilaee,
Sola spes salutis meae,
Dum instaret passio,
Vita mortem sitivisti,
Mortem ultro appetisti
Mortis pro remedio.

49. Ave, Iesu, lumen mundi,
Corpus tuum flagris tundi
Non decebat, Domine,
Sed nimirum, agne lenis,
In hunc mundum homo venis
Pati sic pro homine.

50. Ave, Iesu, amor vive,
Corpus tuum munda nive,
Nive, inquam, clarius,
Flagris, ecce, laceratur
Et cruore purpuratur
Rosa rubicundius.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, Iesu flagellate,
Quam miranda caritate
Pro salvandis fratribus
Vi discissus flagellorum
In conspectu superborum
Sordes tot vulneribus.

2. Ave, Iesu, cuius genae
Rosascentes et amoenae,
Pulchriores floribus,
Sic tunduntur a malignis,
Sputo sordent et indignis
Alaparum ictibus.

3. Ave, Iesu, blande bonis,
Memor tuae passionis
Corde toto langueo,
Dum recordor vitae ducem
Baiulantem sibi crucem,
Cum dolente doleo.

4. Ave, Iesu, flos exorte,
Proterendus saeva morte
Crucis in patibulo,
Quam stupendus ordo fori
Oportere vitam mori
Pro mortali saeculo.

5. Ave, Iesu, botrus vini,
Quem portant vectores bini,
Moyses quos miserat,
Botrus Cypri, o dilecte,
Heu, portaris crucis vecte,
Vectis quem signaverat.

6. Ave, Iesu, auctor vitae,
Cruentatur caput mite
Spinarum aculeis,
Quod Maria osculando
Excomebat tactu blando
Manibus virgineis.

7. Ave, Iesu, memor esto,
Quam spinarum inhonesto
Sordes diademate,
Dulce caput et decorum,
En, languescit inhonorum
Tam cruento schemate.

8. Ave, Iesu, tuas manus
Tortor saevus et vesanus
Cruci clavis adligat,
Pedes sacros ferro clavi
Frangit, fodit, fluxu gravi
Sanguis terram irrigat.

9. Ave, Iesu, puer suavis,
En, confixus cruci clavis
Alto pendes stipite,
Sceleratis iunctus binis
Serto duris plexo spinis
Coronatus capite.

10. Ave, Iesu, puer mitis,
Plena vino vera vitis,
Vino dives vinea,
Potum fudit vini suavis
Corpus tuum fixum clavis,
Latus fossum lancea.

11. Ave, Iesu, vir dolorum,
Orbes marcent oculorum
Clariores sidere,
Speciosi, non vulgares,
Matutinae stellae pares
Mortis languent pondere.

12. Ave, Iesu, germen clarum,
En, pallescit flos genarum,
Blanda sordet facies,
Exspiravit flos decoris,
Livet rosa clari oris,
Labra fregit macies.

13. Ave, Iesu, quam exilis,
Quam despectus, pauper, vilis
Factus es pro homine,
Sed hoc vile pretiosum
Regem nobis gratiosum
Te ostendit, Domine.

14. Ave, Iesu, sine veste
Quam tunc pendes inhoneste,
Flos, qui vestis lilia,
Qui decoras campi flores
Admirandos per colores,
Sordescis penuria.

15. Ave, Iesu, rosa veris,
Cum in cruce morereris,
Vultus tuus palluit,
Eras tamen veris rosa,
Caritate speciosa,
Quae in morte floruit.

16. Ave, Iesu, in dolore
Totus rubens prae cruore,
Ut prophetae dixerant,
Duae cuius parvae stillae
Ad salvandos mundos mille
Suffecisse poterant.

17. Ave, Iesu, amor fortis,
Toleranti poenas mortis
Crucis in opprobrio,
En, assistit illa una,
Quam mirantur sol et luna,
O dolenda visio!

18. Ave, Iesu Nazarene,
Flos decore, flos amoene,
Flos, quem virga protulit,
Cuius, cum te morientem
Inspectaret, piam mentem
Vis doloris perculit.

19. Ave, Iesu, dulcis amor,
Dolor planctus, fletus, clamor,
Qui Mariam tenuit
Assistentem prope tibi,
Per me mutum nec describi
Ne defleri potuit.

20. Ave, Iesu vulnerate,
Quam miranda caritate
Tua plangit vulnera,
Olim tibi quae lactenti,
Lactis potum sitienti,
Sacra dabant ubera.

21. Ave, Iesu, matrem vide,
Quanto luctu, quanta fide
Dulcem plangit filium,
Frangebatur vi doloris,
Cum videret sui floris
Mortem et exitium.

22. Ave, Iesu, rosa crucis,
Cum per membra clari ducis
Cruor tantus rubuit,
Hunc Maria cum videret,
Defluentem cum defleret,
Prae dolore riguit.

23. Ave, Iesu, recordare
Sunamitis huius clarae,
Sic foedantis faciem,
Florem vide, cerne rosam,
Obstupesce speciosam
Non habentem speciem.

24. Ave, Iesu, reor vere,
Te benignum plus dolere
Matris in doloribus
Quam de tua morte dura,
Illi tua haesit cura,
Non tuis vulneribus.

25. Ave, Iesu, vide stantem
Et cruorem distillantem
Tuis ex vulneribus
Praestolantem cum pavore,
Rapientem cum dolore
Vultu, sinu, manibus.

26. Ave, Iesu, stupe flentem,
Stupe tecum morientem,
Quam pertransit gladius,
Rubra tuo stat cruore,
Nihil unquam hoc dolore
Fuit dolorosius.

27. Ave, Iesu, et intende,
Tanti vim doloris pende
Adurentis viscera,
Amens clamat, pectus tundit,
Lacrimarum fontes fundit
Tua cernens vulnera.

28. Ave, Iesu amorose,
Totus rubens instar rosae
Largitate sanguinis,
Qui profusus ut fluebat,
Defluentem rapiebat
Vestis matris virginis.

29. Ave, Iesu, mea vita,
Consummandus tandem ita
Tactu mortis rigido,
Patri caput inclinasti,
Inclinando exspirasti
Cum clamore valido.

30. Ave, Iesu, hoc in puncto
Sacrum tibi iam defuncto
Latus ferro foditur,
Quo aperto rubicundus,
Quo salvari credit mundus,
Sanguis large funditur.

31. Ave, Iesu, omnes iure
Te deplorant creaturae,
Terra tremens quatitur,
Solis iubar obscuratur,
Mundus nocte fatigatur,
Velum templi scinditur.

32. Ave, Iesu, tua morte
Patuerunt mortis portae,
Petras frangit scissio,
Deum passum sic a malis
Protestatur mundi alis
Machinae commotio.

33. Ave, Iesu, ibi fixa
Virgo stabat cruce nixa,
Moritura pariter,
Tandem ad se disclavatum
Corpus rapit cruentatum
Osculando dulciter.

34. Ave, Iesu, flos exstincte,
Genae, manus, vestes tinctae
Madescunt in virgine,
Quae dum natum amplexatur,
Dum cruentum osculatur
Tuo rubet sanguine.

35. Ave, Iesu, dolor talis,
Eiulatus virginalis
Nullo aevo cognitus
Resolvebat in lamentum
Dura licet intuentum
Pectora medullitus.

36. Ave, Iesu, flos dilecte,
Quam prudenter, quam perfecte
Mortem nostram superas,
Tu non habens causam mortis
Nos a morte, vita fortis,
Moriendo liberas.

37. Ave, Iesu, flos praeclare,
Passionis tam amarae
Degustasti poculum,
Fortem illum ut ligares,
Mortem morte superares
Salvaturus saeculum.

38. Ave, Iesu, Dei agne,
Leo potens, fortis, magne
Magni victor inferi,
Quem se tandem redemturum,
Ut spes erat, in futurum
Expectabant miseri.

39. Ave, Iesu, victor fortis,
Qui auctorem nostrae mortis
Elisisti penitus;
Gaude, virgo, mater Christi,
Quae hunc fortem genuisti,
Missum mundo caelitus.

40. Ave, Iesu, cum te duce
Emigraret nova luce
Tenebrarum populus,
Tunc dolenter, o inferne,
Claritatis ius supernae
Mirabaris querulus.

41. Ave, Iesu, quam formosus,
Luce nova luminosus
Surgis victor inferi,
Samson verus, gigas fortis,
Abstulisti portas mortis,
Ut exirent miseri.

42. Ave, Iesu, fortis leo,
Qui consurgens hypogaeo,
Liber inter mortuos;
Patris noxa protoplasti
Quos sentimus, exstirpasti
Corruptelae carduos.

43. Ave, Iesu, flos vernalis,
Algor fugit hiemalis,
Aestas fulsit caelitus,
Redivivo cum te flore
Tantus surgit in decore
Sanctorum exercitus.

44. Ave, Iesu, victor mortis,
Quam praeclarae tuae sortis
Splenduit hereditas,
Mortem crucis quam ferendo,
Morte victa quam surgendo
Tua emit caritas.

45. Ave, Iesu, te surgente
Flore novo quam repente
Creatura germinat,
Hac nimirum in figura,
Nostra mori quod natura
Resurgendo desinat.

46. Ave, Iesu, lux caelorum,
Choro teste angelorum
Vivus surgis tumulo,
Ut caelestes et terreni
Foederentur nexu leni
Caritatis vinculo.

47. Ave, Iesu, quam decora
Illa fulsit tunc in hora
Resurgentis species,
Qua fulgente renovatur,
Novo flore purpuratur
Maesta mundi facies.

48. Ave, Iesu, dum fulgeres
Resurgendo novus heres
Caeli, terrae pariter,
Fratres tuos expetisti,
Dubitanti praebuisti
Te tangendum dulciter.

49. Ave, Iesu, blande, lenis,
Qui diebus quater denis
Demum exspirantibus
Ad caelorum summa scandis,
Paradisi claustra pandis
Tuis amatoribus.

50. Ave, Iesu, factor lucis,
Sputa, flagra, probra crucis
Gloriosus superas,
Dum ascendis iubilando,
Patri Deo conregnando
Ades, unde veneras.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, Iesu, quam sereno
Mundi huius hoc de caeno
Sursum migras pectore,
Totus pulcher, luminosus,
Super solem speciosus
Immortali corpore.

2. Ave, Iesu, quam mirandus,
Quam decorus, quam spectandus
Ascendis in iubilo,
Luce plenus gaudiorum
Alta petis, rex caelorum,
Terso carnis nubilo.

3. Ave, Iesu, sic levaris,
Sic amictus exaltaris
Vestimento luminis,
Sic a terra sublimatur,
Super caelos exaltatur
Flos assumpti hominis.

4. Ave, Iesu, tibi mille,
Angelorum coetus ille
Occurrit cum laudibus,
Patri victor praesentaris,
Dextra eius collocaris
Signis cum victricibus.

5. Ave, Iesu, dux fidelis,
Sic exortum est in caelis
Lumen indeficiens,
Lumen vivum electorum,
Suavitate gaudiorum
Angelos reficiens.

6. Ave, Iesu, flos decore,
Mire fulgens in honore,
Regnans super sidera,
Tuos vultus per serenos
Inter Deum et terrenos
Pangis pacis foedera.

7. Ave, Iesu, rex aeterne,
Tuos, ecce, caros cerne
Votis suspirantibus,
Dum ascendis nube laetus,
Stat carorum ille coetus
Fixis post te nutibus.

8. Ave, Iesu, morte tristi
Sic regnare meruisti
Victor in caelestibus,
Nunquam tuis defuturus,
Patrem nobis placaturus
Ostensis vulneribus.

9. Ave, Iesu, dives donis,
Iam te suae sponsionis
Ordo monet inclitum,
Caritatis ut abyssum
Caris pandas et promissum
Dirigas paraclitum.

10. Ave, Iesu, nec moraris,
Praestolantes consolaris
Igne misso caelitus,
Qui linguarum in figura
Dilectorum corda pura
Inflammavit penitus.

11. Ave, Iesu, sic arsere,
Sic ardentes accepere
Novam mentis faciem,
Aurum ardens ut ardescit,
Ut in igne dum liquescit
Ignis habet speciem.

12. Ave, Iesu, ignis cuius
Pravum ignem mundi huius
Vincit et refrigerat,
Amor tuus ignis iste,
Ex te flammans, Iesu Christe,
Carnis flammam superat.

13. Ave, Iesu, ignis vitae,
Linguae ignis dispertitae,
Quae flammabant singulos,
Figurabant apte satis
Ignem tuae caritatis
Flammaturum populos.

14. Ave, Iesu, sic excoctos,
Sic purgatos, sic edoctos
Tua fecit unctio,
Pios, mites, laetos, mundos,
Fortes, gratos et facundos;
Quam stupenda ratio!

15. Ave, Iesu, rex insignis,
Amor tuus vivus ignis
Urit mentes dulciter,
Prece matris, o benigne,
Nos algentes da hoc igne
Inflammari iugiter.

16. Ave, Iesu, celsi throni,
Spiritalis huius doni
Dona participium,
Fac me durum te amare,
Caritatis da gustare
Dulce refrigerium.

17. Ave, Iesu, lumen purum,
Te spectamus adfuturum
Iudicem in nubibus,
Tunc virtutes movebuntur,
Civitates terrebuntur
Variis tumultibus.

18. Ave, Iesu, tunc pavendus,
Peccatori metuendus
Arbiter adveniens,
In horrenda ignis nube,
In clangore vocis tubae
Orbem totum quatiens.

19. Ave, Iesu, orbis totus
Velut loco suo motus
Fragorabit horride,
Terra tunc ardere iussa
Contremiscet vi concussa
Tempestatis validae.

20. Ave, Iesu, orbem totum
Ut a fundamentis motum
Quassabunt tonitrua,
Elementa creabuntur,
Igne cuncta vastabuntur,
Aequabuntur ardua.

21. Ave, Iesu, novo more
Tunc districto cum terrore
Fulgurans in nubibus,
Expavescet creatura,
Mundi ruet haec figura
Horrendis fragoribus.

22. Ave, Iesu, quantus angor,
Dum sonabit tubae clangor,
Ut defuncti prodeant,
Tunc cum iustis surgunt mali,
Sorte tamen non aequali,
Sed ut semper ardeant.

23. Ave, Iesu, quis astabit,
Ubi totus intonabit
Orbis contra impium,
Igne, motu, tempestate,
Ullulatu, vastitate,
Collisura nubium.

24. Ave, Iesu, tibi clarae
Videbuntur tunc astare
Angelorum acies,
Prae timore tunc arescent,
Tunc ut olla denigrescent
Damnatorum facies.

25. Ave, Iesu, dies ille,
Quem terrores foedant mille,
Magnus et terribilis
Corda franget reproborum,
Nam tu iudex occultorum
Stas inexorabilis.

26. Ave, Iesu, mundus gemet,
Omne vivum tibi tremet
Prae sollicitudine,
Servi, reges una stabunt,
Rugientes ullulabunt
Prae amaritudine.

27. Ave, Iesu, iudex dure,
Quanti aestus, quantae curae
Tunc involvent miseros,
Dum a iustis sequestrati,
Ad sinistram collocati
Proruent ad inferos.

28. Ave, Iesu, quam pavendum,
Cum damnandis ad horrendum:
„Ite, ite“ dicitur,
Quam gemenda gemunt mole,
Cum detrusi a te sole
Spes salutis tollitur.

29. Ave, Iesu, tunc inferni
Flamma, ignes sempiterni
Concremabunt perditos,
Tunc torquebit putens nidor,
Ignis, frigus, fletus, stridor
Mundi quondam inclitos.

30. Ave, Iesu, tunc dolore,
Tunc horrendo prae furore
Vae, vae, vae, vae mugient,
Vi sepulti tenebrarum
Nihil nisi vae amarum
Sine fine rugient.

31. Ave, Iesu, spes iustorum,
Quam stupenda tunc eorum
Erit exsultatio,
Cum se cernent assumendos,
Post laborem inducendos
Beatorum gaudio.

32. Ave, Iesu, fac nos esse
In extrema illa messe
Tuis cum fidelibus,
Ibi per te ut salvemur,
In te laeti gloriemur
Regnis in caelestibus.

33. Ave, Iesu, tunc cessabit
Clamor, luctus exspirabit,
Abstergentur lacrimae,
Tunc conformes tibi erunt,
Qui te vitam amaverunt,
Electorum animae.

34. Ave, Iesu, digne coli,
Carnis tuae claro soli
Tunc configurabimur,
Caro nostra foedae molis
Claritatem vincet solis,
Cum sic immutabimur.

35. Ave, Iesu, credo ita,
Hoc mortale quod a vita
Prorsus absorbebitur,
Crassum erit tunc subtile,
Ponderosum, tardum, vile
Tunc agilitabitur.

36. Ave, Iesu, lux serena,
Sic nos duces ad amoena
Luminosae patriae,
Ibi patrem agnoscemus,
Ibi novum tunc legemus
Librum sapientiae.

37. Ave, Iesu, lux in caelo,
Tunc fulgebit sine velo
Tua luminositas,
Ibi erit dies una
Sine sole, sine luna
Vultus tui claritas.

38. Ave, Iesu, quam serene,
Quam formose lucis plenae
Cubas in meridie,
Ubi iusti collaetantur,
Luminosa iucundantur
Tui vultus specie.

39. Ave, Iesu, lux solaris,
Quam dilectis, quam praeclaris
Gaudes coheredibus,
Quos tu, lux indefectiva,
Vultus tui luce viva
Pascis in sublimibus.

40. Ave, Iesu, tunc in caelo
Veritatem sine velo
Nova pandet civitas,
Cuius non claudentur portae,
Ubi vita sine morte,
Ubi summa caritas.

41. Ave, Iesu, decor ille
Vincet luce soles mille
Nec habet caligines,
Urbis huius claro fundo
Tunc sternentur auro mundo
Platearum ordines.

42. Ave, Iesu, cuius muros
Auro perlucente puros
Venustant chrysoliti,
Viridium smaragdorum,
Claritate beryllorum
Ex alternis incliti.

43. Ave, Iesu, ibi zetae
Margaritis vernant laete,
Ibi grata otia,
Ibi laudum odae sonant,
Quae laudanti mille donant
Gaudiorum gaudia.

44. Ave, Iesu, quam beata
Caritatis auro strata
Sion illa rutilat,
In qua coetus beatorum
Choris mixtus angelorum
Te laudando iubilat.

45. Ave, Iesu, Sion illa,
Pacis dives et tranquilla,
Rutilescit floribus,
Ibi dies semper verni,
Flores spirant sempiterni
Variis odoribus.

46. Ave, Iesu, ibi rosae,
Quas hic mortis pretiosae
Purpuravit caritas,
Liliorum candor ibi,
Quae suavescunt summe tibi,
Virginalis castitas.

47. Ave, Iesu, ibi satis
In odore suavitatis
Fraglant corda mitia,
In hoc mundo quae mundavit,
A peccatis expiavit
Vera paenitentia.

48. Ave, Iesu, pax est viva
Ibi, iugis et votiva
Gratiarum actio,
Ibi nudae veritatis,
Rigorosae aequitatis
Suavis admiratio.

49. Ave, Iesu, ibi bonis
Lux divinae rationis
Resplendet ut speculum,
Cum non esset creatura,
In quo tamen ut futura
Hoc vivebat saeculum.

50. Ave, Iesu, lux stupenda,
Fide cordis inquirenda,
Spiritu, non oculo;
Mater lucis, fac sincere
Lucem illam nos videre
In futuro saeculo.

Clm. Monacen. 23232. saec. 14. in. A. — Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. D. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 18741. anni 1473. E. — Clm. Monacen. (ol. Eberspergen.) 5974. saec. 15. F. — Cod. S. Petri Salisburgen. b. VII 10. saec. 15. G. —

I. 1, 1 Ave, Iesu Christe, ave G. — 1, 2 vivum et suave G. — 1, 5 hyla G. — 3, 2 excreasti B, recreasti G. — 3, 4 Caelum ignem B, ile A. — 6, 3 homine B. — 9, 6 Genus novum B. — 10, 4 Cum de B. — 12, 1 lumen merum B. — 12, 5 Vera carnis B. — 17, 1 servus Dei B. — 23, 3 Lingua B. — 23, 1 flos dulcoris G. — 28, 1 vivalis AG. — 30, 2 Soli mundo A, Solque mundo G. — 30, 6 patuit G. — 33, 5 ut sic homo B; sicut homo C. — 33, 6 Vera fecit CG. — 35, 2 cum B. — 36, 3 Regnans CG. — 37, 3 Quod tu super sidera G. — 37, 6 Matris sugis ubera G. — 38, 4 Concinentes colloquuntur B. — 38, 5 Non loquentes G. — 40, 6 trini CG. — 43, 2 valens CG. — 44, 5 In Iordane CG. — 46, 5 cum B. —

II. 4, 2 Prosternendus B. — Auf Str. 5 folgt als Str. 6 Ave Iesu puer suavis etc. (cfr. Str. 9) B. — 8, 4 fero B. — 10, 2 Pleno G. — 10, 5 fixum fehlt G. — 15, 2 Dum CG; morieris BG. — 16, 4 Ave cuius B. — 17, 3 sub opprobrio G. — 18, 6 Vim doloris B. — 20, 5 Eius mammillas petenti G. — 21, 6 exsilium CG. — 22, 2 Cum per manus B, ex membris G. — 22, 3 tantus ferbuit G. — 35, 5 Licet dura G. — 42, 2 dum surgis C, dum surgens G. — 42, 4 Praesens amor protoplasti B. —

III. 1, 2 sceno B. — 5, 4 vivens B. — 6, 6 Pacis pangis G. — 8, 6 Ostensurus vulnera B. — 9, 5 ut promissum G. — 13, 4 Figurabant singulatis B. — 13, 5 Igne B. — 13, 6 Flammaturos B. — 15, 2 vivens B. — 16, 1 Ave, o rex celsi B. — 24, 5 praemarcescent G. — 25, 3 et horribilis G. — 27, 2 Quanti metus B. — 27, 4 Cum a CG. — Nach Str. 28 schalten AB folgende Strophe ein:

Ave, Iesu, tunc tollentur,
Ut in flamma concrementur
Reproborum populi,
Nam hi sunt zizaniorum
Sempiterne cremandorum
In igne fasciculi.

29, 4 potens rigor B. — 30, 2 in furore B. — 34, 2 clarae B. — 34, 6 Dum sic CG. — 45, 3 Rutilascit G. — 47, 3 Fraglascunt vaccinia B; Fragrant sapientia C. — 47, 4 quae purgavit G.

Verfasser dieses Psalteriums ist Engelbert, Abt von Admont. Als solchen nennen ihn alle Hss. aufser ABC. — Incipiunt orationes Domini Engelberti, quondam abbatis Admontensis. DG. — Vgl. weiter unten das beim marianischen Psalterium Engelberts Gesagte. E hat vor jeder Quinquagena die auf Christus bezüglichen Strophen der ebendort mitgeteilten Orationes praeambulae.

VII. Psalterium D. N. Iesu Christi.

Prima Quinquagena.

1. Ave, matris almae fructus semper dulcis,
Concilium malorum suis cum tricis,
Cathedram pestilentiae semper fugis,
Sed in lege meditari bonum ducis.

2. Ave, Iesu terens gentes
Et populos meditantes
Vana, sed et reges regis
Audire mandato legis.

3. Hostes nostros tua fuga prece,
Ne multiplicati nos in pace
Felicem atque tranquillam vitam
Non sinant agere, sed turbatam.

4. Ave, Iesu iustitiae Deus,
Adiutor atque redemptor meus,
In tribulatione cor meum
Tu dilata ferens auxilium.

5. Astans tibi mane, Iesu,
Te deprecor toto nisu,
Preces meas ne contemas
Ut serviles atque vanas.

6. Ave, Iesu, ave iudex,
Peccatorum ne sis vindex,
Sed meorum miseratus
Sana me, quia turbatus.

7. Ave, Iesu patris decus,
Tu nostrum tolle dedecus,
Tuo namque nos munere,
Optamus solvi onere.

8. Ave, Iesu omnipotens,
Omnes salvari adpetens,
Adonai tibi nomen,
Tu pauperum es solamen.

9. Toto corde tibi, Iesu, confitebor,
Tua narrando mira in te laetabor,
Tibi laudes semper psallam, altissime,
Meque tibi subiciam humillime.

10. In te, o bone Iesu, confido
Et in tuis plagis me abscondo,
Rivis quarum a maculis lavor,
Sic salus est mihi tuus livor.

11. Iesus dulcis, cuius latus in cruce
Est apertum, ut nos ab omni faece
Purgaret criminum, suo sanguine
Hic nos defendat a fraude Satanae.

12. Iesu dulcis, si mei obliviscaris,
Si tu faciem a me elongaveris,
Dolor erit in corde meo per diem,
Nocte neque nullam sperabo requiem.

13. Ave, Iesu, qui positus in ruinam
Multorumque es et resurrectionem,
Ne nos disperdas uti insipientes,
Qui te denegant in corde blasphemantes.

14. Ave, Iesu, cuius habitabit
Tabernaculum, qui non habebit
Alicuius peccati maculam
In anima atque rugam ullam.

15. Ave, Iesu, spes omnium miserorum,
Conserva atque numero electorum
Ascribe et mirifica paenitentes,
Nostras quoque tu dele iniquitates.

16. Ave, Iesu, fons aeternae vitae,
Cuius venae nunquam sunt exstinctae,
De tuo iudicium prodeat
Vultu, oculus aequum videat.

17. Ave, Iesu bone, mea fortitudo,
Diligam te, cui semper me dedo,
Sis refugium meum et liberator,
In tribulatione verus protector.

18. Ave, Iesu, terrae rex et caeli,
Cuius laudes decantant angeli,
Quem tamdiu patres nostri videre
Terris natum votis cupiere.

19. Ave, Iacob sanctum Dei nomen,
Per quod solum speramus iuvamen,
Exaudi in tribulatione
Non equis fisos sed hoc nomine.

20. Ave, Iesu, in virtute cuius
Laetabuntur reges mundi huius,
Et in salutari vehementer
Exsultabunt omnes veraciter.

21. Ave, Iesu, respice in me pauperem,
Ne derelinquas me quamvis peccatorem,
Longe sum, fateor, a salute tua,
Quam non merui propter peccata mea.

22. Ave, Iesu, qui me regis,
Nil ut mihi desit, agis,
Tu me in pascuae loco
Colloca et non opaco.

23. Ave, Iesu, ad quem quis ascendet,
Nisi mundo corde qui recedet
Ab omni gravi iniquitate
Animam servans a vanitate?

24. Ave, in quem confidens non erubescam,
Ad quem animam levans non pertimescam,
Neque invidebunt mei inimici,
Quando fruar tuo eloquio dulci.

25. Ave, Iesu, decus innocentiae,
Ne iudices opera nequitiae,
Sed proba nos et nostros ure renes
Atque memento nos esse homines.

26. Ave, Iesu, tui salus populi,
Orphani protector atque pupilli,
Illumina nos sancti spiritus igne,
Ut hostias immolemus condigne.

27. Ave, Iesu, qui sanctum eripuisti
Per prophetam in lacu dum pavisti,
Leonibus ne tradas confitentes,
Sed eruens nos eorum tere dentes.

28. Ave, aries, qui pro nobis immolatus,
In cruce lancea dire es perforatus,
Et post multa tormenta spinis coronatus
Atque crucifigendus Iudaeis traditus.

29. Iesu dulcis, qui me regis, ave,
Tuum mihi iugum fac suave,
Et peccatum primae matris Evae
Dele meque salva omnia vae.

30. Ave, in quem sperans dum cantabo,
Pro peccatis nunquam confundebor,
Sed tua iustitia ereptus
Ad te nunc curro gaudens et laetus.

31. Ave, Iesu, qui tecta peccata
Conspicis non dimittens inulta,
Remitte, quaeso, iniquitates
Nec mihi imputes vanitates.

32. Ave, Iesu, nostra vera exsultatio,
Quem iustorum omnis decet collaudatio,
Verbo tuo caelos firmatos nos fatemur
Et spiritu oris tui regi laetemur.

33. Ave, cuius laus nisi semper est in ore,
Quem ego benedicam in omni tempore,
Spiritu cuius opto illuminari
Et a tribulatione liberari.

34. Ave, Iesu, qui quondam subsannatus
Et a Satana tertio tentatus
Fuisti post peractum ieiunium,
Exstingue in nobis flammas ignium.

35. Ave, Iesu, ante oculos cuius
Semper est misericordia eius,
Cuius et veritas nubes penetret,
Nobis a patre veniam imploret.

36. Ave, Iesu, cuius aemulor dona,
Mea mihi scelera tu condona
Et cum iniquis me perdere noli,
Sed fac, ne quid mihi inferant mali.

37. Ave, Iesu, nostris pro peccatis
Ne nos transfigas tuis sagittis,
Sed nostras expurgans cicatrices
Da effugere flammas ultrices.

38. Ave, qui coram iudice obmutuisti,
A Iudaeis accusatus non respondisti,
Da rogamus, ut possimus obmutescere
Cum peccantes viderimus contra nos stare.

39. Ave, quem iamdudum exspectans exspectavi
Et quem fundens preces cordis desideravi,
Intende te tandem, quaeso, mihi et audi
Gemitus plangentis populi et exaudi.

40. Ave, Iesu, qui liberas inopem,
Pauperi et egeno ferens opem,
Libera nos, quaeso, in die mala,
Cum cuncti subicient tibi colla.

41. Ave, Iesu, qui fons es desiderandus,
Ad quem cervus fugit omnis sitibundus,
Nostrarum, quaesumus, sitim animarum
Exstingue tribuens veniam culparum.

42. Ave, lucis verae mater,
Quam emisit Deus pater,
Ipsa super te deduxit
Et ad montem sanctum duxit.

43. Ave, Iesu, cuius opus mirabile
Atque auribus nostris delectabile,
Nostris a patribus nobis nuntiatum,
Omnibus salutare atque gratum.

44. Ave, Iesu pie, Dei patris verbum,
Quem vidit Moyses non urentem rubum,
Tibi nunc dico opera mea regi,
Qui solus, fateor, hic debes diligi.

45. Ave, Iesu, refugium nostrum et virtus,
Ignitos carnis nostrae exstingue impetus,
Cordis sordes tuo sacro lava flumine,
Ut in tuo tandem exsultemus nomine.

46. Ave, in quem omnes exsultant gentes,
Eius laudes in corde iubilantes,
Quem magnum fatentur et terribilem,
Suis in operibus mirabilem.

47. Ave, qui magnus es et laudabilis,
In sanctis tuis valde affabilis,
Quem Simeon suscepit in templo,
Tuo, fac, proficiamus exemplo.

48. Ave, Iesu, cuius gentes sapientiam
Audiunt, pauperes et inops prudentiae,
Te laudantem, Iesu, hanc respice plebem,
Qui tuo nutu amplum hunc regis orbem.

49. Ave, Iesu, qui es Deus deorum,
Solis, lunae creator et stellarum,
Fac, quaesumus, ut nostra holocausta
Tibi grata sint semper et accepta.

50. Ave, Iesu, cui soli peccavi
Et quem meis peccatis irritavi,
Meam, quaeso, dele iniquitatem
Tuam per infinitam bonitatem.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, Iesu, qui es agnus sine macula,
Qui destruis gentes et eorum idola,
Ne perdas nos gloriatos in malitia,
In quorum lingua exstitit iniustitia.

2. Ave, Iesu, qui es Deus verus,
Quem negat insipiens delirus,
Sed eius studia sunt corrupta,
Natum qui negat de incorrupta.

3. Ave, Iesu, qui in tuo nomine
Salvum me facis ab omni homine,
Ne me iudices in tua virtute,
Quia gravi premor iniquitate.

4. Ave, Iesu, qui temetipsum conturbasti,
Quando Lazarum de monumento vocasti,
Salva me, quaeso, a pusillanimitate
Meque libera a daemonum tempestate.

5. Ave, Iesu, tu omnium misereris
Ut Iudaeis, a quibus impugnabaris,
Tua licet verba exsecrarentur,
Rogasti patrem, veniam mererentur.

6. Ave, Iesu, cui laqueum paraverunt,
Cuius dorsum Iudaei ligno cremaverunt,
Manusque pedesque hi clavis perfoderunt
Latusque eius lacea aperierunt.

7. Ave, Iesu, qui clausam vulvam es egressus
Atque in hanc miseriae vallem ingressus,
Hostem humani generis debellaturus
Vereque iudicantes remuneraturus.

8. Ave, qui solus de inimicis eripis,
Persequentes fugiendos nobis praecipis,
Ab his, qui insurgunt in nos, quaeso, libera
Et cripe de operantibus amara.

9. Ave, qui, populo ostendisti dura,
Commovisti et conturbasti in ira,
Sana contritum contritione vera
Neque deleas de viventium terra.

10. Ave, ad quem, dum cor meum anxiaretur,
Orationem fudi, ut exaudiretur,
Exaudi me, Domine, peccatorem minimum,
Ne me perdas, quem meum fateor Dominum.

11. Ave, Iesu, animae meae solacium,
Unicum suis pro laboribus pretium,
Tibi, Iesu, semper esse cupit subiecta,
Quae pro te humilis hic fuit et abiecta.

12. Ave, Iesu, ad quem de luce vigilo,
Satia animam meam potu illo,
Quem quondam mulieri Samaritanae
Es pollicitus affabili sermone.

13. Ave, cui Iudaei linguis acutis:
Vae, dicunt, templum qui destruis cum portis,
Me, Iesu, a conventu malignantium
Protege iungens choris te laudantium.

14. Ave, cuius Moyses quondam et Maria
Laudes cantaverunt post transmutata maria,
Te decet hymnus tibique vota reddenda,
In quo omnis spes nostra est semper collocanda.

15. Ave, cuius terribilia sunt opera,
Tibi iubilando servit omnis terra,
Tu solus qui convertis in aridam mare,
Fac, aspergantur corda nostra caeli rore.

16. Ave, qui nobis benedicis nostri miseratus,
Illumina corda nostra splendore tui vultus,
Quo te in hac terra nostrae peregrinationis
Cernamus, dein fruamur aspectu visionis.

17. Ave, Iesu, qui es nostra laetitia,
Longe fiat a te omnis malitia,
Tui pereant inimici ut fumus,
Nos vero pauperes tecum semper simus.

18. Ave, Iesu, qui me de hoc limo profundi,
In quem me detrusit astutia nefandi,
Eripere potes animamque salvare,
Ne eam absorbeat huius mundi mare.

19. Ave, Iesu, sine adiutorio cuius
Nos devorabunt leones aeris huius,
Si ad adiuvandum veneris, confundentur
Nostrasque animas aggredi verebuntur.

20. Ave, Iesu, qui es Deus, meus protector,
Inclina aurem mihi, et meus impostor
Statim fugit confusione repletus,
Si adverterit, quod in te sim confirmatus.

21. Ave, pater cui dedit iudicium,
Tu exsistens nostrae salutis initium,
Tu solus permanens ante solem et lunam,
Salvos nos fac, gentem omnem conterens vanam.

22. Ave, Iesu, qui es Israel Deus solus,
Cuius non intrat sanctuarium populus,
Qui meditatur loquiturque nequitiam
Nec servat proximo suo amicitiam.

23. Ave, cuius quaesiere Iudaei signa,
Sed gens haec, cum esset perversa et maligna,
Tenebras diligens recessit a lumine,
Quam tamen miseratus reduces in fine.

24. Ave, Iesu, cuius est inebrians calix
His, qui te confitentur, praeclarus et felix,
Nobis, qui tua mirabilia narramus,
Corda ut liquefaciat, te obsecramus.

25. Ave, Iesu in Iudaea notus,
Tuus in pace locus est factus,
Confregisti hostis potentias,
Eius dum declaras astutias.

26. Ave, in quo potest anima consolari,
Sine quo nequit unquam ipsa delectari,
Fac, ut tuorum sim operum semper memor,
Quae dum mente mecum cogito, nunquam premor.

27. Ave, Iesu, qui quondam in parabolis
Principibus es locutus et populis,
Verum discipulis tuis credentibus
Non per speculum vel in aenigmatibus.

28. Ave, in cuius hereditatem venerunt gentes,
Templum sanctum tuum polluerunt te blasphemantes,
Fac, bone Iesu, ut tuus, quem fudere sanguinem,
In nobis generet tui amoris dulcedinem.

29. Ave, Iesu, Israelem qui regis,
Tribus qui es adoratus a magis,
Intende nobis et manifestare,
Quod optamus, te nostrum salutare.

30. Ave, cui quondam propheta exsultavit,
Suaves hymnos atque psalmos iubilavit,
Fac, tibi cantem psalterium cum cithara,
Quamdiu peregrinus ego sum in hac terra.

31. Ave, qui in Synagoga stetisti,
Principes eius dure arguisti,
Pupillos et egenos tu iudica,
Humilem pauperemque iustifica.

32. Ave, Iesu, cui nullus similis,
Cuius potentia admirabilis,
Sermo dulcis semper et affabilis,
Facies decora et amabilis.

33. Ave, Iesu, rex virtutum,
Refugium praebent tutum
Tabernacula populis,
Qui commorantur in illis.

34. Ave, Iesu, terram qui benedixisti,
Captivitatem Iacob qui reduxisti,
Remitte, quaeso, plebis iniquitatem,
Malos convertens per tuam bonitatem.

35. Ave, adversus quem iniqui surrexerunt,
Quem Synagogae potentium quaesieruut,
Quem in conspectu suo non proposuerunt,
Adversus quem praevalere non potuerunt.

36. Ave, Iesu, Raab et Babylonis quondam memor,
Nostra, quaeso, ob peccata nostri ne sis immemor
Sed sicut Sion civitatis dilexisti portas,
Sic a tua misericordia non nos avertas.

37. Ave, Iesu, nostrae Deus salutis,
Tuae, quaeso, memor humanitatis
Nostras coram te ut admittas preces,
Te nunc omnes exoramus supplices.

38. Ave, cuius misericordias cantabo,
Cuius veritatem ego annuntiabo,
Tibi, Iesu, semper caeli confitebuntur,
Tibi inimici tui subicientur.

39. Ave, Iesu, nostrum refugium,
Nobis, quaeso, sis in auxilium,
Nos nostram propter iniquitatem
Ne avertas in humilitatem.

40. Ave, in cuius adiutorio confidens
De suaque salute nunquam sit diffidens,
Sed neque venantium laqueos timebit,
Quem Dominus scapulis suis obumbrabit.

41. Ave, Iesu, quem bonum est confiteri,
Cuius divinitas debet adorari,
Fac nos tuo nomini digne psallere,
Tuam veritatem corde amare.

42. Ave, Iesu, qui carnem nostram indutus
Divinitate tua non es exsutus,
Sed gigantis assumens fortitudinem
Daemonibus incussissti formidinem.

43. Ave, Iesu, ultionum dominus,
Deus ultionum et vindex unus,
Tu super omnes deos exaltare
Et cum malis noli nos iudicare.

44. Ave, Iesu, tuos qui annis quadraginta
Ambulantes temptasti loca per deserta,
Sed benefactoris immemores fuerunt
Et contra Moysen et te murmuraverunt.

45. Ave, cui canticum novum decantare,
Nomini cuius debemus benedicere,
Namque et magnus es et laudabilis nimis,
Cordi tuam infunde gratiam hominis.

46. Ave, cuius laudes caeli nuntiaverunt,
Cuius gloriam populi illi viderunt,
Cum passo Christo revertebantur compuncti,
Sed hoc deridebant principes maledicti.

47. Ave, qui mirabilia solus facis,
Tuum salutare nobis notum facis,
Populo tuam iustitiam revelans,
Quod tyranni iugum ferebat anhelans.

48. Ave, qui primus inter homines humilis
Apparens signis factus es admirabilis,
Unde populi increduli irascuntur,
Tui sed fideles exsultant et laetantur.

49. Ave, cui omnis terra a principio
Iubilat ineffabili quodam gaudio,
Servire tibi cupiens cum laetitia,
Sed ei invidet daemonis astutia.

50. Ave, a cuius domo quondam superbia
Satanam deiecit sua cum militia
Coegitque in claustra descendere,
Tormenta quorum non poterit evadere.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, Iesu, qui es angelorum panis,
Tu ille es, qui confirmas cor hominis,
Sine te vero arescit homo omnis,
Praebe te ergo nobis optatum nimis.

2. Ave, Iesu, misericors et miserator,
Tu nobis propitiare veniae dator,
Solus qui nostras sanare infirmitates,
Vitam de interitu redimere potes.

3. Ave, Iesu, qui multum es magnificatus
Et confessionem decoremque indutus,
Sed et carnis nostrae vestimento amictus,
Miserere nostri, furis qui es misertus.

4. Ave, Iesu, in cuius virtute
Populi quondam Israelitae,
De gente transierunt in gentem,
Ad populum legem non habentem.

5. Ave, virtute cuius siccatum est mare,
Tu nos iudicium tuum fac custodire,
Et, ne aqua tribulationis obruat,
A malis dextera tua nos eripiat.

6. Ave, Iesu, qui nos redemisti
Et in viam rectam deduxisti,
A solis ortu nos collegisti
Atque ad ovile reportasti.

7. Ave, cui oboedire cor est paratum,
Cuius in hymnis et laudibus est laetatum,
Da, ut in psalterio atque in cithara
Nostra sit coram te oratio decora.

8. Ave, cuius laudem Iudaei tacuerunt,
Quem quidem lingua dolosa circumdederunt,
Sed contra veritatem frusta studuerunt,
Ipsi namque in seipsis evanuerunt.

9. Ave, Iesu, qui tuae virga virtutis
Hostes teris superbiamque demittis,
Tu principium es splendorque sanctorum
Dominans in medio inimicorum.

10. Ave, cui confitebor in corde meo
Iustorum in coetu atque in concilio,
Confitebor, inquam, magna tua opera,
Quae tu operatus es virginis in terra.

11. Ave, Iesu, qui timet, erit beatus,
Potens in terra, prudens atque robustus,
Generatio eius benedicetur,
Cuius redemptor Iesus miserebitur.

12. Ave, Iesu, qui duodennis remansisti
In templo interrogans doctores audisti,
Cuius prudentiam ipsi sunt admirati
Teque necdum agnoscentes sunt venerati.

13. Ave, Israelis de stirpe descendens,
In Aegyptum cum matre tua ascendens,
Omnia ruere idola Aegypti,
Sicque introitum tuum consecrasti.

14. Ave, quem corde et ore semper dilexi,
Ad quem omnes preces meas ego direxi,
Dolores mortis quando me circumdederunt,
Eius aurem ipsae mihi inclinaverunt.

15. Ave, cui quia credidi, sum locutus,
Cuius in conspectu hic sum humiliatus,
Cui vota mea reddere sum paratus,
Cum tamen eius gratia non sim privatus.

16. Ave, Iesu, rex omnium gentium,
Quem laudat ecclesia fidelium,
Tibi nunc laudes resonant ovantes,
Quas Iudaei spernebant, omnes gentes.

17. Ave, quem Iudaei reprobavere, lapis,
Divitis factus es solamen et inopis,
In unum namque populos iunxisti
Deumque adorandum signis ostendisti.

18. Ave, quem qui sequuntur, sunt immaculati
Si tamen altiora se non sunt scrutati,
Sic tu me mandata tua fac observare,
A via tua ut non possim declinare.

19. Ave, Iesu, ad quem omnes qui confugiunt
In tribulatione solamen sentiunt,
Animam meam tu libera ab iniquis,
Tecum ut habeam partem et cum propinquis.

20. Ave, Iesu, qui habitas montes,
Auxilium unde sperant flentes,
Tu qui caelum fecisti et terram,
Cor tu mundum mentemque da puram.

21. Ave, qui caelestem Hierusalem habitas,
Quam nulla unquam ingreditur iniquitas,
Da, ut omnibus a peccatis emundatus
Eius visione non sim posthac frustratus.

22. Ave, Iesu, ad quem oculos sublevavi
Habitantem in caelis, quem semper agnovi
Omnia gubernantem, mei misereri
Piisque oculis exopto intueri.

23. Ave, Iesu, qui nisi adfuisses nobis,
Forte surgens in nos furor iniquae plebis
Vivos nos absorbuisset uno impetu,
Quem tu compescuisti in oculi ictu.

24. Ave, Iesu, in quem omnes qui confidunt,
Montis ad instar stabilis non decidunt,
Sed euntes de virtute in virtutem
Sanctorum ducuntur ad societatem.

25. Ave, Iesu, qui, dum convertis peccatores,
Animas reples bonis effugans dolores,
Tu nos libera a potestate Satanae,
Participes ut nos simus vitae aeternae.

26. Ave, Iesu, spiritualium domorum
Verus custos atque conservator earum,
Da nobis, quaesumus, post panem hunc doloris,
Tuis in aeternum cibis refici veris.

27. Ave, Iesu salvator, qui es vitis vera,
Tuo de latere vinum et aqua pura
Manarunt totius pro salute populi,
Quibus abusi sunt Iudaei increduli.

28. Ave, Iesu, quem Iudaei expugnaverunt,
Sed nunquam expugnare potuerunt,
Super dorsum fabricata tolle peccata
Gaudia nobis conferens dudum optata.

29. Ave, Iesu, ad quem cordis de profundo
Orationes meas clamans effundo,
Fiant aures tuae mihi intendentes,
Qui misertus remittis iniquitates.

30. Ave, cui cor displicet exaltatum,
Cui gratum est sponte humiliatum,
Da nobis ita corde humiliari,
Tecum tandem ut possimus exaltari.

31. Ave, Iesu, cuius mansuetudinis
Nunquam invenitur numerus vel finis,
Fac, ut, quemadmodum olim iuravimus,
Vota nostra tibi reddere valeamus.

32. Ave, Iesu, in quo habitare est bonum,
Sine quo non conveniunt fratres in unum
Et per consequens procul sunt a caritate
Sincera et carente omni simultate.

33. Ave, quem benedicunt omnes eius servi,
Te in domo tua laudare consuevi,
In qua quidem, fac, ut possim perseverare
Atque perseverando gratias agere.

34. Ave, qui omnia, quaecunque voluisti,
In mari atque in terra quondam fecisti,
Ventos qui de thesauris tuis produxisti,
Gentes multas et reges fortes occidisti.

35. Ave, qui fecisti magna luminaria,
Tui sunt caeli, orbis terrae et maria,
Solem, lunam, stellas habens in potestate,
Securos nos fac ab omni crudelitate.

36. Ave, cuius laudes captivi decantare
Super flumina Babilonis nequivere,
Sed Sion recordati lacrimas fudere
Gentesque talibus indignas putavere.

37. Ave, Iesu, cui soli confitebor,
Tibi soli meus est cognitus labor,
Per te, Iesu, in supernis exaltabor,
Ubi cum sanctis omnibus gloriabor.

38. Ave, nostras qui nosti cogitationes,
Ad te fusas ne aspernas orationes,
Sed exaudi nos, Iesu, nostri miseratus,
Qui pro nobis tuum aperuisti latus.

39. Ave, Iesu, adversus quem sicut serpentes
Iudaei linguas acuerunt atque gentes,
Quorum sub linguis absconsum erat venenum,
Sed nil prodest consilium contra Dominum.

40. Ave, qui nulla eguisti custodia
Tua ad arcendum pretiosa labia,
Bonam tu pone ori meo custodiam
Et ostium labiis ut circumstantiam.

41. Ave, Iesu, in cuius conspectu effundo
Precem meam et tribulationem pando,
Ex me spiritum meum in deficiendo
Et semitas meas nosti, quas non abscondo.

42. Ave, Iesu Christe, fili summi patris,
Per amorem piissimae tuae matris,
Per dolorem tuae rogo passionis,
Aures intendas voci orationis.

43. Ave, Iesu, tuos qui instruis ad bellum,
Protector noster esto, qui subdis populum,
Inclina caelos tuos et ad nos descende
Nosque nostris ab inimicis tu defende.

44. Ave, quem benedicam dies per singulos,
Respice nos propitius tuos misellos
Facque nomen tuum in saeculum laudare
Tuaque mirabilia digne narrare.

45. Ave, Iesu, in quo omnis est sita salus,
Praeter quam si nobis promittat hostis malus,
Ilico est nostris a foribus pellendus
Veraeque scripturae mucrone fodiendus.

46. Ave, Iesu, qui sanas contritos corde,
Corda illorum purgans ab omni sorde,
Qui numeras multitudinem stellarum,
Custodi me a fraude inimicorum.

47. Ave, quem Hierusalem debet amare,
Super quam quondam flevisti tam amare,
Tu nos, Iesu, dignare hic confortare,
Ut a te nunquam possimus deviare.

48. Ave, Iesu, quem laudant angeli in caelis,
Quem adorat omnis homo vere humilis,
Concede nobis coram te humiliari,
Tibi cum hymnis ut possimus gratulari.

49. Ave, cuius est in ecclesia sanctorum
Laus et gloria in choris angelorum,
Tuum in nobis hic fiat beneplacitum,
Ut te collaudet lingua, membrum inquietum.

50. Ave, quem laudant omnes caeli potestates,
Cuique Cherubim assistunt exsultantes,
Concede, ut cum matre virgine Maria
Post hoc exsilium tecum fruar gloria.

Orat. ms. Pratense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Parisin. 14156. — I. 6, 3 misertus. — 12, 4 Nocte enim [?] nullam spero. — 25, 2 Me iudices. — 30, 1 Ave, Iesu, in quem sperans dum cantabar. — 30, 2 confundebar. — 39, 1 Ave, Iesu, quem. — 43, 2 fehlen zwei Silben; nostris ergänzt. — 43, 3 fehlen zwei Silben; Iesu ergänzt. — II. 31, 3 Pupillo et egeno. — III. 36, 4 indignos.

VIII. Psalterium D. N. Iesu Christi.

Prima Quinquagena.

1. Da nobis, ut ad instar ligni fructum,
Quod aquarum est in cu[rsu plantatum],
Nos valeamus tandem fr[uctum bonum]
Ferre, cum vener[is ad iudicium].

2. Nostri cordis vincla rumpe
Atque, tua legem ope
Ut servemus sine fine,
Da gratiam, pastor bone.

3. Ave, Iesu, fili virginis matris,
Suscipe me in domo tui patris,
Ut tecum epuler una cum sanctis,
Nec me perdas meis pro demeritis.

4. Miserere, Iesu, et exaudi
Preces nostras, da, fac, simus mundi,
Da, Iesu, lumen nostris cordibus,
Da te videre nobis omnibus.

5. Sed memento, quod nos omnes
Mortales simus homines
Nec te mortem peccatorum,
Sed velle vitam eorum.

6. Convertere, Iesu, et eripe
Animam meam, sed et suscipe,
Sana etiam tua gratia,
Ut fruar perenni laetitia.

7. Erue nos, bone Iesu,
A leonis gravi morsu,
Qui minatur nobis mortem,
Dum non videt ducem fortem.

8. Quis sum, bone Iesu, mei ut sis memor?
Vermis et non homo, qui semper infirmor;
Tu te tamen minorari paulomimus
Passus es ab angelis, rex et Dominus.

9. Eia ergo, Iesu, fili David,
Quia peccatum in me regnavit,
Tua illud contere virtute,
Ut te videam in maiestate.

10. Ave, mons, sedes cuius est in caelis,
Qui peccantes arcu tuo percellis,
Oculis paupertatem miserorum
Vide et protege natos eorum.

11. Ave, Iesu, cuius sunt eloquia
Casta semper et valde melliflua,
Nostras ad te tua dulci gratia
Converte, obsecramus, voce pia.

12. Oculis me ergo misericordiae
Respice, salvator clemens atque pie,
Ut exsultare in salutari tuo
Possim liber ab omni peccato meo.

13. Ave, Iesu, qui de caelo
Peccantes pio oculo
Ad paenitentiam vocas,
Rogamus, ut nobis parcas.

14. Ave, Iesu, iustitia cuius
Errorem destruit mundi huius,
Et ad superna tendere cogit
Cor, quod sua facinora plangit.

15. Ave, Iesu, pars hereditatis,
Tu, qui causa nostrae paupertatis
Multa mala passus es in cruce,
Iube nos semper esse in pace.

16. Proba cor meum, o bone Iesu,
Visita nocte, ne malo usu
Insit ei quaedam iniquitas,
Quae contaminet eius semitas.

17. Ave, Iesu, cuius terra est commota
Passione, et montium fundamenta
Conturbata sunt atque multum commota,
Fac, ut sint corda nostra immaculata.

18. Da, Iesu, cum sanctis te laudare,
Tua gloria participare,
Da praeceptum lucidum servare,
Quod potens est nos illuminare.

19. Ave, Iesu, qui in caelo sancto sedes,
Vide, quaeso, quantas hic patimur caedes,
Et de Sion, sancta tua civitate,
Salva nos a malorum iniquitate.

20. Ave, Iesu, qui nos praevenisti
In benedictione caelesti,
Vitam, quaeso, da te petentibus,
Quam optamus, cum sanctis omnibus.

21. Ave, Iesu, per quem nostri patres
Desertorum evasere vepres,
Memento, quod sim vermis, non homo
Et pro te factus de vili limo.

22. Ave, Iesu, animas qui convertis,
Deduc me in iustitiae semitis
Et educ de medio umbrae mortis
Sisque mihi baculus iuventutis.

23. Ave, Iesu, qui fractis inferni portis
Patrum animas tu ad portum salutis
Inde eripiens, ad caelum vexisti
Easque cupita gloria replesti.

24. Vias tuas mihi, Domine, demonstra
Et semitas doce, quae non habent monstra,
Talibus namque pervenitur ad astra,
In quibus propheta vidit Dei castra.

25. Ave, Iesu, consilium vanitatis
Et ecclesiam nolens malignitatis,
Haereticorum tu fugis malitiam,
Tuam qui volunt deserere ecclesiam.

26. Ave, Iesu, cuius est facies decora,
Ne te vertas a me nec declines in ira
A servulo tuo, qui te cupit videre
Et super mensam cum sanctis tuis prandere.

27. Ave, salvator noster, bone Iesu,
Ad sanctum templum cuius toto nisu
Cum prece manus iunctas extollimus,
Quo sic solamen consequi possimus.

28. Per dolores tuos tam acerbos
Tolle mentis meae omnes morbos,
Ut tuam gloriam et honorem
Summis tandem laudibus efferam.

29. Ave, Iesu, qui me suscepisti
Peccantem et legem docuisti,
Verte planctum meum in gaudium
Et da te videre, Deum meum.

30. Ave, Iesu, qui semper odisti
Observantes vanitates, tristi
Animo eos semper vidisti
Nec vias tuas eis monstrasti.

31. Ave, Iesu, cuius per diluvium
Mersi sunt respuentes refugium,
Ne nos, rogamus, perdas pro peccatis,
Sed da tempus, ut faciamus satis.

32. Tibi confitemur in cithara,
In psalterio tua opera
Laudamus, qui de caelo respicis
Super terram, quam tremere facis.

33. Ave, Iesu, ad quem pauper clamans,
Quem pupillus adflictus reclamans
Angelorum statim habet solamen
Atque eius sanctissimum flamen.

34. Ave, Iesu, quem dum testes iniqui
Accusabant, fugerunt et propinqui,
Sola mater quibusdam cum feminis
Iuxta crucem remansit exanimis.

35. Ave, Iesu, cuius timor
Est habendus atque amor,
Timor, inquam, qui sit castus,
Quem non pellat amor iustus.

36. Ave, Iesu, tuos qui nunquam sanctos
Derelinquis ab impiis afflictos
Nec iniustos dimittis impunitos,
Aeternis cruciatibus addictos.

37. Ave, Iesu, quem miser conturbatus,
Miser, inquam, factus et contristatus,
Nostros, quaeso, cura ab illusionibus
Lumbos mentemque nostram a phantasmatibus.

38. Ave, Iesu, cuius igne
Exardescunt, qui condigne
Te per diem meditantur
Et per noctem venerantur.

39. Ave, Iesu, et vide, quantis malis premor,
Tui furoris quantus me teneat tremor,
Quantum malorum meorum me premat timor,
Tuus erga me, quaeso, non recedat amor.

40. Ave, Iesu, qui solus conservator
Noster exsistis et vivificator,
Beatos fac in terra, quam sumpturi
Sumus nostro adhaerentes factori.

41. Ave, Iesu, qui quondam lacrimas
Super natos Israel, animas,
In abundantia effudisti,
Salva nos, qui sanguinem sudasti.

42. Ave, Dei genetrix, templum sanctitatis,
Tu altare aureum summae deitatis,
Ubi datur venia nobis de peccatis
Et lumen de lumine, Deus veritatis.

43. Ave, cuius manus gentes disperdidit,
Per quam nos mundumque caelumque condidit,
Per hanc ipse nos hic a malis defendat,
Qui solo suo spiritu sordes mundat.

44. Ave, cuius inter homines fulget forma,
Cuius vita vivorum omnium est norma,
Accingere ense tuo, potentissime,
Et expugna hostes immortalis animae.

45. Ave, cuius auxilio semper freti
Non timemus motus graves huius freti,
Nam si irruerint flumina vel venti,
Non verebimur, quia in te fundati.

46. Ave, Iesu, qui populos subdis et gentes,
Nostra ad te corda converte atque mentes,
Ut tibi laudes hic psallere sapienter,
Sed et te tandem frui possimus iugiter.

47. Ave, quem reges sunt admirati,
Videntes sunt multum conturbati,
Quem nos verum Deum esse fatemur,
Eius munere salvari laetamur.

48. Ave, Iesu, quem qui semper timebit,
Nulla iniquitas nunquam nocebit,
Quando pereuntem stultum videbit,
Tabernacula tua habitabit.

49. Ave, Iesu, cui homo comparatus
Nihil est, quia ut iumentum est factus,
Per te tamen summo donatus honore
Ingratus tuo non stetit in amore.

50. Ave, cui corda placent contrita
Magis quam vitulorum holocausta,
Fac, precor, ut vere humiliati
Hostias immolemus cordis triti.

Secunda Quadragena.

1. Ave, Iesu, qui dilexisti acquitatem,
Angelum tuum quondam superbientem
De caelo tuo ad inferna deiecisti
Eumque perpetuis flammis addixisti.

2. Ave, Iesu, qui de caelo respicis,
In terris hominum acta prospicis,
Ob peccata nostra ne nos dissipes,
Sed fac, gratia tua anticipes.

3. Ave, cuius gratia ereptus
Hostias sacrificabo laetus
Et nomini tuo confitebor,
Cum de inimicis gloriabor.

4. Ave, Iesu, melliti cuius sermones
Fluctuantes in fide firmant homines,
Fac omnem nostrum semper in te cogitatum
Omneque desiderium esse iactatum.

5. Ave, Iesu, animam qui solus eripis,
Qui vota Deo reddenda cunctis praecipis,
Praesta, ut tibi tandem possimus reddere,
Quae quondam non timuimus ore vovere.

6. Ave, Iesu, cui laqueum paraverunt,
Tua gloria reples terram et cor maris,
Miserere mei, obsecro, miserere,
Ut tibi digne possim psalmum decantare.

7. Ave, a quo elongati peccatores
Lapsi sunt in vanos daemonum errores,
Errantes ab utero sunt falsa locuti,
Serpentis est illis furor, dentes acuti.

8. Ave, Iesu, ante cuius conspectum
Malorum iniquitas est peccatum,
Nullo unquam pacto praesentabuntur,
Nisi prius hi mali convertantur.

9. Ave, per quem sancti operantur virtutem,
In tribulatione devicerunt hostem,
Fac, ut devictis nostris tandem inimicis
Tuae post hac fruamur visione pacis.

10. Ave, Iesu, cuius nomini psalmum dicam,
Velamento cuius protectus hostes vincam,
Nomen cuius qui hic timet, hereditatem
Possidebit et aeternam felicitatem.

11. Ave, Iesu, meum salutare,
Quem corde benedico et ore,
Coram te nunc cor meum effundo
Teque meum adiutorem laudo.

12. Ave, Iesu, cuius sum ego memor,
In te solo meus recumbit amor,
In matutinis in te meditabor,
Sed et per diem tibi confitebor.

13. Ave, Iesu, cuius quondam divinitatem
Sapientes scrutati sunt et maiestatem,
Sed hi cogitationibus erraverunt,
Qui altiora Dei ipsi quaesierunt.

14. Ave, cuius virtute montes praeparati
Sunt et fluctus maris iussu eius turbati,
Turbabuntur gentes te iudicem videntes,
Quem Iudaei crucifixerunt irridentes.

15. Ave, Iesu, quem omnis terra adorat
Et virtutem omnis anima enarrat,
Fac me tibi holocausta medullata
Digne offerre mente sed incorrupta.

16. Ave, Iesu, quem benedicunt omnes gentes,
Cui nati clamabant Hosanna dicentes,
Benedic, Iesu, et salva tuum populum
Meque, quaeso, respice, tuum infantulum.

17. Ave, Iesu, qui es mons coagulatus,
Mons pinguis, mons fidelibus semper gratus,
Nostrum iter, quaeso, fac semper prosperum,
Ne nos laceret lingua canum tuorum.

18. Ave, qui opprobrium sustinuisti,
Cum in cruce nostram salutem sitisti,
Eripe me hoc de luto, ne infigar,
Et fac, de peccatis meis ut compungar.

19. Ave, Iesu, qui pro nobis factus egenus,
Cuius pedes perforati sunt atque manus,
Tu nobis tuum intende adiutorium,
Quia nostrum es unicum desiderium.

20. Ave, Iesu, qui es meum firmamentum,
Ne proicias me meum ob peccatum,
Ne forte persequantur et comprehendant
Animam meam hostes eamque perdant.

21. Ave, Iesu, populorum qui es pax vera,
Tibi regis Tarsis obtulerunt munera,
Tui in nos descendat spiritus gratia
Cordaque irroret uti vellus pluvia.

22. Ave, Iesu, cuius fuit vita labor,
Tu, qui transfiguratus es in monte Tabor,
Fac, ut valeam tibi semper adhaerere,
Meam quoque spem omnem in te collocare.

23. Ave, Iesu, rex noster es ante saecula,
Quem pauper et inops laudabunt die illa,
Cum iudicabis malorum improperia
Electorum recomendans desideria.

24. Ave, Iesu, cuius cornu exaltatum
Super omnes caelos est et elevatum,
Concede, ut, qui sunt hic humiliati,
Iuxta promissum tecum sint exaltati.

25. Ave, cuius vox est terribilis,
Cuius potestas admirabilis,
Fac tibi, quaeso, digna vovere
Dignaque tibi vota reddere.

26. Ave, cuius virtutes orbi illuxerunt,
Quae gentes ad paenitentiam commoverunt,
Et quas etiam daemones contremuerunt,
Soli Iudaei recipere contempserunt.

27. Ave, panis vitae, quem homo manducavit,
Capharnaita quem perfidus fastidivit,
Tu nos tuo satia, Christe, semper pane,
Qui solus dat vitam homini sine fine.

28. Ave, Iesu, cuius nos sumus populus et oves,
Delictorum ne sis memor nostrorum, quia leves
Sumus et a natura ad malum semper proclives,
Quin misertus tuos fac sermones nobis suaves.

29. Ave, qui nos diligis, pane lacrimarum
Pascis, in contradictionem vitiorum
Ne des nos, sed tua pietate libera
Et ostende faciem, quae est salus vera.

30. Ave, quem populus Israel invocavit,
Qui invocatus eum saepe liberavit,
Tu ne dimittas nos iuxta nostros affectus,
Sed refice nos adipe tui spiritus.

31. Ave, virtutem cuius nescierunt,
His in tenebris qui ambulaverunt,
Nos deos fac participatione,
Ut laetemur in resurrectione.

32. Ave, cuius sanctuarium possidere
Voluerunt gentes, sed et malignavere
Super populum tuum consilium vanum,
Disperdere eum volentes uti foenum.

33. Ave, legis evangelicae lator,
Tu noster sis semper verus protector,
Ut in caelestibus mansionibus
Inhabitemus sanctis cum omnibus.

34. Ave, ante quem iustitia ambulabit,
Ante quem iniustitia non apparebit,
Nostros, obsecro, tu, Iesu, dirige gressus,
Ut ad patrem nobis facilis sit accessus.

35. Ave, Iesu, patiens atque miserator,
Tu me deduc in via tua, quam meditor,
Respice in me, Domine, et miserere,
Quo post exsilium merear te videre.

36. Ave, Iesu, de quo sunt gloriosa dicta,
Dona multiplicans nostra dele delicta,
Ut tecum tandem nostra sit habitatio,
In quo consistit sanctorum gloriatio.

37. Ave, Iesu, ad quem manus meas expandi,
Ne me repellas, sed orationem audi,
Cuius sine adiutorio sum turbatus,
Cum descendentibus in lacum aestimatus.

38. Ave, cuius sunt caeli et terra,
Tua nos semper regat dextera,
Tu ne conteras nos verberibus,
Sed miseratus parce omnibus.

39. Ave, cuius splendor gratiae mirabilis,
Diebus atque annis nunquam mutabilis,
Sis, bone Iesu, super nos deprecabilis,
Opus nostrum dirigens libera a malis.

40. Ave, bone Iesu, a cuius latere
Mille cadunt daemones nec possunt stare,
Spes esto mea refugiumque ergo,
Ut non me laedant daemonia a tergo.

41. Ave, Iesu, cuius sum ego factura,
Da, ut tua magnificata opera,
Inspiciens quae nequit intellegere,
Puro semper corde possim collaudare.

42. Ave, Iesu, sedes cuius exstitit virgo,
Tentationum fluctus ut compescas, rogo,
Quo testimoniis creduli facti
Domum tuam habitemus iustificati.

43. Ave, Iesu, qui peccatores, ne grassentur
In pios, deicis, ne ipsi glorientur
Iniquitate, dum eos sic persequuntur,
Populi tui miserere, ut salvetur.

44. Ave, in cuius manu sunt terrae fines,
Et cuius sunt montium altitudines,
Corda nostra tibi fac esse devota,
Securi ut transeamus haec deserta.

45. Ave, quem in atrio suo adorare,
Hostias cui debemus omnes adferre,
Nostra semper at in eo terra laetetur
Et non a facie eius commoveatur.

46. Ave, Iesu, qui solus es altissimus,
Quia per te omnes nos creati sumus,
Corda nostra sancti spiritus lumine,
Ut illustres, summe rogamus, Domine.

47. Ave, cui novum canimus canticum,
Salvatorem quem confitemur unicum,
Tu nobis tuas notas fac iustitias,
Ne hic declinemus ad iniustitias.

48. Ave, Iesu, nomini cuius confitemur,
Magnum atque terribile omnes veremur,
Da nobis dignis te exaltare laudibus
Cum Moyse et Aaron sacerdotibus.

49. Ave, Iesu, qui inferni portas rupisti,
Cum exsultatione patres extraxisti,
Ad caelos usque victor tecum deduxisti,
Vestitos duplicibus patri praesentasti.

50. Ave, qui detrahentem proximo
Corde persequeris et animo,
Da sic cum proximo ambulare,
Te tandem ut possimus videre.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, Iesu, qui in aeternum permanes,
Tu nos dirige actusque nostros omnes,
Ne quando exprobrent nobis inimici,
Uti foenum si nos viderint confici.

2. Ave, qui Moysi notas vias fecisti,
Filiis Israel mare aperuisti,
Tu ne in perpetuum nobis irascaris,
Qui sperantium in te semper misereris.

3. Ave, qui es vera solidaque petra,
Tu nobis a patre veniam impetra
Et, qui in nos potes creare cor mundum,
Fac tibi nostrum eloquium iucundum.

4. Ave, qui in Aegypto signa ostendisti
Et plagis multis Aegyptios affecisti,
Da nobis, hac de Aegypto ut liberati
Ad te pertingamus virtute onerati.

5. Ave, quem offendimus nostris cum patribus,
Misertus nostri parce iniquitatibus,
Nomini sancto tuo ut confiteamur
Tuaque gloria perfrui mereamur.

6. Ave, Iesu, qui animas satias bonis
Eas servans, ne adhaereant rebus vanis,
Tu nos sedentes in tenebris illumina,
Tua eloquia ut sint nobis amoena.

7. Ave, in quo credentes fecere virtutem,
In quo tyranni devicerunt potestatem,
In tuam deduc nos munitam civitatem,
In qua habebimus omnem felicitatem.

8. Ave, Iesu, quo operimur, vestimentum,
Nostrarum esto immemor iniquitatum,
Induantur, qui detrahunt nobis, pudore,
Tibi nostro ut confiteamur in ore.

9. Ave, cuius iuramenti non paenituit,
In ore cuius nil nisi veritas fuit,
Tuo de torrente nobis tribue potum
Nosque hinc transfer in tabernaculum sanctum.

10. Ave, cuius nomen sanctum et terribile,
Da tuum servare testamentum fidele,
Escam, quaesumus, tribue te timentibus,
De qua sancti epulantur in caelestibus.

11. Ave, qui te das in cibum pauperibus,
Iustitia tua in terrae finibus,
In saeculum saeculi manet omnibus
In Dei veritate te quaerentibus.

12. Ave, quem in templo pueri laudaverunt,
Nomen cuius tunc laetantes benedixerunt,
Principes avari audire nequiverunt,
Sed de eius morte inter se tractaverunt.

13. Ave, Iesu, cuius est caelum caeli,
Quem non laudabunt mortui mali,
Sed nos, bone Iesu, qui vivimus,
Fac, te benedicere possimus.

14. Ave, Iesu, qui custodis parvulos,
Nos, quaeso, respice tuos misellos,
Ut in regione tibi vivorum
Placeamus domino dominorum.

15. Ave, Iesu, cuius ego sum servus,
Matris Evae miserrimus filius,
Rumpe, quaeso, peccatorum vincula,
Tibi ut sacrificem in saecula.

16. Ave, Iesu, qui tua misericordia
Gentes salvasti a tyranni miseria,
Tu cum sis veritas permanens in aeternum,
Tuae clementiae nobis porrige manum.

17. Ave, quem principes vallaverunt ut apes,
Strophas contra eum quaesierunt ut vulpes,
Sed castigans castigavit eos Dominus,
Devinctos cum relegavit Vespasianus.

18. Ave, lumen fidelium atque lucerna,
Sic tu gressus nostros mentesque illumina,
Tuam legem da nobis digne perscrutari,
Ut per te tandem possimus illuminari.

19. Ave, Iesu, meosque respice gemitus,
Quos nunc fundo in terra huius incolatus,
In qua me paenitet tamdiu peregrinari,
Qui tibi summe cupio associari.

20. Ave, Iesu, qui non dormis neque dormitas,
Nos custodi nostrasque dirige semitas,
Nequando per diem prosperum sol nos urat,
Neu adversam per noctem nos luna atterat.

21. Ave, Iesu, pax de caelo manifestata,
Hac tua pace, fac, non sint corda frustrata,
Quam tu apostolis quondam tuis dedisti,
Quando eis *Pax vobis* totiens dixisti.

22. Ave, Iesu, despectorum qui misereris,
Respice, quaesumus, tuis super miseris
Et fac, ut ad te suos dirigant oculos,
Qui se semper hic aestimaverunt misellos.

23. Ave, Iesu, tua qui passione
Daemoniorum a venatione
Nostri misertus nos eripuisti,
Nostra in cruce peccata tulisti.

24. Ave, qui non relinques virgam peccatorum
Omnium, ut praevaleat sorti iustorum,
Sed si extendant suas ad te iusti manus,
Tuae largitatis offeres eis munus.

25. Ave, cuius apostoli inter gentes
Ibant evangelium annuntiantes
Et Domino manipulos reportantes
Multos reddebant fidei audientes.

26. Ave, Iesu, cuius permanet aeternitas,
Electorum omnium qui es hereditas,
A nobis potentium repelle sagittas,
Ut non praevaleat eorum iniquitas.

27. Ave, Iesu, quem qui timent, sunt beati,
Ambulantes in viis eius ditati,
In viis tuis sic nos fac ambulare,
Labores nostros ut possimus edere.

28. Ave, peccatorum qui concidis cervices,
Uti meremur, nostra tu ne peccata vindices,
Sed quaerentibus spatium paenitentiae,
Fac, quaeso, non desit largitas veniae.

29. Ave, apud quem est propitiatio,
Per quem nostra est perfecta redemptio,
Fac, ut nos in custodia matutina
In te spem collocemus et vespertina.

30. Ave, Iesu, qui ab angelis minoratus
Atque a virgine matre es ablactatus,
Da nobis cum Israele in te sperare,
Mare hoc quo possimus tuti pertransire.

31. Ave, Iesu, sanctum cuius tabernaculum
Angeli videntes laetantur in saeculum,
Concede, tuum ut servemus testamentum,
Quod patribus promisisti per iuramentum.

32. Ave, cuius descendit in barbam unguentum,
Aaron scilicet eiusque vestimentum,
Sic nos, o bone Iesu, omnes fac uniri,
Quo tuo unguento possimus illiniri.

33. Ave, ad quem in noctibus extollo manus,
Ne dum hic curro, tandem appaream vanus,
Benedic me, quaeso, qui in Sion habitas,
Et fac, ne me premat malorum iniquitas.

34. Ave, qui populo tuo hereditatem
Dedisti fugans hinc sectantes vanitatem,
Praebe te nobis nunc, Christe, exorabilem,
Qui Cananaeae vocem audisti flebilem.

35. Ave, qui nostrae memor es humilitatis,
Vide, quod premat nos procella tempestatis,
In profundum statim forsitan demergendi,
Tibi si desit voluntas nos liberandi.

36. Ave, Iesu, qui es vera petra angularis,
Illidens inimicos nunquam confringeris,
Malos cogitatus da ad te allidere,
Solus qui potes utraque unum facere.

37. Ave, qui solus, cum sis Dominus excelsus,
Non despexisti nos miseriis compassus,
Sed carnem nostram homo factus induisti,
Dexteram patris qui nunquam dereliquisti.

38. Ave, Iesu, solus qui cuncta vides,
Si ascendero in caelum, ibi ades,
Sed etsi in infernum ego descendero,
Manus tuas effugere non potero.

39. Ave, Iesu, iudex inopis et pauperum,
De manu omnium salva nos peccatorum
Atque eripe hominibus ab iniquis,
Qui impiis iudicium facis et aequis.

40. Ave, qui a laqueo potes custodire,
Scis, quod peccatores laqueum paravere,
Quem nunquam sine te potero evadere,
Qui in retiaculo non potes cadere.

41. Ave, cuius dexteram si timuero,
In via hac quamdiu ambulavero,
Laqueos effugiam inimicorum,
Quia per te manus evadam illorum.

42. Ave, cuius spiritus est anxiatus,
Vide, quaeso, ego quod sim conturbatus
Et fac, ut sim tuis mandatis attentus,
Quo me ad te deducat spiritus sanctus.

43. Ave, Iesu, qui das salutem regibus,
David salvasti periculis ab omnibus,
Erue nos de manibus alienorum
Nosque tandem hinc transfer ad regna caelorum.

44. Ave, qui iustus es tuis in operibus,
Prope esto omnibus te invocantibus,
Timentium te qui voluntatem perficis
Tuaeque gloriae participes efficis.

45. Ave, Iesu, solus qui solvis compeditos,
Caecis qui reddis oculos illuminatos,
Erige, quaeso, a diabolo elisos,
Pupillos qui custodis advenasque laesos.

46. Ave, qui producis in montibus foenum
Et qui das herbam servituti hominum,
Concede tibi digne posse servire,
Ut pro datis grates possimus reddere.

47. Ave, Iesu, ecclesiam qui confortasti
Et fines eius pacem ipse posuisti,
Da nobis sic in ea hic perseverare,
Quo frumenti adipem possimus edere.

48. Ave, cui omnes bestiae cunctaque pecora,
Serpentes volucresque, pura et impura,
Omnis sane te laudat tua creatura,
Tibi namque omnis creaturae est cura.

49. Ave, quem angelorum ordines laudare
Non cessant eumque iugiter adorare
Sanctus, sanctus canendo nosque gubernare,
Actusque nostros semper velit dirigere.

50. Ave, Iesu in sanctis tuis laudandus,
In firmamento ab omnibus colendus,
Da, ut in psalterio et in cithara
Te laudare valeamus mente pura.

Orat. ms. Pratense saec. 15/16. Cod. Parisin. 14156. — I. 1, 2 sqq. wegen Beschädigung der Hs.: defekt. — 6, 1 bone Iesu. — 8, 4 et fehlt — 9, 3 Tu eum contere. — 35, 2 et amor. — 37, 2 et fehlt. — 47, 1 Ave, Iesu, quem reges. — 49, 2 Nil est. — II. 14, 3 gentem. — 23, 1 es fehlt. — 36, 2 Dona tua multiplicans. — III. 22, 4 se fehlt. — 39, 1 Lies vindex? — 42, 3 ut fehlt. — Dies Psalterium ist augenscheinlich von demselben Verfasser wie das vorhergehende.

IX. Psalterium beatae Mariae V.

auctore Engelberto Admontensi.

Prima Quinquagena.

1. Ave, rosa, flos aestive,
O Maria, lucis vivae
Suave habitaculum,
Lumen vivum ex te luxit,
Lumen vitae quod reduxit
In hoc mortis saeculum.

2. Ave, rosa aestivalis,
Nulla unquam rosa talis
In hoc mundo splenduit,
Ut est notum Gabrieli,
De te sola lumen caeli
Homo nasci voluit.

3. Ave, rosa, flos vitalis,
Creatura aestivalis,
Felix o prodigium,
Quod cum Deus fabricaret,
Hoc intendit, ut monstraret
Grande artificium.

4. Ave, rosa, decor cuius
Omne pulchrum mundi huius
Premit et exsuperat,
Lege carnis nihil tale
Conferendum vel aequale
Mundus germinaverat.

5. Ave, rosa non vulgaris,
Disciplinae puellaris
Exemplum et regula,
Cedrus cedri vincis iura,
Quam plantavit Dei cura,
Fragans fumi virgula.

6. Ave, rosa, cui scripturae
Alluserunt adfuturae
Praedicentes inclitam,
Arca Noe quam signavit,
Quam abyssus exaltavit
In sublimi positam.

7. Ave, rosa, intus, extra
Creatoris forti dextra
Illita bitumine,
Nam bitumen hoc amoris
Nunquam solvi vi terroris
Potuit ab homine.

8. Ave, rosa, quam benigne
Firmae pacis ad insigne
Deus arcum posuit,
Quo inspecto clemens Deus,
Ne periret homo reus,
Parcere disposuit.

9. Ave, rosa verni roris,
Te divini ros amoris
Totam sic roraverat,
Ut hunc esses genitura
Carne sine carnis cura,
Deus quem genuerat.

10. Ave, rosa, rosa veris,
Dum in mundum nascereris,
Totus mundus floruit,
Te nascente velut sole
Tenebrarum pulsa mole
Nova lux emicuit.

11. Ave, rosa tactu lenis,
Cuius vultu, cuius genis
Rubet verecundia,
Vultu cuius instar floris
Relucebat lux pudoris
Virginalis gratia.

12. Ave, rosa, mater Dei,
Admirandae speciei,
Flore fulgentissima,
Rosa, inquam, clari floris,
Longe spargens vim odoris,
Gratiis plenissima.

13. Ave, rosa, germen clarum,
Nil spineti, nil spinarum,
Nil rigoris retinens,
Virgo vitae singularis,
Disciplinae puellaris
Principatum obtinens.

14. Ave, rosa paradisi,
Per quam morbi sunt elisi,
Serpens, quos induxerat,
Morbi mortis, primus homo
Quos gustato uno pomo
In nepotes fuderat.

15. Ave, rosa rubens verno,
Te creator ab aeterno
Sic praedestinaverat,
Ut ex tua carne pura
Verbum esses genitura,
Corde quod ructaverat.

16. Ave, rosa suavis tota,
Tu columba lacte lota,
Affluens deliciis,
Pulchra, decens, verecunda,
Prudens, casta, mitis, munda,
Cunctis plena gratiis.

17. Ave, rosa, prae puellis
Solis iubar ut prae stellis,
Ut aurora rutilans,
Nascebaris ut aurora,
Luna fuit vitae mora,
Sol es sursum iubilans.

18. Ave, rosa, vitae vitis,
Vero David Sunamitis
Es quaesita longius,
Qua reperta inter mille
Esse vidit fortis ille
Nihil amabilius.

19. Ave, rosa nata mundo,
Volvebamur in profundo
Umbrosae caliginis,
Lux est orta te nascente,
Tua fulsit lux repente
In salutem hominis.

20. Ave, rosa, sponsa Christi,
Hesther nova appendisti
Aman in patibulo,
Dum amata loco Vasthi
Gentem tuam liberasti
Mortis a periculo.

21. Ave, rosa sola potis,
Ferre vim rhinocerotis
Et invictum capere,
Dum signatum fera tali
Sinu claudis virginali
Moriturum propere.

22. Ave, rosa, recordare,
Dum iam tempus propinquare
Cerneret altissimus,
Quo necandus ligno crucis
Dextra foret magni ducis
Aman superbissimus.

23. Ave, rosa, orbe toto
Quaerebaris Dei voto,
Virginalis castitas,
De qua posset digne nasci,
Lacte cuius vellet pasci
Incarnanda veritas.

24. Ave, rosa sic quaesita,
Pretiosa margarita
Longe pretiosior,
Inveniri meruisti,
Sic inventa placuisti,
Cunctis amabilior.

25. Ave, rosa, novo more
Gabrielis cum ab ore
Sonat salutatio,
Salutantis in sermone
Novitatis ratione
Tua nutat ratio.

26. Ave, rosa singularis,
Novitatem admiraris,
Mens pavore rapitur,
Fatu donec blandi oris
Nascituri ex te floris
Tibi ortus panditur.

27. Ave, rosa, quaeris modum,
Quaestionis factae nodum
Mox dissolvit nuntius,
Ex te, inquit, quod nascetur,
Sanctum erit et vocetur
Summi Dei filius.

28. Ave, rosa sic intacta,
Veritatis templum facta,
Thronus sapientiae,
Verbum verbo concepisti,
Dum per fidem paruisti
Inspiranti gratiae.

29. Ave, rosa sic fecunda,
In conceptu verbi munda
Castis in visceribus
Sine mole pignus carum,
Deitatis solem clarum,
Novem portas mensibus.

30. Ave, rosa, modo tali
Cum in horto virginali
Hoc floreret lilium,
Pectus tuum astringebat,
Quod te totam possidebat
Immortale gaudium.

31. Ave, rosa, nec exponi
Nostrae potest rationi
Tanta gratulatio,
Virtus Dei si non ibi
Obumbrasset, virgo, tibi,
Perisses exitio.

32. Ave, rosa, dum amoris,
Admirandi dum fervoris
Ignes tot non toleras,
Vi amoris mente mota,
Prae amore languens tota
In montana properas.

33. Ave, rosa, in montanis
Supra mundum ab his vanis
Quam sublimis habitas,
De profundis cuius mentem
Super caelos ascendentem
Elevavit caritas.

34. Ave, rosa, dum astares,
Dum cognatam salutares
Salutantis vocibus,
Gestit infans ventre clausus
Exhibetur Deo plausus
Voce non, sed motibus.

35. Ave, rosa vultus clari,
Ibi tuo salutari
Carmen laetum concinis,
Mundo lumen effulsurum
Praestolaris nasciturum
Praecursorem luminis.

36. Ave, rosa, trino mense
Ibi perstas innoffense,
Mox Iohannes nascitur,
Qui dum vagit, infans natus
Per te primam elevatus
Fasciis involvitur.

37. Ave, rosa post, non ante
Partu tibi properante
Bethlehem ingrederis,
Verbum ibi caro factum
Non per vetus Evae pactum
Genuisse crederis.

38. Ave, rosa, noto more,
Nullo tamen in dolore
Parturisti filium,
Clausa semper persistente
Via sacra, qua repente
Profudisti lilium.

39. Ave, rosa, quam mirandum,
Quam devote venerandum
Lux inacessibilis,
Nube carnis quod induta
Vili sacco involuta
Facta est visibilis.

40. Ave, rosa, quantae curae
Erat tibi pariturae,
Cum tractares dulciter,
Quam ferventer, quam benigne
Nato velles et quam digne
Deservire iugiter.

41. Ave, rosa, quanti aestus,
Cum instaret dies festus,
Te angebant virginem,
Quae ignara generandi,
Quae infantes fasciendi
Necdum noras ordinem.

42. Ave, rosa, reor ratum,
Quod iam totos necdum natum
Tu affectus traxeras,
Quod in vultus necdum orti
Caritate prorsus forti
Totam te transfunderas.

43. Ave, rosa, pia mente
Haec ardenter, haec intente
Cogitabas omnia,
Necdum natus erat ille,
Tu complexus dabas mille,
Mille dabas basia.

44. Ave, rosa, sine mora
Sacri partus adest hora,
Verbum caro nascitur,
Et, qui pascit omne vivum,
Mundum omnem defectivum,
Tuo lacte pascitur.

45. Ave, rosa, dum videres
Florem Iesum et stuperes
Clariorem sidere
Fasciatum et obtectum,
Eiulantem ad dilectum
Applicaris ubere.

46. Ave, rosa, mater dulcis,
In praesepe foeno fulcis
Flentem sapientiam,
Fletus ille dulcis voti
Merebatur mundo toti
Creatoris gratiam.

47. Ave, rosa, mater spei,
Quam stupendus fletus Dei
Sub pannis infantiae,
Admirandus plane fletus,
Angelorum pavet coetus
Fletum sapientiae.

48. Ave, rosa, verbum mutum
Pannis vagit involutum,
Pannis inquam vilibus,
Vagit infans, nescit fari,
Sursum qui scit fabulari
Angelorum milibus.

49. Ave, rosa, quam decenter
Quam benigne, quam frequenter
Nato figis oscula,
Eiulantem quam abunde,
Arridentem quam iucunde
Reficis mamillula.

50. Ave, rosa vultus clari,
Iam te quaeso recordari
Pastorum laetitiae,
Ortum quibus campi florem
Nuntiarunt, salvatorem
Caelestes militiae.

Secunda Quadragena.

1. Ave, rosa, quantum gaudes,
Cum pastorum audis laudes
Deum collaudantium,
Sed tu, rosa, corde laeto
Clausum servas in secreto
Tantum hoc mysterium.

2. Ave, rosa, cum infantem
Aqua lavas palpitantem
Puerili turbine,
Arridebat rosa rosae,
Speciosus speciosae
Blanda in dulcedine.

3. Ave, rosa, mater floris,
Tanta fuit vis amoris
Tuis in visceribus,
Ut si forte casu fieret,
Cor maternum mox langueret
Saevis in doloribus.

4. Ave, rosa, quam instanter,
Quam votive, quam ovanter
Menses aevi numeras,
Quod tardabat gradiendi
Facultatemque loquendi,
Votis tu acceleras.

5. Ave, rosa, et laetare,
Dum maternis hic reptare
Nondum sciret sinibus,
Novae sidus claritatis
Testem mittit veritatis
Chaldaeorum finibus.

6. Ave, rosa, ecce, Magi
Quaerunt regem parvi pagi
Ductu clari sideris,
Delectari tuo flore
Sponsi currunt in odore
Voto dandi muneris.

7. Ave, rosa, vi odoris
Attrahuntur salvatoris
Suavitate lilii,
Cernunt tandem, sed iacentem,
In praesaepi vagientem
Vilis diversorii.

8. Ave, rosa, pias mentes
Non conturbat intuentes
Regis haec pannositas,
Quas nimirum illustrando,
Lucem intus aspirando
Edocebat veritas.

9. Ave, rosa, trinum munus
Christo ferunt, qui est unus
Splendor veri luminis,
Profitentur Deum ture
Auro regem, murra iure
Sepulturam hominis.

10. Ave, rosa, recordare
In Aegyptum transportare
Dum iuberis filium,
Fugam pavor celerabat,
Sed miranda dulcorabat
Caritas exsilium.

11. Ave, rosa, hinc reversa
Iam pavoris nube tersa
Nazareth regrederis,
Hinc, o Iesu Nazarene,
Nomen suave, nomen lene
Possidere crederis.

12. Ave, rosa, flos perennis,
Iesus tuus duodennis
Cum in urbe perditur,
Arescebas in maerore,
Cor maternum prae dolore
Gladio transfigitur.

13. Ave, rosa, quam non stando,
Quam instanter pergyrando
Anfractus itinerum
Inter notos et amicos,
Per patentes urbis vicos
Dulcem quaeris puerum.

14. Ave, rosa, te quaerente
Iesum tuum, cum repente
Flos effulsit inclitus,
Mox maeroris tersa mole
Novo quasi orto sole
Tuus gaudet spiritus.

15. Ave, rosa, quam benigne,
Quam amoris blando igne
Osculis excipitur,
Sed stupendum, Deus a te
Quod materna pietate
Fugae redarguitur.

16. Ave, rosa, tuus ille
Per virtutes dum sic mille
Transit pueritiam,
Tecum sedens, tecum stando,
Tibi iuge famulando
Exhibebat gratiam.

17. Ave, rosa, carae proli
Intendebat paene soli
Maternus intuitus,
Excomebas vestes cultu,
Solus tuus illo vultu
Quiescebat spiritus.

18. Ave, rosa, rosa mundi,
Sic vos cerno, coniucundi
Floruistis pariter
In amore prorsus miro,
Soli dabas illi viro
Te adflandam dulciter.

19. Ave, rosa, credo vere,
Quod te matrem nil latere
Secretorum poterat,
Quae se verbum ex te natum,
Carne tua incarnatum
Effecturum noverat.

20. Ave, rosa, mundi vita,
Quam miranda, quam ignita
Caritate affluis,
O quam saepe corde laeto
Nati dulcis in secreto
Ad amplexus proruis.

21. Ave, rosa, memor esto,
Nuptiarum dum in festo
Egeret convivium,
Ibi eras tu concivis,
Vino eget, non convivis
Nobile triclinium.

22. Ave, rosa, contristaris,
Contristata miseraris
Sponsi verecundiam,
Nato pandis aestus curae,
Obrespondet ille dure
Nutu servans gratiam.

23. Ave, rosa, nec acerbo
Exturbaris nati verbo,
Quae negantem noveras
Non negantis ferre votum,
Sed implere velle totum,
Votis quod optaveras.

24. Ave, rosa, mirum grande,
Quod petentis votum blande
Quasi negans arguit,
Sed nimirum vultu laeto
Tibi latens in secreto
Voluntas innotuit.

25. Ave, rosa, scio vere,
Nihil prorsus te latere
Latentis consilii,
Fatu suavis disciplinae
Dum impleri tam festine
Iussa iubes filii.

26. Ave, rosa, quam tu gaudes,
Non audenda dum sic audes
Amoris fiducia,
Votis cuius Deus cedit,
Cui paret et oboedit
Caelestis potentia.

27. Ave, rosa, iubet laetus,
Ministrorum paret coetus,
Aqua replet hydrias,
Lympha stupet flavescente,
Quae dum vinum fit repente,
Stupor agit gratias.

28. Ave, rosa ter beata,
Quam immense cumulata
Gratularis gaudio,
Dum ex aqua factum vinum,
Non terrestre, sed divinum,
Fertur in convivio.

29. Ave, rosa, ex hac hora
Iesus tuus, o decora,
Splenduit miraculis
Te vidente, o benigna,
Facit mira, facit signa
Inaudita saeculis.

30. Ave, rosa, floris clari,
Coli digna et amari,
Summis digna laudibus,
Digne gaudes tota mente,
Iesu tuo tot fulgente
Signis et virtutibus.

31. Ave, rosa, vultu laeto
Tu et ille in secreto
Cum essetis pariter,
Tunc, ut reor, tactu blando
Caput sacrum osculando
Demulcebas dulciter.

32. Ave, rosa, memoreris,
Cum docentem sequereris
Per urbes et viculos,
Caritatis ad insigne
Ad te crebro quam benigne
Dulces flexit oculos.

33. Ave, rosa, recordare,
Quam iucunda sequebare
Praedicantem filium,
Rosa rosae stabas iuncta,
Vix inter vos duo puncta,
Procul omne medium.

34. Ave, rosa, memor esto,
Quam devota iugis praesto
Assistebas filio,
Miti eius visu fixa
Cohaerebas illi nixa
Dulci nimis studio.

35. Ave, rosa, recorderis,
Cum maternae pungereris
Pietatis spiculo,
In dilecto quam dilecte,
Visionis quam erectae
Quiescebas oculo.

36. Ave rosa, vultus ille
Caritatis tibi mille
Evulsit suspiria,
Si carebas illo flore,
Mox languebas prae amore,
Premebant fastidia.

37. Ave, rosa, procul clare
Dum amorem scis amare,
Diligens diligeris,
Ille amor, tu amata,
Multum amans, sed beata
Et ab illo vinceris.

38. Ave, rosa, flos camporum,
Cum paterent Iudaeorum
Fraudes et malitia,
Quas texebant tuo nato,
Corde ibas vulnerato
Languens prae tristitia.

39. Ave, rosa, nunc est hora,
Ut depromam sine mora
Passionis ordinem,
Sed mens votis reluctatur,
Dum doloris meditatur
Tantam maestitudinem.

40. Ave, rosa, sorte dura
Quanto aestu, quanta cura
Pectus tuum uritur,
Dei verbum, Dei sensus
Vinculatur, indefensus
Cum ad mortem trahitur.

41. Ave, rosa, turba teste
Dum ridetur verbum veste
Amictum purpurea,
Dum corona caput blandum,
Creaturis adorandum,
Perforatur spinea.

42. Ave, rosa, carens vere,
Dum ludentes illusere
Dei sapientiae,
Celsitudo dum curvatur,
Dum sublimis inclinatur
Maiestas malitiae.

43. Ave, rosa, dulcis Iesus
Dum flagellis sordet caesus,
Dum patet ludibrio,
Dum calcatur ab infandis,
Vultum dulcem dum tam grandis
Operit confusio.

44. Ave, rosa, cum decorus,
Quem caelorum laudat chorus,
Vultus pugnis caeditur,
Dum foedatur vultus ille,
Quem non aequant soles mille,
Sputis dum illinitur.

45. Ave, rosa, dum audires
Universa ac haec scires
Accidisse filio,
Supergressa matrum morem
Deplangebas tuum florem,
Condolebas lilio.

46. Ave, rosa pallens ibi,
Cum portaret crucem sibi
Ad locum Calvariae,
Hunc sequentes cum lugerent,
Moriturum cum deflerent
Hierusalem filiae.

47. Ave, rosa, cum videres
Complangentes mulieres
Tantis in doloribus,
Novus, reor, et immensus
Ex hoc dolor est accensus
Tuis in visceribus.

48. Ave, rosa, dum sequentes
Deterreret se deflentes
Hierusalem filias,
Planctu miro matrem novit,
Vultu blando te refovit
Flentem inter alias.

49. Ave, rosa, sic languebat
Fortitudo, sic ruebat
In plateis veritas,
Sic mors mortis trahebatur
Et sic vita calcabatur,
Praevalebat falsitas.

50. Ave, rosa, sic venitur,
Sic ad locum mortis itur
Magnis cum tumultibus,
Ibi membra clari ducis
Acclavantur ligno crucis
Turbis insultantibus.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, rosa, re perfecta
Crux in altum est erecta,
Et tunc caelis altior
Apparebat vili morte
Miseranda prorsus sorte
Omni vili vilior.

2. Ave, rosa, vide florem,
Vide tuum nunc amorem
Exaltatum misere,
Vide, virgo, patefactas
Nudae carnis cataractas
Quino ferri vulnere.

3. Ave, rosa, his in malis
Dolor tuus specialis
Tanti regis nuditas,
In derisu pessimorum
Creatoris angelorum
Tanta mortis vilitas.

4. Ave, rosa, quid ferebas,
Quid doloris sentiebas,
Nato cum assisteres,
Claritatem sic foedari,
Sic virtutem vulnerari
Praesto dum aspiceres?

5. Ave, rosa, tunc te ille,
Qui dolores dedit mille,
Pertransivit gladius,
Saeviturum quem notabat,
Vim doloris quo signabat,
Simeon praenuntius.

6. Ave, rosa, dum spectares
Et maternis inundares
Lacrimarum fontibus,
Vires dolor ebibebat,
Corpus tuum fatiscebat
Admirandis luctibus.

7. Ave, rosa, iam a fletu
Tibi flenti sine metu
Vultus intumuerat,
Nam caligo nebulosa
Tibi, virgo, tibi, rosa,
Oculos abolverat.

8. Ave, rosa, plangens carum
Raucitate iam fibrarum
Tua vox perierat,
Tibi flenti iam singultus,
Eiulanti plangor multus
Vires prorsus fregerat.

9. Ave, rosa. plane rosa,
Tota rubens, cruorosa
Nati dulcis sanguine,
De supernis proluentem
Quem dum rapis rosascentem,
Rubescis aspergine.

10. Ave, rosa, Deus fortis,
Cum rigeret tactu mortis,
Effusurus animam
Te affatu salutavit,
Te dilecto commendavit
Vere amantissimam.

11. Ave, rosa, morte dura
Morientis summa cura
In te sola figitur,
Dum nec illam Magdalenam,
Condoloris igne plenam,
Moriens adloquitur.

12. Ave, rosa, cor discissum
Sic doloris in abyssum
Totum sese merserat,
Ut iam posset vix videri,
Si is esset, qui et heri
Vultus tuus fuerat.

13. Ave, rosa, dolor talis
Tibi soli specialis,
Nullo aevo cognitus
Provocabat in lamentum
Dura corda intuentum,
Vulnerata penitus.

14. Ave, rosa, re mutata
Dies lucet ter beata,
Fulget resurrectio,
Gratulare, virgo dulcis,
Iam te flore novo fulcis
Redivivo filio.

15. Ave, rosa, poena cessit,
Quae te pridem saeva pressit
Lacrimarum imbribus,
Fugit rigor glacialis,
Auster spirat aestivalis,
Sol praelucet nubibus.

16. Ave, rosa, vide rosam
Immortalem, speciosam,
Qua nil speciosius,
Quam mors ultra non involvet,
Algor brumae non dissolvet,
Non torrebit Sirius.

17. Ave, rosa, ecce, quaero,
Tibi matri cur tam sero
Iesus tuus splenduit?
Nam Mariae Magdalenae
Specie in aliena
Prior se exhibuit.

18. Ave, rosa, tu repente
Si viventem maesta mente
Aspexisses filium,
Tuam tibi vitam plane
Insperatum et immane
Ademisset gaudium.

19. Ave, rosa, astu tali
Forma tantum aliquali
Sensim tuis sensibus
Lux illuxit novae rei,
Donec locus speciei
Esset in affectibus.

20. Ave, rosa, nunc floresce,
Vultu novo iuvenesce
Dulcem videns filium,
Quem plangebas contra morem,
En, adora campi florem,
Amplexare lilium.

21. Ave, rosa, cor extende,
Ascendenti coascende
Votis suspirantibus,
Ecce, scandit alta poli
Derelinquens ima soli
Suis admirantibus.

22. Ave, rosa, Iesu flenti,
Lactis potum sitienti,
Olim dabas ubera,
Stola carnis nunc formosum,
Nunc scandentem luminosum,
Cerne super sidera.

23. Ave, rosa, mater rosae,
Rosae, inquam, speciosae
Super caeli sidera,
Super lunam, super solem
Rosam illam, tuam prolem
Admirantur aethera.

24. Ave, rosa, dum iam ita
Ascendisset mundi vita
Suscepta in nubibus,
Novus amor in te crevit,
Ignis novus blande saevit
Tuis in affectibus.

25. Ave, rosa, quam intensae
Caritatis, quam accensae,
Urebaris gaudio,
Cum iam scires vitae ducem
Post flagella, sputa, crucem
Emicantem solio.

26. Ave, rosa, quam immenso,
Quam stupore longe tenso
Movebaris sensibus,
Cum videres ex te natum
Super caelos elevatum,
Regem in caelestibus.

27. Ave, rosa, cum iam tota
Fixa prorsus et immota
Transisses in spiritum
Et amoris lege certi
Creatoris inexperti
Ignorares gemitum.

28. Ave, rosa singularis,
Homo tamen movebaris
Sensu nostri sanguinis,
Quo movente resolvebas
Et ad horam demittebas
Theorias luminis.

29. Ave, rosa, mox novata,
Somno velut excitata,
Miris desideriis
Loca Iesu visitabas
Et ardorem temperabas
Gravibus suspiriis.

30. Ave, rosa, sic ardebat
Pectus tuum, sic urebat
Flamma invincibilis,
Mundi huius omne clarum
Tibi visum est amarum,
Res intolerabilis.

31. Ave, rosa, censens grave,
Quidquid blandum aut suave
Adludebat sensibus,
Sola tuis tua vita,
Nimis clara margarita,
Splenduit affectibus.

32. Ave, rosa, laetum solem
Aestimabas velut molem
Fastiditi luminis,
Sole vero intus plena,
Tota ardens et serena,
Diem spernens hominis.

33. Ave, rosa, memorare,
Tibi tamen singulare
Praestitit solacium
Iesu tuo cum videres
Et videndo constuperes
Turbas tot credentium.

34. Ave, rosa, in hoc mundo
Volvebaris in profundo
Lugubris maestitiae,
Sed nunc audis beatorum
Super choros angelorum
Cantica laetitiae.

35. Ave, rosa transplantata,
Super caelos exaltata
Iuxta thronum filii,
Angelorum ibi coetus
Tibi semper canit laetus
Dulces hymnos gaudii.

36. Ave, rosa, multum gaude,
Risu cordis Deo plaude
Pro immensis gratiis,
Ecce, regnas laetabunda,
Iesu semper coniucunda,
Affluens deliciis.

37. Ave, rosa, nunc honorant,
Nunc te laudant et decorant
Angelorum agmina
Concinentes sine fine,
Caritatis seraphinae
Tibi sonant carmina.

38. Ave, rosa, laeta prole,
Deitatis clara sole,
Luna subest pedibus,
Caput sacrum honoratur,
Dum bis senis coronatur
Igneis sideribus.

39. Ave, rosa, terrenarum
Phantasias iam curarum
Detersisti nubilas,
Et affecta vi amoris
In aspectu conditoris
In aeternum iubilas.

40. Ave, rosa, fulgens ore,
Moysino prae fulgore
Longe luminosior,
Sol lucescit ut prae stellis,
Sic tu, rosa, prae puellis
Luce speciosior.

41. Ave, rosa, spes lugentum,
Mihi si sint linguae centum,
Si facundus fuero,
Nihil tamen tibi digne,
Nihil tibi coïnsigne
Decantare potero.

42. Ave, rosa, intuere,
Mei, mater, miserere,
Mater, mater gratiae,
Mater clemens, mater pia,
Mater dulcis, o Maria,
Dona locum veniae.

43. Ave, rosa manus clarae,
Lava, terge, miserare
Foedum facinoribus,
Pressum, ecce, larva mortis
Ab inferni trahe portis,
A gehennae ignibus.

44. Ave, rosa, absque naevo,
Ne draconi tradar saevo,
Totis age nisibus,
Nam et multum si peccavi,
Iesum tamen non negavi,
Hoc repone sensibus.

45. Ave, rosa, fidem muni,
Fidem firma et couni
Nostris fixam mentibus,
Ne vagetur nutabunda,
Sed sit fortis et iucunda
Mortis in doloribus.

46. Ave, rosa, amoenorum
Ad convalles duc nos florum,
Ad hortorum lilia,
Paradisi ad virores,
Violarum ad odores,
Ad rosarum milia.

47. Ave, rosa ter beata,
Duc nos ad malogranata,
Ad florentes vineas,
Ad spirantes auras vitae,
Ad nardorum nemus mite,
Duc ad sedes aureas.

48. Ave, rosa super rosas,
Duc ad domos luminosas
Resplendentes oculis,
Claritatis vi vernantes,
Intus, extra rutilantes
Aureis laterculis.

49. Ave, rosa, duc ad zetas
Gemmis, auro, luce laetas,
Lucis ad palatium,
Quo lux lucet semper viva,
Vita, pax indefectiva,
Caritas et gaudium.

50. Ave, rosa, te, Maria,
Flagitamus, virgo pia,
Mundi post exsilium
Fontem vitae, fontem boni
Nostrae palam visioni
Praebe, tuum filium.

Clm. Monacen. 23232. saec. 14. in. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) anni 1473. D. — Clm. Monacen. (ol. Eberspergen.) 5974. saec. 15. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. b. VII 10. saec. 15. F.

I. 7, 2 fortis AF. — 7, 3 Nam bitumen fehlt F. — 9, 2 Tu divini F. — 12, 4 clara F. — 13, 3 retines F. — 13, 6 obtines F. — 23, 6 incarnata deitas F. — 24, 3 Cunctis pretiosior F. — 29, 3 Castitatis in F. — 32, 3 Igne te non tolleras F. —

II. 15, 3 Necdum B. — 22, 5 Obresponderet F. — 24, 1 rosa in re grande. — 26, 1 quantum gaudes F. — 26, 2 dum fehlt F.

III. 2, 5 Mundae carnis AB. — 5, 1 tunc et ille F. — 15, 6 prolucet F. — 16, 5 Algor pruinae F. — 16, 6 terrebit F. — 33, 6 Turbat te credentium F. — 39, 5 In fehlt F.

Verfasser dieses Psalteriums ist Engelbert von Admont (Abt 1297 bis 1331). Alle Handschriften mit Ausnahme von AB bezeichnen ihn als solchen: Incipit de beatissima matre eius rosarium elegantissimum et devotissimum distinctum in tres Quinquagenas B. — Incipiunt orationes domini Engelberti, quondam abbatis Admontensis, ad dulcissimam dominam nostram, Dei genetricem Mariam CF. — Engelbert selbst führt in einem Briefe an den Wiener Scholaster Ulrich, in dem er die von ihm verfafsten Werke aufzählt „orationes precatorias ad Iesum et Mariam“ auf. B. Pez, Tom. I Anecdot. p. 429. Diese Orationes peccatoriae sind zweifellos die beiden Psalterien „Ave, Iesu, Iesu, ave“ und „Ave, rosa, flos aestive“, die in den Hss. immer als „orationes domini Engelberti“ bezeichnet werden. Auch Cgm. Monacen. 716. giebt einige Strophen dieses Psalteriums als „aliqui versus ex rosario Domini Engelberti, Abbatis Admontensis.“ Jeder Quinquagene dieses Psalteriums geht in der Mehrzahl der Handschriften eine „Oratio praeambula“ vorauf; diese Gedichte scheinen nicht von Engelbert herzurühren: Das Psalterium Iesu Engelberts hat keine solche praeambula; die auf Christus bezüglichen ungeraden Strophen fallen inhaltlich und formell sehr ab gegen die auf Maria Bezug nehmenden geraden, verletzen die von Engelbert gehandhabte Metrik, namentlich das Cäsurgesetz, während die geraden Strophen zum grofsen Teil dem Liede 606 bei Mone entnommen sind. Diese prooemia lauten:

Oratio praeambula ad primam Quinquagenam.

1. O Messia, vitae via,
Verus Deus, verus Ia,
Riga cordis intima
Ut medulla cordis bulla
Sit parata tua grata
Fari beneficia.

2. O Maria, mater pia,
O benigna, laude digna,
Plena Dei lumine,
Me laudare te dignare
Verbis dignis, sanctis hymnis
Et psalmorum carmine.

3. O praeclara crucis ara,
Mors amara, vita clara,
Nostra rumpens vincula,
O mors dura et obscura,
Mortis iura cum censura
Tu cassasti aspera.

4. O dilecta, praedilecta,
Caeli clavis, mundi navis,
Te devotus postulo,
Ut digneris nec moreris
Clemens esse nec deesse
Mihi tuo famulo.

5. O res mira, o mors dira,
Iudaeorum fremens ira
Nobis vitam repara,
Gens dolosa, mortis glosa
Odiosa, clamorosa,
Mortis tulit pabula.

6. O regina, lux divina,
O formosa plus quam rosa,
Pro me, quaeso, rogita,
Ora Deum, serva reum
Consolando, visitando
Sensum meum visita.

7. O dilecte, iudex recte,
Sordes necte, corda flecte,
Poli rector optime,
Et reflecte vili sectae
Quae nos ducunt indirecte
Liberator maxime.

8. O beata, Deo grata,
O serena, Deo plena,
Votis meis annue,
Ne me tangant, ne me frangant
Hostis ictus et conflictus,
Me de malis erue.

9. O electe, rex perfecte,
Aequitate nos complecte
Et correctos effice,
Ut amoenae cantilenae
Nostri cordis fructu plene
Sint in tuo nomine.

10. O spes rei, templum Dei,
Stella maris singularis,
Esto custos animae,
Ut vincantur et pellantur,
Erubescant et tabescant,
Hostes meos comprime.

Oratio praeambula ad secundam Quinquagenam.

1. O amate, vulnerate
Dei nate, caelo date
Spiritali munere,
Destinate maiestate,
Caelitus praeordinate,
Mundum veni solvere.

2. O flos florum, fons hortorum,
O praeclara, Deo cara,
Meum sis solacium,
Obcaecato, vulnerato
Sis candela, sis medela
Tuum dans auxilium.

3. O Iesu, Mariae fili,
Emundator sorde vili,
Cuncti cedant aemuli,
Tecto carne te servili
Manu subdis te hostili,
O salvator populi.

4. O suavis, nulli gravis,
Dei cella, nitens stella,
Carnis aufer vitium,
Os precantis, cor peccantis
Tua prece munda faece
Delictorum omnium.

5. O Iesu, qui cupivisti
Mortem ferre, quam subisti
Pro delicto saeculi,
Mortem nostram sic vicisti,
Procumbentes erexisti
Forma tectus servuli.

6. O decora plus aurora,
Virgo parens labe carens,
Me clementer corrige,
Ne peccati potestati
Sim subactus, meos actus
Gubernando dirige.

7. O pudici cordis doctor,
O amici gregis pastor
Tentus corde simplici,
Fac felici frui fine,
Superis adici iube,
Nullo metu affici.

8. O lux solis, proles prolis,
O lucerna, quae superna
Coruscas in patria,
Te precamur, ut ducamur
Post hanc lucem per te ducem
Ad sanctorum gaudia.

9. O salvator, nos salvato,
Victor mortis, vitam dato
Divino consilio,
Tu languentem visitato,
Reos mortis liberato
Horrendo exsilio.

10. O vas mellis expers fellis,
Cinnamomo et amomo
Nomen habens dulcius,
Post tuorum unguentorum
Vel ordorem vel dulcorem,
Fac, ut currem citius.

Oratio praeambula ad tertiam Quinquagenam.

1. O flos Iesu, me in bono
Frena deitatis dono
Caritatis vinculo,
Qui te creatorem colo,
Fac remotum omni dolo
Me et omni vitio.

2. O caelestis margarita
In sublimi throno sita
Nostris fulge cordibus,
Ut fulgore tuo tracti
Iuncti simus et compacti
Paradisi civibus.

3. O dux bone, mitis esto,
Ut oblato corde maesto
Canamus cum iubilo,
Bonae voluntatis scuto
Fac diverti calle tuto
Salvans a periculo.

4. O Maria, maris stella,
Deitatis casta cella,
Hostis fuga aciem,
Sacra virgo, nos iuvare,
Ut possimus contemplare
Tuam pulchram faciem.

5. O Iesu, solis ab ortu
Duc tu salutari portu
Salvans ab interitu,
Benedicto ventris fructu
Liberans ab omni luctu
Sis salus in exitu.

6. O Maria, Deo cara,
Nulli gravis neque rara,
Te exspectant pauperes,
Noli, virgo, iam tardare,
Flentes tuos consolare,
Luctus fundunt uberes.

7. O Iesu, salutis gustu
Qui dum pascis mundos actu
Te praesentans obitu,
Redimis a mortis ictu
Nobilis patris conflictu
Amoris intuitu.

8. O Maria, mundi navis,
Peccatorum caeli clavis,
O salutis poculum,
Pota nos de vino trino
Dulci deitatis vino,
Angelorum speculum.

9. O Iesu eductos flatu
Dotes divino affatu
Et caeli introitu,
Mundans salutari fletu
Ab omni defende metu
Tartari exercitu.

10. O tu templum trinitatis,
Culmen summae castitatis,
Virginalis gloria,
Praebe ignem caritatis
Et nos tuae claritatis
Configura, Maria.

Die Lesarten dieser drei Gedichte zu verzeichnen erscheint unnötig; die Fehler der einen Hs. sind nach den andern behoben. Nur III 4, 6 lesen AB Procul tuam faciem. Ein Teil dieses Psalters steht als „Amorosum contubernium Iesu Christi et virginis Mariae“ in der Lehniner Handschrift vom Jahre 1518, Cod. IV° 29 der kgl. Bibliothek zu Berlin.

X. Psalterium beatae Mariae V.

auctore Edmundo Cantuariensi.

Prima Quinquagena.

1. Ave, virgo, lignum mite,
Quae dedisti fructum vitae
Saluti fidelium,
Genuisti Christum Iesum,
Sed pudoris non est laesum
Nec defluxit folium.

2. Ave, virgo, stella maris,
Disciplina salutaris,
Nos emunda vitio,
Te permittas apprehendi
Per exemplum te sequendi,
Ne nos tangat ultio.

3. Ave, nostri salus morbi,
Per quam vita datur orbi
Nato Dei filio,
Per quam hostis ars confusa
Et in plebem est effusa
Dei benedictio.

4. Ave, virgo, fons signatus,
Quem signavit Christus natus
Vultus sui lumine,
Dum in ortu creatoris
Stat illaesus flos pudoris
Obumbrante flamine.

5. Ave, domus castitatis.
Templum purum sanctitatis,
Dei plena gratia,
Nostram offer Christo precem,
Nostri cordis purga faecem
Delictorum venia.

6. Ave, virgo, caeli scala,
Fraudes hostis, mundi mala,
Pugnam carnis reprime,
Confundantur, erubescant,
Conturbentur et tabescant
Omnes hostes animae.

7. Ave, cuius cor lustravit,
Cuius alvum consecravit
Superna dignatio,
Cuius renes, cuius caro
Nil hauserunt ex amaro
Peccati contagio.

8. Ave, luna, quam fundavit
Sol, qui mundum visitavit
Apparens hominibus.
Cum est nostri recordatus,
Paulo minus minoratus
A supernis civibus.

9. Ave, virgo, Dei thronus,
In quo sedet solus bonus,
Qui non habet similem,
Qui perfecit meam causam,
Dum per portam exit clausam.
Carnem sumens fragilem.

10. Ave, Dei templum sanctum,
Peccatoris audi planctum
Et cordis suspiria,
Dei caelum, Dei sedes,
Duc et rege nostros pedes
Ad caeli sedilia.

11. Ave, clara lux diei,
Casta cella verbi Dei,
Salutis fiducia,
Quam probavit ut talentum
Et purgavit ut argentum
Septiformis gratia.

12. Ave, lumen populorum,
Per quam dies angelorum
Nostris fulsit oculis,
Ut oppressis somno mortis
Et ignaris verae sortis
Subveniret populis.

13. Ave, de qua lux est nata
Et de Sion salus data
Captivato populo,
Quae salutem Israelis
Ad effamen Gabrielis
Concepisti saeculo.

14. Ave, virgo, mons electus,
In quo Deus carne tectus
Elegit quiescere,
Qui nec dolum unquam egit,
Nec pudoris claustra fregit,
Cum te fecit parere.

15. Ave, vitae via tuta,
Per quam mihi restituta
Lucis est hereditas,
Per te servum sibi carum
Et heredem me praeclarum
Dei fecit bonitas.

16. Ave, carnis labe carens,
Ante Deum nunc apparens
Cum omni iustitia,
Fructus eius, quem dedisti,
Panis eius, quem pavisti,
Satiaris gloria.

17. Ave, quam sol illustravit,
Cui se Deus inclinavit
In hoc mundi vespere,
Ad quam missus de sublimi
De te carnem vilis limi
Non contempsit sumere.

18. Ave, sponsa, de qua sponsus
Tamquam nube sol absconsus
Deus noster prodiit,
Qui de summis est egressus
Et ad summum est regressus,
Cum ad patrem rediit.

19. Ave, cuius salutari
Nos debemus gratulari,
Qui salvari credimus,
Salva, rege et nos audi,
Qua in die tuae laudi
Precantes assistimus.

20. Ave, virgo, quam invenit
Puram Deus et praevenit
Benedictionibus,
Cuius pater caput cinxit
Et ornavit et distinxit
Virtutum lapidibus.

21. Ave, mundi flos immundi,
Terra parens vermis mundi,
Nati sine coitu,
Qui est factus vir dolorum,
Proba passus Iudaeorum
In hoc carnis habitu.

22. Ave, virgo, fructu cuius
Et sapore fructus huius
Recreatur populus,
Facta virga florem dando,
Mortem hostis effugando
Facta tamquam baculus.

23. Ave, virgo, quem quaesisti,
Deum ex te protulisti
Sine carnis macula,
Qui rex potens, Deus fortis,
Expugnavit regem mortis
Nostra solvens vincula.

24. Ave, cuius mihi pias
Pius Deus stravit vias
Suam docens semitam,
Qui te rexit dirigendo,
Qui direxit te regendo
Per virtutum orbitam.

25. Ave, domus creatoris,
Quam ornavit lux splendoris,
Rex virtutum, gloria,
Hoc in loco, quem paravit,
Sponsus tuus habitavit
Ut in domo propria.

26. Ave, virgo, pro me roga,
Te produxit synagoga
Sicut spina lilium,
Dereliquit te Iudaeus,
Et assumpsit sponsus Deus
In throni consortium.

27. Ave, virgo, spes lugentis,
Cuius caro parientis
Post partum refloruit,
Castitatem es professa,
Voluntate es confessa
Sponso, qui te voluit.

28. Ave, cuius supra sinum
Reges regem tres divinum
Adorarunt mystice,
Attulerunt tria terno:
Aurum regi, tus aeterno,
Murram carni lubricae.

29. Ave, sidus matutinum,
Fletum tergens vespertinum
Luce tui muneris,
Nox praecessit tuum ortum,
Mane clarum est exortum,
Dum mundum ingrederis.

30. Ave, bonis insignita,
Summi regis urbs munita
Contra nequam spiritus,
Soli patens creatori,
Sed maligno tentatori
Nullos praebens aditus.

31. Ave, flentis consolamen,
Laborantis recreamen,
Dolentis solacium,
Hostes mei ne me fallant,
Qui me tota die vallant,
Meum sis refugium

32. Ave, verbi summi mater,
Per quod caelos fecit pater
Cum virtute spiritus,
De te carnem sumpsit unus,
Tres sunt tamen illud munus
Operati caelitus.

33. Ave, virgo, quae sensisti,
Quae gustasti, quae vidisti,
Quam dulcis sit Dominus,
Quae figebas eius ori
Super favum dulciori
Labra tua comminus.

34. Ave, virgo, me defende,
Arma, scutum apprehende
Contra malos homines,
Cedant hostes tuis minis,
Fiant omnes tamquam cinis
Ante venti turbines.

35. Ave, sacrum vitae flumen,
Paradisi purum lumen,
Nos clementer respice,
Intra domum ubertatis
Nos torrente voluptatis
Abundanter refice.

36. Ave, rosa, princeps florum,
Cuius fulgur meritorum
Fulget ut meridies,
Ultra solem est serena,
Ultra florem est amoena
Vultus tui species.

37. Ave, cuius umbilicus
Fuit castus et pudicus
Nec sensit illecebras,
Lumbis meis castitatem,
Carnis praesta sanitatem,
Mentis fuga tenebras.

38. Ave, dives arca Christi,
Quae thesaurum effudisti,
Quo ditantur omnia.
Quem exspecto, qui delinquo,
Placa mihi Deum, in quo
Mea est fiducia.

39. Ave, per quam lex infausta
Sua perdit holocausta,
Regum perit unctio,
Ut pro nobis se litaret,
De te natus rex apparet
Dicens: ecce, venio.

40. Ave, martyr passa mente,
Dum salvator te vidente
Dormivit in tumulo,
Ferro magis te pungebat
Dolor eius, quem vendebat
Falso Iudas osculo.

41. Ave, virgo, me conserva,
Qui draconis vi proterva
Conturbor assidue,
Qui peccatis semper premor,
Ut sim tui semper memor,
Dulcis mater, annue.

42. Ave, per quam ad nos misit
Lucem suam, qua invisit
Deus illud saeculum,
Tu mons sanctus appellaris,
Tu dilectum nominaris
Eius tabernaculum.

43. Ave, sponsa summi regis,
Qui pro vita sui gregis
Sese nobis contulit,
Dum salutes mandat maestis
Per salutem, quam caelestis
Paranymphus attulit.

44. Ave, parens, nati nata,
Quae in veste deaurata
Nitens ante Dominum
Praeis omnes cum corona,
Te sequuntur fronte prona
Coetus omnes virginum.

45. Ave, quam fons sanctus lavit,
Sancto cuius habitavit
Deus tabernaculo,
Per te vivit homo reus,
Quem audivit homo-deus
Natus in diluculo.

46. Ave, virgo, quam elegit
In heredem, qui nos regit,
Rex perennis gloriae,
Quam dilexit mundus mundam
Ut puellam verecundam
Pro virtutum specie.

47. Ave, Sion specialis,
Mons excelsus, urbs regalis,
Digna Christum parere,
Quem suscepit senex iustus,
Portans onus non onustus,
Portatus ab onere.

48. Ave, cuius adiumento
Sum redemptus a tormento
Potestatis inferae,
Cum maiestas increata,
Per te nobis incarnata,
Me venit assumere.

49. Ave, nutrix ducis magni,
Qui ad instar venit agni
Pius, mitis, patiens,
Qui cum flammis est venturus
Fortis vindex, iudex durus
Et potenter puniens.

50. Ave, tuae prolis opus,
In qua cedrus fit hysopus,
Cum fit caro deitas,
Qui aspersam te mundavit
Et te lotam dealbavit,
O pura virginitas.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, mitis
oliva gratiae,
Lenis mater
misericordiae,
Tu fomentum,
tu salus populi,
Tu lucerna
totius saeculi,
O virgo serena.

2. Ave, parens
unius filii,
Quem non tinxit
faex ulla vitii;
Omnis vivens
peccato paruit,
Solus iste
reatu caruit,
O mater amoena.

3. Ave, sacra
verbi puerpera,
Me in Christi
virtute libera,
Deum placa
sacro precamine,
Ut me salvet
in suo nomine,
O virgo sacrata.

4. Ave, virgo,
quae degens caelitus
Elongasti
mundanos strepitus,
Domi sanctum
agebas otium,
Cum caelestem
vidisti nuntium,
O sponsa beata.

5. Ave, virgo,
per cuius meritum
Dirae mortis
ius est abolitum,
Ut attingam
lumen viventium,
Pedis mei
rege vestigium,
O iustitiae dux.

6. Ave, virgo,
nos Christo praepara,
Qui factus est
in ligno cithara,
Qui tormentis
attritus sonuit,
Donec surgens,
quis esset, claruit,
O laetitiae lux.

7. Ave, cuius
carnis substantia
Tulit arcum,
qui fregit omnia,
Ne nos tangat
hic arcus, impetra,
Cuius arcus
fuisti paretra,
O blanda precanti.

8. Ave, per quam
suscepi Dominum,
Qui suscepit
naturam hominum,
Cuius lenis
misericordia,
Me suscepit
concessa venia,
O dulcis amanti.

9. Ave, per quam
fit Deo subdita
Gens aeterno
tormento dedita,
Per te gentes
salvavit perditas
Calceata
carne divinitas,
O vas deitatis.

10. Ave, cordis
medela saucii,
Preces audi
clamantis anxii,
Nos in petra
Christo corrobora,
Ne peccando
vacillent pectora,
O fons pietatis.

11. Ave, per quam
invenit pretium,
Qui redemit
peccata gentium,
Cum id a se
Iudaeus repulit,
Se redemptor
ad gentes transtulit,
O dura malignis.

12. Ave, Christi
quae sinu recubas,
Quae precando
pro nobis excubas,
Cuius Deum
sitivit anima,
Caro tulit
amara plurima,
O blanda benignis.

13. Ave, sacro
dicata flamini,
Quae coniungis
cor altum homini,
Absque matre
de patre proditus
Sine patre
est de te genitus,
O sancta propago.

14. Ave, mater,
quae plena gaudio
In caelesti
coruscas atrio,
Ante mundum
cuius electio,
Super omnes
cuius assumptio,
O lucis imago.

15. Ave, parens,
per cuius viscera
Mira fecit
creator opera,
Mundi huius
siccavit pelagus,
Ut respiret
peccator naufragus,
O virgo decoris.

16. Ave, terra
dulcis et fertilis,
De qua fructus
processit nobilis,
De se terram
et caelos reficit,
Omnes pascit
nec unquam deficit,
O fructus honoris.

17. Ave, sponsa,
cuius in thalamum
Distillavit
caelestem balsamum,
Cum ros sanctus
perfudit uterum,
Concepisti
credendo puerum,
O cellula mellis.

18. Ave, Christus
cuius in gremio
Se velavit
carnis cilicio,
Cui gustandum
acetum miscuit,
Qui fel semper
Iudaeis sapuit,
O nescia fellis.

19. Ave, virgo,
roga pro paupere
Christum, qui me
venit redimere,
Pro me placa
datorem munerum,
Ne moretur
solari miserum,
O virgo benigna.

20. Ave, per quam
extendit brachium
Pater, ad nos
cum misit filium,
Hostem ille
contrivit fortiter
Et nos sibi
constrinxit leniter,
O femina digna.

21. Ave, cuius
in vellus floridum
Ros descendit
nec fecit madidum,
Vellus roris
non laedit passio,
Carnem tuam
nulla corruptio,
O virgo pudica.

22. Ave, cuius
tenendo dexteram
Rex levavit
in sedem superam,
Te deduxit
cum pompa gaudii,
Te suscepit
in partem solii,
O regis amica.

23. Ave, solis
aurora nuntia,
Veri stella
fulgoris praevia,
Exclusisti
noctem nequitiae,
Produxisti
solem iustitiae,
O ianua solis.

24. Ave, per quam
Christus nos approbat,
Cum Iudaeos
expellens reprobat,
Nostrum nobis
emolli iudicem,
Ne furoris
effundat calicem,
O filia prolis.

25. Ave, nostrae
tutela patriae,
Locus pacis,
palma victoriae,
Per te Deus
cunctis est agnitus,
Solis notus
Iudaeis primitus,
O lucida stella.

26. Ave, mater,
quae paris filium,
Nec apparet
partus vestigium,
Nulla via
patet in aequore,
Nulla labes
in tuo corpore,
O pura puella.

27. Ave, per quam
patris clementia
Misit mundo
caeli cibaria,
Per te pluit
panem angelicum,
Suavem gustu,
fructu mirificium,
O sancta sanctarum.

28. Ave, cuius
pro partu regio
Sunt fideles
dati martyrio,
Templum Dei
pro eius nomine
Purpuratur
sanctorum sanguine,
O dux animarum.

29. Ave, per quam
summa dilectio
Nos respexit
de caeli solio,
Per te suam
mundavit vineam,
Quae dedisti
vitam aetheream,
O fructificans mons.

30. Ave, petra
mirae dulcedinis,
Mel producens
cor pascis hominis,
Mel tam dulce
est tuus filius,
Qui tam dulcis,
quod nihil dulcius,
O mellificans fons.

31. Ave, quondam
pauper et humilis,
Cunctis per hoc
exemplum utilis,
Hinc paupertas
et hinc humilitas
Duas monstrant
ad caelum semitas,
O praevia iuris.

32. Ave, per quam
pro certo novimus,
Quod sit homo
dictus altissimus,
Quod sit nullus
par ei dominus,
Quem locorum
non claudit terminus,
O virgula turis.

33. Ave, grata
latori gratiae,
Bonum bonis
addens quotidie,
Quem in Sion
vidisti terrea,
Nunc in Sion
vides aetherea,
O lux tenebrarum.

34. Ave, terra
carens agricola,
De qua prodit
caelestis incola,
De te surgit
exorta veritas,
Floret fructus,
datur benignitas,
O pulchra rosarum.

35. Ave, regis
ancilla libera,
Servitutis
me iugo libera,
Per te meae
parcat miseriae,
Qui se texit
servili specie,
O flos sine spina.

36. Ave, de qua
per ora populi
Gloriosi
volvuntur tituli,
De te tuus
natus est conditor,
Sol de stella,
de nata genitor,
O stella marina.

37. Ave, virgo,
quam servo virgini
Commendavit
dulcedo Domini,
Cum ad crucem
Christi accederes,
Notos eius
dispergi cerneres,
O pax odiorum.

38. Ave, nata
David de germine,
Germen habens,
sed absque semine,
Paris illum,
cui patris unctio
Regnum dedit
cum sacerdotio,
O meta laborum.

39, Ave, per quam
super nos claruit
Splendor ille,
quem pater genuit,
Roga Christum,
ut eius dextera
Plebis suae
regantur opera,
O consilii ros.

40. Ave, pudor,
quem dena millies
Angelorum
vallavit acies,
Qui timores
nocturnos pellerent,
Hostes tuis
a dextris caderent,
O munditiae flos.

41. Ave, palma,
signum victoriae,
Quae vicisti
signa malitiae,
Silvae lignis
stat cedrus altior,
Sanctis caeli
tu sola sanctior,
O cedrus odora.

42. Ave, de qua
decorem induit
Rex decorus,
quem nil dedecuit,
Qui te fecit
ex dono gratiae
Speciosam
de sua specie,
O gemma decora.

43. Ave, felix
Dei domestica,
Verba Christi
conservans mystica,
Quam de novae
legis mysterio
Erudivit
caelestis unctio,
O regula morum.

44. Ave, cuius
sermo mellifluus
In psallendo
fuit assiduus,
Deum laudans
non oris sibilo,
Sed affectu
et cordis iubilo,
O forma bonorum.

45. Ave, quae nunc
in laude iubilas,
Coram Deo
prae cunctis rutilas,
Pulchra carne
sed magis spiritu,
In caelesti
vernas exercitu,
O vera lucerna.

46. Ave, per quam
se mundo reserat
Lux aeterna,
quae lucem fecerat,
Orta iusto
lux noctis nescia
Rectis corde
refudit gaudia,
O porta superna.

47. Ave, Christi
scabellum nobile,
Manu Dei
factum mirabile,
In quo pedem
maiestas posuit,
Cum se membris
humanis induit,
O summa columna.

48. Ave, novi
repertrix cantici,
Canens ortu
caelestis medici,
Lingua foris
Deum magnificat,
Et se Deus
intus mirificat,
O pacis alumna.

49. Ave, porta,
per cuius aditum
Portae caeli
patent post obitum,
Confitentes
excusa servulos,
Qui divinos
frequentant titulos,
O caelica clavis.

50. Ave, cunctis
carens illecebris,
Semper Dei
servata palpebris,
Nunc regina
cum rege resides,
Dona tuis
ministris provides,
O virgo suavis.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, cuius tempore
Sumpto Deus corpore
Te elegit virginem,
Ut Sion ecclesiae
Misertus miseriae
Per te salvet hominem.

2. Ave, nostrum gaudium,
Cuius desiderium
Omni bono floruit,
Per quam instar aquilae
Iuvenescit facile,
Qui peccato senuit.

3. Ave, templum inclitum,
Ad quod misit spiritum
Fundens Deus munera,
Cuius rore muneris
Dum tota perungeris,
Renovasti vetera.

4. Ave, nubes splendida,
Sacro rore madida,
Tuorum protectio,
Qua sol verus latuit,
Sacer flatus abluit,
Ab omni contagio.

5. Ave, sancta virgula,
Qua fecit miracula
Summus Aaron pontifex,
Maius signum claruit,
Dum puella genuit,
Et fit opus opifex.

6. Ave, cuius ubera
Nostra sanant vulnera,
Dum salutem generas,
Lac praebendo modicum,
Nostrum lactans medicum
Nos ab hoste liberas.

7. Ave, custos animi,
Vas purum altissimi,
Cunctis carens sordibus,
Semper prompta psallere
Corde, ore, opere
In divinis laudibus.

8. Ave, cuius genua
Detrivit assidua
Virtus abstinentiae,
Nam, quod erat carneum,
Immutavit oleum
Spiritalis gratiae.

9. Ave, virgo gracilis,
Delicata, fertilis,
Fructum vitae germinans,
Tu de Sion mitteris,
Parcens tuis miseris,
Iniquos exterminans.

10. Ave, per quam homines
Inter summos ordines
Meruerunt recipi,
Dum redemptor omnium
Causa missus hominum
Venit in te concipi.

11. Ave, virgo virginum,
Per quam lumen luminum
Ortum est in tenebris,
Ad cuius praesentiam
Respirat ad veniam
Peccator de latebris.

12. Ave, via regia,
Per quam ad sublimia
Conscendit humilitas,
Te de terrae pulvere
Locatam in aethere
Vexit summa caritas.

13. Ave, per quam regimur,
Aegypto egredimur,
Salvamur a barbaris,
Tu ducis ad patriam,
In qua spondes copiam
Lactis, mellis, nectaris.

14. Ave, placens Domino,
Felix absque termino
In vivorum curia,
In qua nunquam habitat,
Qui non caste militat
Hic adversus vitia.

15. Ave, cuius anima
Cum carne sanctissima
Fulget in sublimibus,
Cuius vita sanctior
Et mors pretiosior
In sanctorum millibus.

16. Ave, per quam mediam
Fudit in nos gratiam
Mediatrix deitas,
Laxat reis debita,
Iustis auget merita
Per te clemens bonitas.

17. Ave, de qua nascitur,
Qui de monte scinditur
Lapis sine manibus,
Quem praevidit Daniel,
Nuntiavit Gabriel
Nasciturum gentibus.

18. Ave, digna titulis,
Cunctis carens maculis
Et mentis et corporis,
Te sacravit puritas
Et dicavit deitas
Ab intus et deforis.

19. Ave, quae pro meritis
Et exemplis inclitis
Carbo vivus diceris,
Quae succendis frigidos
Et nos facis calidos
Igne tui muneris.

20. Ave, mater principis,
Quem pudice concipis
Et paris cum gaudio,
Qui suum introitum
Servavit et exitum,
Ne pateret laesio.

21. Ave, turris turrium,
Per quam ictus hostium
Repelluntur eminus,
In qua propugnaculum
Ad vincendum Zabulum
Factus fuit Dominus.

22. Ave, caeli domina,
In te cordis lumina
Tui figunt servuli,
Donec pias lacrimas
Et purgatas animas
Tui cernant oculi.

23. Ave, per quam ferrei
Sunt contriti laquei,
Quos de monte tenderat,
De cuius decipula
Rex, qui novit singula,
Per te suos liberat.

24. Ave, mundi speculum,
Cuius pascit oculum
Summae pacis visio,
In qua praees ceteris
Nec moveri poteris
Unquam ab hoc gaudio.

25. Ave, pratum floridum,
Quod effecit gravidum
Auster sancti spiritus,
Ver dum perflat leniter,
De te mirabiliter
Flos est in te genitus.

26. Ave, salus miseri,
Cuius fructus uteri
Merces est viventium,
Quem, qui Deo militant,
Post mortem hereditant
In terra viventium.

27. Ave, vitis gratiae,
Dans vinum laetitiae,
Quod bibit ecclesia,
Agni digna nuptiis,
Christi stricta brachiis,
Uxor labem nescia.

28. Ave, quae nil tumidum,
Nil egisti sordidum,
Imitatrix filii,
Qui superbos deicit
Et incestos reicit
A throno palatii.

29. Ave, cuius animus
Deo fuit proximus
Verbum Dei retinens,
Donec mundum redimat
Et infernum perimat
Redemptorem sustinens.

30. Ave, sequens minima,
Quamvis esses maxima,
Sanctitate celebris,
Non segnis, non petulans,
Non in magnis ambulans,
Non elatis palpebris.

31. Ave, mater lucida,
Cuius alvus tumida
Suum fructum protulit,
Quem in sede propria
Facturum iudicia
Deus pater sustulit.

32. Ave, quam ros caelicus
Produxit intrinsecus
Dans virtutum copiam,
Quam fecit simplicitas
Et simplex humilitas
Vestis Aaron fimbriam.

33. Ave, luna noctium,
Lux sanctorum cordium,
Qua nos caecos visitas,
Ad quam preces fundimus,
Ad quam manus tollimus,
Dum instat adversitas.

34. Ave, dives meritis,
Parens regis divitis,
Qui dat regna regibus,
Qui salvat et perimit,
Qui confert et adimit
Virtutem potentibus.

35. Ave, per quam ovium
Pastor spiritalium
Fit in pastum hominis,
Suae carnis epulum
In praeclarum poculum
Sui praebens sanguinis.

36. Ave, cuius munere
Iam in laudem libere
Nostra sonant organa,
Per quam hostem vincimus,
Babylonem fugimus
Erepti de Satana.

37. Ave, cuius cantica
Resonant cum musica
Supernorum agminum,
Sed auctorem omnium
Laudas sicut filium,
Illa sicut Dominum.

38. Ave, sidus aureum,
Cuius iubar flammeum
Dat lumen ecclesiae,
Ut caecos illumines
Et noctem elimines,
Tuae sunt deliciae.

39. Ave, sancta castitas,
Cui servavit deitas
Pudoris signaculum,
Cui virtus altissimi
Super caput animi
Conficit umbraculum.

40. Ave, virga terrea,
Cuius odor turea
Transcendebat omnia,
Cum flagrans devotio
Et fraglans oratio
Petebant caelestia.

41. Ave, cuius portio
Felix omni gaudio
Fit in caelo Dominus,
Ad quem suspiraveras,
In quo spem defixeras,
Videns illum comminus.

42. Ave, quam edocuit,
Quam implere voluit
Summa sapientia,
Quam, cum adest exitus,
Bonus duxit spiritus
Ad caeli fastigia.

43. Ave, quae deliciis
Praetulisti regiis
Deum, quo nil dulcius,
Inter omnes filias
Per virtutes varias
Ornata venustius.

44. Ave, virgo Maria,
Cuius ex memoria
Mira fit suavitas,
Haec vox mel est faucibus,
Haec vox melos auribus,
Haec vox cordis claritas.

45. Ave, clavis carcerum,
Per quam nodos scelerum
Dei solvit dextera,
Per te lapsos erigit,
Per te vagos dirigit,
Per te sanat vulnera.

46. Ave, sidus siderum,
Quae fulgore munerum
Omnes stellas praevenis,
Es Maria nomine,
Stella maris omine,
Quae periclis subvenis.

47. Ave, lucis ianua,
Portarum praecipua,
Patens regi gloriae,
Qui servavit veniens
Nec confregit exiens
Seras pudicitiae.

48. Ave, sole purior,
Globo lunae clarior
Cunctisque sideribus,
Amplexaris filium,
Quem vox laudat omnium
Psalmis, hymnis, precibus.

49. Ave, Sion filia
Regis, cuius gloria
Resultat alacriter,
Meae carnis tympanum,
Mei cordis organum
Modulare dulciter.

50. Ave, cum qua caelitus
Omnis Deo spiritus
Decantat Alleluia,
Honor tibi virgini,
Patri, nato, flamini
Sit virtus perpetua.

Psalt. ms. anni 1283. Cod. Angelic. D VI 10. A. — Cod. Cantabrigen. Ff VI 14. saec. 13. B. — Brev. Coronense saec 14. Cod. Vatican. 4757. C. — Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. D. — Orat. Arnesti de Pardubic ca. 1350. Cod. Mus. Bohem. 217. E. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. F. — Cod. Paulanus Sanblasian. memb. 45. anni 1489. G. — Cod. S. Petri Salisburgen. b. VII 10. saec. 15. H. — Cod. Palat. Vindobonen. 4919. saec. 15. I. — Cod. Voravien. 159. saec. 15. K. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19253. L. — Clm. Monacen. (ol. Eperspergen.) 5974. saec. 15. M. — Orat. ms. Carthus. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz) N. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. O.

1. 1, 1 lignum vitae C, vitae lignum D. — 1, 2 lignum vitae HM, fructum dignum D. — 1, 5 Flos pudoris D. — 4, 5 fons pudoris D. — 11, 4 probavit ut argentum H, purgavit ut argentum G. — 11, 5 purgavit ut talentum H, probavit ut talentum G. — 12, 2 Per quod H. — 13, 1 Ave per quam C. — 13, 5 Ad salutem Gabrielis C, Ad salutationem G, Ad legatum D. — 15, 1 Ave, vere via C, via vitae H. — 17, 2 Quo se Deus C, Cum se Deus G, Ad quam se Deus H. — 19, 4 Salva reos et D. — 19, 5 Qua in hora EH, Qui in hora D. — 22, 1 virga C. — 22, 4 Fracta virga H, Sancta virgo D. — 23, 1 quem gessisti D. — 24, 2 statuit vias H. — 24, 5 Et direxit te D. — 28, 1 intra sinum EGH; Ave, mater, cuius sinum D. — 28, 3 Adoraverunt D. — 28, 4 Obtulerunt D; tria trino GH. — 28, 5 tus divino GH. — 28, 6 carnis E. — 30, 1 Ave, domus insignita G. — 30, 4 Soli parens D. — 33, 1 quem sensisti G; quem gessisti D; quae vidisti C. — 33, 2 quae sensisti C. — 33, 3 Quam sit lenis G. — 33, 6 Labia CE. — 35, 2 vivum lumen H. — 35, 4 Iuxta domum D. — 37, 2 Sanctus fuit et pudicus G. — 38, 4 Quam exspecto D; Quod exspecto G; cui delinquo D. — 38, 6 Est mea C, substantia D. — 39, 3 parit G. — 39, 4 se donaret C, lex litaret H. — 39, 5 De te rex natus H. — 40, 1 Ave, mater D. — 40, 5 eius, quem figebat H, dum figebat D, quem urgebat G. — 40, 6 Iudas falso E. — 42, 2 revisit CD. — 42, 3 istud saeculum GH. — 44, 3 Nites E. — 44, 4 omnes tu corona D. — 44, 6 Coetus omnis D. — 46, 4 munde D. — 47, 2 urbs legalis H. — 47, 4 Quam suscepit H. — 49, 5 Fortis ut et iudex durus

G. — 50, 2 In quo E. — 50, 5 Que te lotam C, Dum te lotam G, Et mundatam de albavit E. — 50, 6 Tua fulsit castitas G. — In einigen Handschriften folgt auf jede Quinquagene die folgende Doxologie:

Gloria, laus patri Deo
Filioque sit cum eo,
Sancto simul flamini,
Sicut erat ab aeterno,
Gloriosum in superno
Magnum nomen Domini.

Bald findet sich nur die erste Hälfte, bald beide. Auf die Doxologie folgt bisweilen noch der Vers:

Gloria fine carens sit tibi, sancta parens.

Zu bemerken ist noch, dafs G die letzten Zeilen aller Strophen der zweiten Quinquagene an die entsprechenden Strophen der ersten Quinquagene anhängt.

II. 1, 3 mater fehlt D. — 2, 2 o viva filii H. — 2, 8 reatu fehlt E; delicto caruit D. — 4, 3 sq. Emundasti mundanum facinus H. — 6, 6 attrectus siluit D, latuit E. — 6, 8 qui esset H. — 7, 4 confregit H, qui ferit vitia D. — 8, 1 sq. Ave, quae suscepisti Dominum H; suscepit EG. — 8, 3 sq. naturam suscepit GH. — 9, 3 aeternae D. — 9, 4 morti dedita D. — 10, 1 Ave, dulcis E. — 10, 5 Nos impetra D; Nos illustra H, Nos in Christo C. — 10, 6 Christo corrobora C; nosque corrobora H. — 12, 1 sq. Ave, sinu Christi quae H, Ave, quae sinu Christi EG, Ave, quae sinu Dei D. — 12, 3 precandi D. — 13, 8 fit de te D. — 14, 1 Ave, virgo D. — 14, 6 tua electio H. — 14, 8 tua assumptio D. — 18, 7 sq. Iudaeus qui male semper sapuit G. — 19, 1 Ave, mater H. — 19, 7 Memoretur D. — 19, 8 beare miserum G, solamen miserum D. — 20, 5 Illud hostem G, Illum hostem C. — 21, 1 sq. Ave, in cuius vellus D. — 21, 5 Vellus ovis D. — 22, 5 reduxit EH. — 22, 6 in pompa EH, in iubilo gaudii D. — 23, 1 sq. Ave, aurora solis D. — 23, 2 Veri fulgoris stella D. — 23, 7 Prodidisti D. — 25, 1 sq. tutela nostrae D. — 25, 7 sg. Solis Iudaeis ortus primitus D; Solis ortis videtur ex te primitus E. — 27, 8 vivificum D. — 27, 9 O sacra sacrarum D. — 28, 2 per partum D. — 28, 6 pro tuo nomine D, pro Dei nomine G. — 29, 3 inspexit C; De caelorum G. — 29, 4 respexit solio G. — 29, 8 vicem H, vilem EG. — 30, 8 quo nihil E. — 31, 6 et fehlt D. — 31, 7 sq. Duas ad caelum monstrat vias D. — 31, 9 O praevia in eis D. — 32, 1 sq. Ave, cuius post partum novimus G. — 32, 4 Deus altissimus D. — 32, 6 ei par D. — 34, 6 quieta veritas E. — 35, 4 nos iugo G. — 35, 5 te nostrae G. — 36, 3 Gloriosa D. — 36, 6 ortus est G. — 38, 3 habensque G. — 38, 6 patris unico D. — 40, 7 sq. Hostes a dextris tuis D: Ne malorum incursus fierent G. — 41, 2 signi G. — 41, 7 sq. Ita sanctis caeli tu sanctior H. — 42, 2 odorem D. — 42, 3 Decorus rex D. — 42, 4 nihil dedecuit D, nihil decuit G. — 42, 7 sq. Sponsam ex suavi specie G. — 46, 5 iustis D. — 46, 8 refundis D. — 47 und 48 umgestellt G. — 48, 5 sq. Deum foris EG. — 48, 8 in se mirificat G. — 50, 4 servans H. —

III. 1, 4 Et Sion D. — 1, 6 salutet D. — Str. 3 fehlt H. — 4, 5 Hanc sacer G. — 6, 3 genueras H. — 8, 4 Quidquid erat H, In te quidquid carneum G. — 9, 1 virgo fertilis D. — 9, 2 Delicata nobilis D. — 9, 3 germinat H. — 9, 5 suis G. — 9, 6 Quos daemon exterminat H. — 10, 6 In te venit EH. — 12, 6 Summa vexit H. — 13, 3 ab Arabis D. — 13, 4 Tu ducis nos G. — 16, 5 Bonis auget E. — 17, 1 Ave, per quam E. — 18, 5 ditavit D. — Hier schaltet H folgende zwei Strophen abweichenden Metrums ein:

Ave, mater portans regem,
Qui donavit cunctis legem,
Deduc me in iustitiam
Et non in avaritiam.

Ave, nunquam quae defecit
Servis suis nec deiecit
Iesu Christo famulantes
Et non male facientes.

22, 5 Et turbatas G. — 24, 4 preces ceteris G. — 25, 4 Quo perflante G. — 27, 5 strata brachiis D. — 28, 1 timidum G. — 29, 4 perimat E. 29, 5 Donec mortem perimat G; Donec mundi rediant E. 30, 5 Non in malignis D. — 34, 6 Potestatem fortibus G. — 36, 3 vicimus C, figimus G. — 37, 2 Respondent cum D. — 39, 4 Tutum es certantibus G. — 39, 5 Et ad te clamantibus G. — 39, 6 Quietis umbraculum G. — 40, 1 virgo D, turea DG. — 40, 2 virtus turea D, virtus terrea D, odor terrea G, virtus aetherea H. — 40, 4 Conflagrans devotio E. — 40, 5 Cum fraglans C; Et flagrans G. — 40, 6 Petebat E. — 42, 5 ducat D. — 43, 1 divitiis G. — 43, 3 nil ditius H. — 45, 5 vagos colligit H. — 46, 5 emine D. — 47, 3 Regi patens G. — 49, 4 Nostrae carnis G, Nunc per carnis H. — 49, 5 fehlt H; Nostri cordis G. — 49, 6 Modularis H. — 50, 1 sqq. Diese Doxologie, auf die wieder Gloria, laus etc. folgt, ist ein Zeichen, dafs die oben sub I erwähnte spätere Zuthat ist.

Vor und nach diesem Psalterium befinden sich in verschiedenen Handschriften verschiedene Parerga. Einige haben als Proemium das Gedicht O Maria, mater pia, o benigna, laude digna (BCDNO), Mone II, 423 sq. Bei anderen geht dem noch vorauf Suscipe, regina, caeli quae mente benigna etc. (CDH) und hierauf die bekannten Strophen 1. Rex Christe clementissime, tu corda nostra posside; 2. Memento salutis auctor; 3. Maria mater gratiae und die weniger häufigen:

4. Ave, o mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tibi devotos protege
Hostesque nostros abige.

5. Nos peccatores adiuva,
Preces clemens continua,
Ut, quidquid mali fecimus,
Tuus remittat filius.

6. Maria, mater Domini,
Sacrarium paracliti,
Virgo regina virginum,
Pro nobis ora Dominum.

7. Per tuum, mater, filium,
Per patrem, per paraclitum
Assis nobis ad obitum
Nostrumque muni exitum.

H hat nur diese vier letzten Strophen. Dafs dieselben nicht vom Verfasser des Psalteriums herrühren, braucht nicht bemerkt zu werden. An den Schlufs des Psalters setzt C die Verse:

O Maria, vas pudoris,
Nostri mater salvatoris,
Hac in die
Tu Messiae
Servos reconcilia,
Ut, quos ipse iam redemit
Et cruore suo emit,
Nos ad sua
Prece tua
Perducat gaudia;

in der letzten Zeile wohl perducamur zu lesen. — D schickt die folgende Bemerkung voraus:

Quicunque hoc psalterium, quod sequitur, beatae viginis Mariae quotidie, vel ad minus unam quinquagenam devote dixerit, sciat, quod sine dubio aeterna visione beatae virginis in extremis nunquam carebit, sed illi tunc apparebit et eum ante faciem filii sui perducet et remunerabit. Nam si quis hoc attentius perscrutari voluerit, deprehendere potest ex eo quod in humano genere non invenitur tam excellens laus maioris honorare (l. honoris). Hoc et a multis dicitur, quod ille, qui hoc composuit, ab ipsa beata virgine audire meruit, quod ultra humanum modum ipsam laudaverit. Haec omnia fidelissima veritate probata et confirmata sunt 300 diebus indulgentiae a domno Benedicto apostolico.

Autorenangaben finden sich folgende: Beatissimus Edmundus, archiepiscopus Cantuariensis, composuit hoc psalterium compendiose sumptum ex psalterio Davitico in honorem B. V. Mariae, ut angelus

docuit illum per spiritum sanctum, affirmans, quod, quicunque istud psalterium devote dixerit quotidie vel ter in septimana, non morietur in aeternum, sed in multis periculis temporalibus subveniet ei virgo gloriosa. C.

Incipit psalterium domini Engelberti, quondam abbatis Admontensis, beatae virginis F.

Incipit psalterium domini Engelberti, quondam abbatis Admontensis, de beata Maria virgine. H.

Incipit psalterium beatissimae Mariae virginis, editum per dominum Engelbertum. L.

Dafs FHG dies Psalterium Engelbert zuschreiben, der 1331 starb, 1297 Abt von Admont ward, scheint auf den Umstand zurückzuführen zu sein, dafs dasselbe in M auf die beiden Psalterien Engelberts folgt. Es dürfte also an der Angabe von C festzuhalten sein, solange sich ein gegründeter Einwand nicht erheben läfst.

Dies Psalterium befindet sich auch in Orat. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I D 2a ohne Angabe des Verfassers. Vorausgehen wie in O Suscipe regina caeli etc., Rex Christe clementissime etc. und O Maria mater pia als Prooemium.

XI. Psalterium beatae Mariae V.

auctore Stephano Cantuariensi.

Prima Quadragena.

1. Ave, virgo virginum,
parens absque pari,
Sine viri semine
digna fecundari,
Fac nos legem Domini
crebo meditari
Et in regno gloriae
beatificari.

2. Ave, cuius viscera
natum ediderunt,
Cuius ad interitum
gentes fremuerunt,
Audi voces supplicum,
qui te pie quaerunt,
Mali causas removens,
quae nos invenerunt.

3. Ave, virgo, speculum
sancti caelibatus,
Cuius est ex utero
puer nobis natus,
Qui compassus mortuo
Morte soporatus,
Morte mortem terminans
expiat reatus.

4. Ave, nati filia,
parens genitoris,
Praeter morem generans
consueti moris,
Nos ad statum revoca
vitae melioris,
Quos tam diu tenuit
vanitas erroris.

5. Ave, quae nos redimis
ab Aegypti luto,
Subvenire satagas
vitiis umbuto,
Tu nos bonae protegens
voluntatis scuto
Coronatos gloria
colloces in tuto.

6. Ave, vitae janua,
salus paenitentis,
Respice miserias
animae languentis,
Ne in ira sentiam
vocem arguentis,
Me peccatis exime
simul et tormentis.

7. Ave, mater, unica
causa nostrae spei,
Tuis, quaeso, meritis
fac miserta mei,
Ut ab aenigmatibus
huius speciei
Plenus plene perfruar
visione Dei.

8. Ave, virgo regia,
summa gaudiorum,
Per quam rex mirabilis,
dominus cunctorum,
Revocet immeritos
in spem filiorum,
Quos proscripsit multiplex
causa vitiorum.

9. Ave, thronus gratiae,
mater Iesu Christi,
Quae sola concipere
virgo meruisti,
Confitebor Domino,
quem sic genuisti,
Quod nec inter virgines
nomen amisisti.

10. Ave, virgo virginum,
per quam transmigratur
Super unum montium,
in quo victimatur
Vepre tentus aries,
unde redimatur
Prodigus, qui rediens
veniam precatur.

11. Ave, mater Domini,
mater, inquam, ave,
Fac, ut Christi baiulem
iugum praesuave,
Quo beatitudinis
particeps octavae
Liberari merear
primae matris a vae

12. Ave, virgo nomine
matris insignita,
Gratiarum fertili
dote praemunita,
Purga mentis aciem,
quo sit expedita,
Ne unquam obdormiat
in morte sopita.

13. Ave, templum gratiae,
templum sanctitatis,
Templum sancti spiritus,
thronus maiestatis,
Salva me per gratiam,
salva, quaeso, gratis,
Ut sortiri valeam
regnum cum beatis.

14. Ave, tabernaculum
regis manu fortis,
Per quam Christus particeps
factus nostrae mortis
Fractis seris, vectibus
et inferni portis
Nos a morte revocat
triumphator fortis.

15. Ave, thronus gratiae
regi praeparatus,
Ex qua nobis prodiit
felix advocatus,
Nostra fit hereditas
Christus ex te natus,
Conservet qui famulos,
Condonet reatus.

16. Ave, solis civitas,
in quam introivit
Rex regum et dominus,
qui te concupivit,
Per te nos exaudiet,
sibi quos univit,
Suo vultu satians,
quibus esurivit.

17. Ave, virgo virginum,
de qua mediator
Ad nos venit, hostium
verus thriumphator,
Hostes nostros conterat
fortis expugnator,
Ut fiat per gratiam
gloriae collator.

18. Ave, solis regia,
de qua verus exit
Veri solis radius,
fraudes qui detexit
Hostis et versutias,
quibus nos illexit,
Ovem quaerens perditam,
gregi quam revexit.

19. Ave, plena gratia,
speciosa tota,
Virgo prudens, humilis,
sine sordis nota,
Nostrum sacrificium
suscipe devota,
Mores nostros ordinans,
affectus et vota.

20. Ave, salus hominum,
digna salutari,
Salutare pariens,
sola carens pari,
Nostra spes et gloria
sit in salutari,
Cuius participio
credimus beari.

21. Ave, cuius uterus
vermem procreavit,
Qui submordens hederam
Ionae desiccavit,
Dum, quod legis littera
clausum reseravit,
In apertum proferens
nobis propalavit.

22. Ave, Iesse virgula,
gratiarum donis
Abundanter praedita,
tu correptionis
Virga sis et baculus
consolationis,
Quo nos Christus pascuis
collocet in bonis.

23. Ave, terra gloriae,
terra non arata,
Rore tamen gratiae
plene fecundata,
Fructum ferens, cuius est
gustu recreata
Proles Adae veteris
diu captivata.

24. Ave, cuius gloriam
beant universi,
Per quam sursum redeunt
in profundum mersi,
Per te fiat, domina,
ne simul conversi
Redeant ad vomitum
sibimet adversi.

25. Ave, mater, populi
prospice defectum
Et maternum filiis
exhibens affectum
Mores nostros ordina,
tollens imperfectum,
Ut pes noster tendere
quaerat in directum.

26. Ave, mater Domini
servos protegentis,
Qui catenas hostium
fregit in trecentis,
Quaeso, nos aspicias
oculis attentis
Procul pellens tenebras
aerumnosae mentis.

27. Ave, virgo, Domini
mater illibata,
Cuius est ex utero
caro Christi nata,
Caro carnem liberans,
caro morti data,
Caro, quae refloruit
morte triumphata.

28. Ave, per quam filius
fratres adoptavit,
Quos et Dei filios
recte nominavit,
Erant ergo filii,
quos recte vocavit
Agnos innocentiae,
ferant, quod mandavit.

29. Ave, tabernaculum
Christo dedicatum,
Supra matres obtines
sola principatum,
Nostris aptans usibus
saccum veteratum,
Propter nostra vulnera
gratis vulneratum.

30. Ave, nostrum gaudium,
nostra fortitudo,
Cuius est dulcedinis
magna multitudo,
In te nostra sita sit
spei certitudo,
Cuius piis laudibus
libere desudo.

31. Ave, cuius utero
Deus est deorum
Factus homo, tollere
spinas delictorum,
O beatus uterus
et beati, quorum
Fecit se participem
factor saeculorum.

32. Ave, per quam Dominus
revocat eiectum,
Quem a solo patriae
peregre profectum
Medicus dum reperit
vitiis infectum,
Mortis causas abstulit
simul et effectum.

33. Ave, mater pariens
fructum benedictum,
Tactu cuius solvitur
Evae maledictum,
Quae transgressa temere
tangens interdictum
Transmisit in posteros
ultionis ictum.

34. Ave, per quam Dominus
apprehendens scutum
In extento brachio
perculit astutum,
Quique sputo proprio
permiscendo lutum
Caeco lumen homini
reddidit acutum.

35. Ave, templum gratiae,
thronus deitatis,
Torrens affluentiae,
domus ubertatis,
Per te solam reddita
spes est desperatis,
Fluctuantis anchoram
rege nostrae ratis.

36. Ave, carens simili,
nunquam malignata,
Dignitatis titulo
duplici ornata,
Virgo, mater diceris,
iungens separata
Es utrumque, docet hoc
fides occultata.

37. Ave, sancti spiritus
fecundata rore,
Conservato pariens
castitatis flore,
Quaeso, quod non arguat
iudex in furore,
Quos a morte proprio
redemit cruore.

38. Ave, cujus filio
psalmus decantatur
Habitus pro Idithun,
in quo figuratur,
Qui terrena transiens
in hoc delectatur,
Quem ut mentis gressibus
caput consequatur.

39. Ave, tabernaculum
regis impollutum,
Per quam solvit Dominus
ope destitutum,
Tuis iuva meritis
sponte provolutum
In lacum miseriae
et in faecis lutum.

40. Ave, solis civitas,
quam David erexit,
De qua sol iustitiae
nube tectus exit,
Qui de summis pauperum
causam intellexit
Et aegroto similis
aegros nos respexit.

41. Ave, de qua prodeunt
ubertatis rivi,
De qua munda profluit
aqua fontis vivi,
Peto, mater, veniam,
qui per sordes ivi,
Fac, ut fontem sitiam
magis quam sitivi.

42. Ave, cuius thalamo
iudex est egressus,
Causas qui determinat,
vindicat excessus,
Per quem mentis oculos
tenebris oppressus
Discat, ut in lumine
suos ponat gressus.

43. Ave, cuius filius
protegat egentes,
Adfligit et improbos
in nos insurgentes,
Pie, quaeso, dirigat
nostras in se mentes
Reprimendo turbinum
motus imminentes.

44. Ave, per quam genitor
verbum eructavit,
Verbum, quod hominibus
se contemperavit,
Qui Dei et hominum
foedera dictavit
Et pro nobis moriens
mortem relegavit.

45. Ave, tabernaculum
Domini virtutum,
In quo sumens Dominus
carnis nostrae lutum,
Ut captivum redimat
ope destitutum,
Arcum fortis conterit
et comburit scutum.

46. Ave, cuius filius
regnat super gentes,
Cuius psallunt nomini
manibus plaudentes,
Iubilemus igitur
attollendo mentes,
Indefesse capiti
Christo cohaerentes.

47. Ave, virgo generans
regem sempiternum,
Quique Deus noster est,
Deus in aeternum,
Qui pro nobis moriens
spoliat infernum,
Solium nos faciens
scandere supernum.

48. Ave, nostrum gaudium,
nostrae spes salutis,
Per quam caecis redditur
lux et sermo mutis,
Nobis innocentiae
vestibus exutis
Redde, quaeso, gratiam
et statum virtutis.

49. Ave, salutarium
summa gaudiorum,
Salvatorem generans
et Deum deorum,
Qui misertus miseris
et consors eorum
Culpas lavans pertulit
poenas peccatorum.

50. Ave, virgo, generis
nostri miserere
Et languentis animae
morbos intuere,
Tu miserta miseris
et compassa vere,
Morbi causas auferens
mentibus medere.

Secunda Quadragena.

1. Ave, vas munditiae
continens unguentum,
Veteris malitiae
reprimens fomentum,
Cordis nostri comprime
motum turbulentum,
Tuae nobis gratiae
conferens augmentum.

2. Ave, nostri generis
parens ad tutelam,
Audi, quam effundimus,
gemitus loquelam,
Tu, corrumpi nescia,
tolle corruptelam
Et morbosis mentibus
adhibe medelam.

3. Ave, cuius filius
patri coaequalis,
Nobis se contemperans
factus est mortalis,
Nos experientia
doceat realis,
Quod in eius nomine
salvemur a malis.

4. Ave, secretarium
exauditionis,
Nostra verba suscipe
deprecationis
Nosque tuae gratiae
praedotatos donis
Ad divinae tansferas
lumen visionis.

5. Ave, mater veniae,
potens misereri,
In tuorum numero
fac nos recenseri
Et, cum ventilatio
coeperit haberi,
Iram nobis tempera
iudicis severi.

6. Ave, nostri generis
potens advocata,
Miserere miseris,
Misereri nata,
Nos, qui per te credimus
solvi iudicata,
Per te solvi petimus
solvi postulata.

7. Ave, quae iustitiam
semper es locuta,
Cuius ope daemonum
fraus est diminuta,
Sentiat et sapiat
per te plebs adiuta,
Libertati pristinae
Quod sit restituta.

8. Ave, mater nesciens
in delicto thorum,
Ad quam clamat jugiter
turba filiorum,
Nos a malis eripe,
quos a via morum
Detoquere satagit
tractus vitiorum.

9. Ave, per quam deitas
carne palliata
Idumeam visitat
corrigens errata.
Tibi, mater, iugiter
psallat plebs renata,
Dei participio
per te sociata.

10. Ave, lux exposita
lumen praeminenti,
Lux illustrans omnia
radio patenti,
Nos a malis omnibus
serves in praesenti,
Lumen verum conferas
nubilosae menti.

11. Ave, per quam deitas
peregre profecta
Visitavit exsules
nube carnis tecta,
Nostra per te Deo sit
anima subiecta,
Ad solvendas Domino
grates circumspecta.

12. Ave, vitae pabulum,
virginum lucerna,
Quam plus ditat ceteris
gratia superna,
Pietate subveni
filiis materna,
Sanctitatis adipe
satiens interna.

13. Ave, virgo generans,
per quam defecerunt
Hi, qui velut gladios
linguas acuerunt,
Qui tendentes laqueos,
in quos inciderunt,
Ex defectu proprio
nobis profuerunt.

14. Ave, per quam deitas
carnis indumento
Tecta curat morbidum
gratiae fermento,
Quaeso, fac, centuplici
gaudens incremento
Abundare valeam
vallium frumento.

15. Ave, virgo generans
plebis salutare,
Cuius laudes resonant
caelum atque mare,
Qui naturam hominis
volens exaltare
Moriendo voluit
mortem terminare.

16. Ave, per quam miseris
Deus miseretur,
Per quam nostri generis
scelus aboletur,
Per te sic miseria
nostra relevetur,
Ut in fine gaudio
vero permutetur.

17. Ave, de qua natus est
triumphator mortis,
Deus ex te particeps
factus nostrae sortis,
Qui captivos eruens
ab inferni portis
Reddat nos consortio
caelicae cohortis.

18. Ave, stella fulgida,
stella salutaris,
Stella, de qua prodiit
radius solaris,
Mentis pelle tenebras
nec nos patiaris
Absorberi fluctibus
procellosi maris.

19. Ave, vallis humilis,
in quam cum descendit
Deus verus, Abrahae
semen apprehendit,
Nec non adjutorium
miseris impendit
Conterendo laqueos,
hostis quos tetendit.

20. Ave, vitae ianua,
speculum virtutis,
Protectorem generans
ope destitutis,
Nostrum sit refugium,
nostrae spes salutis,
Per quem dirae solvitur
iugum servitutis.

21. Ave, caeli pluvia
vellus irroratum,
Indumentum praeparans
regi purpuratum,
Qui se nostri generis
gerens advocatum
Fecit finem litibus,
finem perbeatum.

22. Ave, virgo generans
Orbis architectum,
Hunc, qui mortis moriens
terminat effectum,
Mentis nostrae gressibus
iter parat rectum,
Ut nequaquam transeat
Cordis in defectum.

23. Ave, cuius filius
operans salutem
In terrarum medio
monet ad virtutem,
Aerumnosam remove,
mater, servitutem,
Praesens ut exilium
gaudio permutem.

24. Ave, cuius gratia
veniam meretur,
Fidem qui catholicam
pie confitetur,
Tuis, virgo, meritis
precibusque detur,
Ut, quod Eva perdidit,
per te reformetur.

25. Ave, per quam Dominus,
pietate motus,
Humilis apparuit,
in Iudaea notus,
Fortem reddit spiritum
frangens carnis motus,
Ut devote serviat
tibi toti totus.

26. Ave, mater gratiae,
gemmis redimita,
Mater, per quam pauperum
vox est exaudita,
Tuus nobis filius
in praesenti vita
Via sit et veritas
in futura sita.

27. Ave, terra gloriae
germinans frumentum,
Animabus conferens
vitae nutrimentum,
Quod in crucis cornibus
a Iudaeis tentum
Moriendo centuplum
tulit incrementum.

28. Ave, de qua prodiit
pater orphanorum,
Cuius templum polluit
turba profanorum,
Servos tuos socia
sorti beatorum
Filiosque posside
morte punitorum.

29. Ave, lumen fidei,
summa spei certae,
Caritatis vinculum,
veritatis per te
Via nobis patuit,
quaeso, nos converte
Et, ne mala videant,
oculos averte.

30. Ave, cuius filius
dextera potenti
Ab Aegypti cophino
suos in praesenti
Liberando reficit
adipe frumenti
Et de petra satiat
melle profluenti.

31. Ave, cuius filius
stetit Iudaeorum
Synagoga principes
judicans eorum,
Qui pupillos refovens
spes est egenorum,
Nos adoptans erigit
in spem filiorum.

32. Ave, per quam nobis est
similis effectus
Deus, iudex omnium
patiens et rectus,
Purgat conscientiam,
ordinat affectus,
Ut nobis non noceat
noster imperfectus.

33. Ave, tabernaculum
facta deitatis,
In quo salvat saeculum
Christus a peccatis,
Solve, quaeso, vinculum
nostrae pravitatis,
Praestans habitaculum
novae claritatis.

34. Ave, terra gratiae
fecundata donis,
Novae fructum proferens
benedictionis,
Nostrum desiderium
satians in nobis,
Nos a malis eximens
pravae nationis.

35. Ave, vitae speculum,
virginum regina,
Quam lustravit undique
gratia divina,
Aurem tuam pauperum
precibus inclina,
Quos involvit misere
sordium sentina.

36. Ave, Dei civitas,
cuius fundamentum
Samarites construit,
qui nos in iumentum
Semivivos revehens
plagis dat unguentum,
Vino legis adhibens
gratiae fomentum.

37. Ave, mater Domini,
qui spes est salutis,
Qui contrivit moriens
iugum servitutis,
Iuva nos in tempore
nostrae senectutis
Nos in caelum sublevans
gradibus virtutis.

38. Ave, nostri generis
terminans lamentum,
Per quam rex disposuit
vitae testamentum,
Gregem tuis laudibus
iugiter intentum
Non pavere facias
iudicis adventum.

39. Ave, quae refugium
facta desperatis
Procellosae comprimis
motus tempestatis,
Placa nos et applica
portibus optatis,
Vultui nos offerens
summae trinitatis.

40. Ave, quam inhabitat
verbum caro factum,
Qui collapsos vetiti
ligni per contactum
Nos fecisse condolens
cum inferno pactum,
Ligno vitae reparat
figuli vas fractum.

41. Ave, per quam Domino
pie confitemur,
Cuius ope consequi
veniam meremur,
Tuis sanctis precibus,
mater, adiuvemur,
Ut in Christo iugiter
tecum gloriemur.

42. Ave, per quam Dominus
induit decorem,
Matris Evae moriens
terminat maerorem,
Primae nos originis
vocans ad honorem,
Immo statum reparans
multo meliorem.

43. Ave, mater Domini
miserationum,
Nostra delens crimina
spiritum da bonum,
Ut astare valeam
gaudens ante thronum,
Cum in fine venerit
Deus ultionum.

44. Ave, mater inclita,
mater inquam Dei,
Per quem datur sabbatum
verae requiei,
Hic est, qui nos liberat
anno iubilaei,
Unde non immerito
iubilemus ei.

45. Ave, per quam Domino
novit decantare,
Novum terra canticum,
laudans salutare,
Qui nos, cum redierit
orbem iudicare,
Sui patris ovibus
velit aggregare.

46. Ave, cuius filius
regnans sine fine
Aegrotanti factus est
auctor medicinae,
Qui naturam hominis
uniens divinae,
Fit per mortis terminum
terminus ruinae.

47. Ave, quae libidinis
non sensisti motum,
Per quam fecit Dominus
salutare notum,
Qui, quod erat hominis,
assumendo totum,
Aegro se contemperat,
ut sanet aegrotum.

48. Ave, quae justitiae
solem nube tegis,
Thronus facta gratiae,
thronus summi regis,
Nostri, quaeso, vigiles
ad tutelam gregis,
Ut in nobis vigeat
plenitudo legis.

49. Ave, mater, cuius est
pietas immensa,
Cuius ope languidis
salus est impensa,
Moris vota suscipe
iubilumque pensa
Et perenne gaudium
nobis recompensa.

50. Ave, mater, solitum
gignens praeter morem,
Quae gignendo retines
virginis pudorem,
Iuris et iudicii
fervidum rigorem
Per misericordiae
tempera dulcorem.

Tertia Quadragena.

1. Ave, per quam pauperum
voces exaudivit
Passer solitarius,
qui post mortem ivit,
Qui per poenas diluens
culpam, quam nescivit,
Iugum mortis moriens
penitus contrivit.

2. Ave, mater, titulo
benedictionis
Illustrata caelitus
gratiaeque donis,
Nos illustra lumine
miserationis,
Statum mutans miserae
conversationis.

3. Ave, mater gratiae,
mater benedicta,
Maledictionibus
Evae non astricta,
Moles, quaeso, criminum
aufer et delicta,
Ut severi iudicis
temperes edicta.

4. Ave, mater filii,
per quem liberantur,
Qui sub mole criminum
pressi tenebantur,
Ipsi, per quem foedera
gratiae donantur,
Pie nos confoedera
cum his, qui salvantur.

5. Ave, cuius filio
pie confitemur,
Quod Aegypti tenebris
per hunc amovemur,
Qui pro nobis gladium
ponit super femur,
Quo accinctus proeliet,
ne nos expugnemur.

6. Ave, mater Domini,
qui te praeelegit,
Qui catervas hostium
moriens confregit
Et inferna visitans,
praedo quos abegit,
A praedonis faucibus
praeda factus egit.

7. Ave, nostrum gaudium,
nostra spes et vita,
Cuius ope salus est
aegris impertita,
Generalem generans
sortem non oblita,
Ad aeternae pabulum
vitae nos invita.

8. Ave, per quam Dominus
nostri miseretur,
Cuius laus in filio
digne recensetur,
Qui dum pacis osculum
fictae non veretur,
Sibi laudem, gloriam
nobis promeretur.

9. Ave, cuius uterus
factus est castellum,
Quod intravit Dominus
properans ad bellum,
Qui sibi de funibus
fecerat flagellum,
Inimicos posuit
pedibus scabellum.

10. Ave, per quam genitor
filium praemisit,
Redimendi populi
curam cui commisit,
In quem cum diabolus
manum suam misit,
Quos ad mortem traxerat,
nesciens amisit.

11. Ave, stella nuntians
veri solis ortum,
De qua verum tenebris
lumen est exortum,
Quod in nostris mentibus
reperis distortum,
Tuae participio
lucis fit absorptum.

12. Ave, mater pueri,
per quem vita datur
Cuius laus a pueris
digne praedicatur,
Per te nobis puritas
vitae conferatur,
Quod in pueritiae
nomine signatur.

13. Ave, cuius filius
sudans in agone,
Mare rubrum transmeat
merso Pharaone,
Nec fit praeda faciens
praedam de praedone,
Sicque praedo victus est,
victus a tirone.

14. Ave, norma fidei,
pacis disciplina,
Apis mella faciens,
vitis fundens vina,
Vini meri calicem
filiis propina
Et de valle tristium
transfer ad divina.

15. Ave, vitis fertilis,
docta propinare
Vinum, quod inebriat,
vinum salutare,
Vinum, de quo Dominus
risum fecit Sarae,
Dum promisit Abrahae
semen ampliare.

16. Ave, per quam factus est
homo rex caelorum,
Cuius passim reserat
laudes vox piorum,
Te laudare iugiter
summa sit votorum,
Donec nos suscipiat
chorus angelorum.

17. Ave, vitis gratiae,
vitis salutaris,
Quam vallavit undique
lapis angularis,
Nostram saepi vineam
vallo, quo vallaris,
Ne nos laedat rabies
feri singularis.

18. Ave, pia genetrix
immaculatorum,
Quorum lex est currere
viam mandatorum,
Ne a via devient
pedes viatorum,
Quod nos gravat, amove
pondus peccatorum.

19. Ave, de qua prodiit
potens advocatus,
Culpae qui determinat
veteres reatus,
Cuius patrocinio
noster incolatus
Transeat in gloriam
melioris status.

20. Ave, virgo regia,
mundi luminare,
Ecce, mentis tenebras
potens propulsare
Nos in montem doceas
oculos levare,
Quo conscendit Abraham
iussus immolare.

21. Ave, quae laetitiam
mundo contulisti,
Cum in verbo gratiae
verbum genuisti,
Qui cum nos praeceperit
ad tribunal sisti,
Ab auditu faciat
non pavere tristi.

22. Ave, virgo, thalamus
facta summi ducis,
Quae de noctis tenebris
miseros educis,
Nostrae mentis oculos
leves a caducis,
Ut intendant radio
sempiternae lucis.

23. Ave, virgo, gratiae
mater affluentis,
Per quam cedit populi
strepitus furentis,
Muni, quaeso, fortiter
pedes nostrae mentis,
Ut torrentem transeant
aquae vehementis.

24. Ave, mons sanctissimae
speculationis,
In quo nostrae sita est
spes ascensionis,
A carnali strepitu
nos commotionis
Liberando filios
fac adoptionis.

25. Ave, mater affluens
pacis ubertate,
Facta consolatio
plebis captivatae,
Nos ad portum applicans
pacis praeoptatae,
Plena plene perfrui
praesta libertate.

26. Ave, domus regia,
quam aedificavit
Rex, qui pacis gaudium
mundo muntiavit,
Qui, dum fortis atria
fortior intravit,
Fortem ligans spolia
fortis asportavit.

27. Ave, Dei genetrix
et virgo beata,
Filiorum filiis
plene venustata,
Da timere Dominum
mente tranquillata,
Vias nostras dirigens
eius ad mandata.

28. Ave, per quam viribus
hostes destituti
Inbecilles facti sunt,
debiles et muti,
Nostrae, virgo, quaesumus,
prospice saluti,
Ut fiamus iugiter
te tuente tuti.

29. Ave, floris baiula,
cuius ad odorem
Reviviscunt mortui,
suscipe clamorem
Ad te suspirantium
nosque per hunc florem
Non pavere facias
mortis ad horrorem.

30. Ave, cuins detulit
rex humilitati,
Te cum verbi thalamum
fecit incarnati,
Sic pro nobis offerens
se captivitati
Captivatos reddidit
prima libertati.

31. Ave, Iesse virgula,
per quam exhibetur,
Quod de David semine
pater pollicetur,
Per te quidem gratiae
tempus adimpletur,
Quia per te filiis
pater miseretur.

32. Ave, gemma gratiae,
stillans unctionem,
Quae nostrarum mentium
firmat unionem
Nos unitos mutuam
per dilectionem
Vitae praesta consequi
benedictionem.

33. Ave, nostrum gaudium,
nostrae spes salutis,
Caeli scandens solium
gradibus virtutis,
Quaeso, fer praesidium
noxia secutis
Et a nobis excute
iugum servitutis.

34. Ave, cuius filius
gratiae praeconem
Nondum natum docuit
exsultationem,
Doce nos per vitii
supplantationem
Ad beatam tendere
Christi visionem.

35. Ave, virgo generans,
per quem liberatur
Israel et Pharao
persequens necatur,
Solvat quisque gratias
et confiteatur,
Quod hic mirabilia
solus operatur.

36. Ave, per quam principe
victo Babylonis
Cantica resumimus
iubilationis,
Per maternae gratiam
miserationis
Reduc nos ad patriam
repromissionis.

37. Ave, parens inclita,
quae sine pudoris
Tactu nostri facta es
mater salvatoris,
Te laudantes muniat
intus atque foris,
Per te qui remedium
nostri fit doloris.

38. Ave, cuius filius
habitu mendici,
Carnem gerens similem
carni peccatrici,
Quasi dolo reppulit
dolos inimici,
Cum se mortis legibus
passus est addici.

39. Ave, mater filii,
cuius ad congressum
Mors devicta penitus
abit in secessum,
Nos a malis eripe,
mentis nostrae gressum
Ad paternae dirigens
dexterae consessum.

40. Ave, per quam deitas
carne palliatur,
Ut ad vitae semitas
exul reducatur,
Nostra sic oratio
per te dirigatur,
Ut succedens actio
vitam consequatur.

41. Ave, de qua prodiens
gigas manu fortis
Dormientes excitat
a sopore mortis,
Redde nos consortio
caelicae cohortis,
Ut sit cum viventibus
locus nostrae sortis.

42. Ave, mater, suscipe
preces, quas effundo
Gravis sterquilinii
mersus in profundo,
Munda cordis thalamum
hauriens a fundo
Sordes, quibus ceteris
amplius abundo.

43. Ave, de qua nascitur
ille Nazaraeus,
Per quem, dum in proelio
ruit Philistaeus,
Vitae spem concipiens
gaudet homo reus,
Voce clamans libera:
Benedictus Deus.

44. Ave, de qua prodiit
rex universorum,
Regnum cuius omnium
regnum saeculorum,
Rege nos et applica
coetibus eorum,
Quorum summa gloria
laus est aeternorum.

45. Ave, per quam populo
factus est adiutor
Rex, qui dicit: Ego sum
Deus et non mutor,
Qui per mortis semitas
mortis persecutor,
Fit collator gratiae,
libertatis tutor.

46. Ave, cuius laudibus
laus est delectari,
Cuius nos confidimus
partu salutari
Post hanc vitam gloriae
palma coronari,
Si velimus Domino
pie conformari.

47. Ave, mater gratiae,
iugi laude digna,
Per quam victis hostibus
ruit ars maligna,
Captivatis exhibe
pietatis signa
Nosque post exsilium
patriae resigna.

48. Ave, per quam tollitur
hominum pressura,
Cuius laudes reboat
omnis creatura,
Laudes, quas offerimus,
acceptare cura,
Nos beatitudine
ditans permansura.

49. Ave, fons clementiae
veniaeque vena,
Per quam nobis redditur
vitae cantilena,
A peccatis salva nos
et peccati poena
Et beatitudiais
perduc ad amoena.

50. Ave, laus fidelium,
iubar sanctitatis,
Domini triclinium,
thronus maiestatis,
Placa nobis filium
precibus beatis,
Servos tuos munerans
dono libertatis.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15 B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20005. D. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001 E. — Orat. ms. Reichen-

bacense anni 1476. Clm. Monacen. 2990. F. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. G. — Cod. Laudunen. 263 saec. 12. add. saec. 14. H. — Cod. Parisin. 3638. saec. 15/16. I. — Psalt. ms. Cantuariense saec. 14. in Cod. Londinen. Add. 28681. K. — Cod. Londinen. Add. 15794. saec. 13. L. — Cod. Cantabrigen. Dd. XV 21. saec. 14. M. Cod. Cantabrigen. Ff VI 14. saec. 13. N. — Horar. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Scaffhusien. 1. O. — Cod. Londinen. Add. 11037. saec. 13/14. P. — Cod. Londinen. Reg. 2 A. IX. saec. 13. Q.

I. 1, 7 regni gloria B. — 2, 5 Audi preces C. — 3, 5 Qui passus B. — 3, 6 superatus C. — 5, 3 satagis A. — 5, 5 Tu nos quoque B. — 7, 2 Cura nostrae A. — 8, 3 rex fehlt B. — 8, 7 proscribit B. — 9, 7 Quae nec nomen virginis B. — 9, 8 mater amisisti B. — 11, 4 crucem B. — 14, 4 nostrae sortis B. — 15, 7 que fehlt A. — 15, 8 condonans B. — 26, 6 intentis B. — 26, 8 criminosae B. — 27, 4 caro Deo data B. — 28, 5 Eant ergo B. — 28, 6 quos ad se vocavit B. — 28, 7 Agnum B. — 28, 8 quos mandavit B. — 29, 3 continens B. — 29, 6 sacrum B. — 30, 5 Atque ineffabilis B. — 30, 6 exstat pulchritudo B. — 30, 7 pie A. — 31, 4 peccatorum B. — 32, 3 patrio B. — 34, 4 propulit B. — 34, 6 commiscendo B. — 36, 7 et utrumque B. — 37, 5 Quaeso fac ne B. — 38, 2 prorsus decantatur B. — 38, 3 pro Iditum A, pro habitu B, Ydithum C. — 38, 7 ut vel mentis B. — 39, 5 devolutum B. — 42, 2 De qua manans B. — 42, 4 vindicans B. — 42 und 43 umgestellt B. — 44, 6 ditavit B. — 45, 4 nostrae carnis B. — 47, 3 Quibus noster Deus est B. — 47, 4 Christus in aeternum B. — 47, 6 Avernum B. — 49, 2 gemma gaudiorum B. — 49, 3 Salutare B. — 50, 3 Languescentis B. —

II. 1, 4 comprimens B. — 1, 8 unguentum B. — 52, 3 Audi quem offendimus B. — 52, 4 dirige loquelam B. — 3, 5 Ut experientia B. — 4, 7 transferas B. — 65, 5 sqq. lauten in B:

Nos sub alis protegens, donec terminata
Transeat iniquitas morte conculcata.

7, 4 imminuta B. — 8, 8 trames vitiorum B. — 9, 3 visitant B. — 12, 5 Pietate filiis B. — 12, 6 subveni materna B. — 13, 3 gladium B. — 13, 5 sqq. lauten in B:

Ex defectu proprio nobis posuerunt
Intendentes laqueos, in quos ceciderunt.

15, 3 resonet B. — 19, 5 Et suum adiutorium B. — 21, 7 finem fecit B. — Nach Strophe 20 steht folgende Strophe, zu der aber D bemerkt: vel de eodem psalmo (71):

Ave, cuius filio gens ab oriente
Trina trino obtulit stella praecedente,
Sic iunctura sideri duos uniente
Liberavit pauperem Deus a potente.

Str. 22 fehlt A. — 22, 3 Qui dum mortis B. — 22, 7 Et nequaquam transiet B. — 22, 8 in affectum B. — 23, 4 manet et virtutem B. — Str. 24 und 25 umgestellt B. — 24, 6 meritisque detur B. — 26, 8 futura vita B. — 28, 8 mortificatorum B. — 31, 3 Synagogam iudicans A. — 31, 4 principes eorum A. — 32, 1 quam similis BD. — 32, 2 nobis est BD. — 36, 7 Vina legis, gratiae B. — 36, 8 olei fomentum B. — 40, 4 attactum B. — 40, 7 comparat B. — 41, 5 Et sic a malis omnibus B. — 41, 6 per te sublevemur B. — 42, 4 terminans B. — 44, 7 Unde nec B. — 45, 7 summi patris B. — 48, 7 vigilet B. — 50, 8 rigorem A, ultorem B.

III. 1, 8 opido contrivit B. — 4, 6 ditantur B. — 5, 5 sqq. lauten in B

Qui nos ducens gladium ponit super femur,
Tuis confer, domina, laude gloriemur.

9, 5 de restibus B. — 9, 8 pedumque scabellum A. — 10, 3 populum A. — 11, 8 absortum AB. — 13, 8 a praedone B. — 15, 7 Cum B. — 17, 5 spei vineam A. — 18, 7 gravet A. — 19, 7 Transferat A. — 21, 5 praecipiat B. —

23, 3 cessit strepitus B. — 23, 4 populi furentis. B. — 25, 5 ad pacis applicans B. — 25, 6 portum praeoptatae B. — 26, 3 gaudia B. — 27, 1 Ave Dei Domini B. — 27, 2 genitrix beata B. — 34, 3 natus B. — 37, 3 mater facta es B. — 37, 4 nostri salvatoris B. — 38, 8 iniici B. — 40, 7 succendens A. — 43, 4 victus Philistaeus B. — 45, 1 populi B. — Nach Str. 50 fahren BN noch fort mit folgenden fünf (beziehungsweise vier) Strophen:

1. Ave, virgo, generans moris fracto iure,
   De qua gigas prodiit geminae naturae,
   Tu miserta miseris subveni pressurae,
   Nos in laudem proferens gloriae venturae.
2. Ave, nostri generis potens et patrona,
   Super cuncta possidens gratiarum dona,
   Tuis sanctis meritis precibusque dona,
   Ne mens nostra subito sit in malis prona.
3. Ave, virgo, supplices potens exaudire,
   Servos tuos, placida, fac nos tecum ire,
   Et, cum iudex venerit, qui est iudex irae,
   Iudicis ad dexteram iube nos venire.
4. Ave, caeli gloria, terrae fundamentum,
   Cuius fit in utero continens contentum,
   Tuae nobis gratiae praestet incrementum,
   Quod ad tuae canimus laudis nutrimentum.
5. Ave, virgo, suscipe mentis in conclavi
   Verba, quibus totiens veniam rogavi,
   Exaudito totiens Ave tam suavi
   Fac me, quaeso liberum prorsus a vae gravi.

Dieselben Strophen stehen auch als „Conclusio totius operis“ in CD mit folgenden Abweichungen: 3, 3 venerit atque dies irae. — 4, 4 ad tuae scribimus laudis munimentum. — 5, 2 Et audito. — 5, 4 Fac me prorsus liberum, prorsus. — Hier gehen diesen Strophen vier andere vorher:

Ad Magnificat.

1. Ave, cuius nuntio domina beata
   Dominum magnificat plus humiliata,
   Sic amore generans Deum haec beata,
   Dierum a saeculis felix ad hoc nata.

Ad Nunc dimittis.

2. Ave, cuius filius templo praesentatur,
   Salutare gentium seni revelatur,
   Sicque petit postmodum, ut et dimittatur,
   Quod nostris laboribus laudem conferatur.

Ad Benedictus

3. Ave, virgo pariens, quem veri praeconis
   Benedicens praedicat resurrectionis
   Cornu, quod promiserat, diuturnum bonis,
   [Ut in viam] dirigat pedes rationis.

Ad Te Deum.

4. Ave, cuius filio coetus angelorum
   Sanctus clamat iugiter, nos a vitiorum
   Labe munda, perfrui in regno caelorum
   Fac nos cum felicibus praemiis iustorum.

K hat folgenden Schlufs:

Nostras, Dei genetrix, laudes acceptare
Cura, quas offerimus, nosque praesentare
Per has Deo satagas, ut cum iudicare
Venerit, nos ovibus velit adgregare.

Virgo sancta, suscipe mentis in conclavi
Verba, quibus totiens veniam rogavi,
Et audito saepius animo suavi
Fac me, quaeso, liberum pressum a vae gravi.

Virgo singularis, sespice quod quaero,
Per te, stella maris, veniae spem gero,
Ianua salutis, ad te propero
Et fragmenta iuventutis tibi offero.
Iam considero, quid sim, et agnosco,
Unde licet sero veniam deposco.
Per te potero, quod desidero,
Virgo, quae sincero paris utero,
Tuus sum et ero,
De te non despero,
Quidquid egero.

A hat folgendes Prooemium zu diesem Psalter:

Quisquis hoc psalterium sobrie et pie
In honorem virginis semperque Mariae
Decantando sabbati perficis in die,
Vitae tibi ianua et caeli pate(bu)nt viae.

Scripturarum paginae, si quid habent veri,
Poteris hoc carmine gratiam mereri,
Quia virgo virginum dignatur intueri,
Diligentes omnes se potens est tueri.

Saltem breve deputa spatium diei,
Promere obsequia genetricis Dei,
Et dulces has iubilo laudes offer ei,
Ut te luce satiet suae speciei.

Ut de meo carmine merear gaudere,
Dico virgo virginum, Alberti miserere,
Da id eum operis pretium habere,
Tuam sine termino faciem videre.

Qui prudenter operis huius vim perpendit
Et eius materiam, unde sit, attendit,
Si per psalmos singulos ordine descendit,
Totam de psalterio summam deprehendit.

Dasselbe Prooemium bieten auch DE; der Name Albertus 4, 2 hat offenbar die Veranlassung gegeben, dafs dies Psalterium Albert dem Grofsen zugeschrieben wurde; so in DE: Psalterium beatae Mariae virginis, editum ab Alberto magno. Prolocutio Magni Alberti in psalterium sequens E. Allein es steht nicht fest, welcher Albertus sich hier nennt, ja nicht einmal, ob jenes Prooemium ursprünglich zu diesem Psalterium gehört, von dem es überdies versmafslich abweicht; A wenigstens scheint dasselbe zum Psalterium s. Bonaventurae zu beziehen, da es dasselbe mit den Worten einleitet: adice ad praecedens psalterium; dieses aber ist das Bonaventuras. Andere Hss. bezeichnen Augustin als Verfasser; so B: „Incipit prologus beati Augustini super psalterium beatae Mariae virginis.“ Den wahren Verfasser bezeichnen, wie es scheint, FGH: „Incipit psalterium beatae Mariae virginis per modum salutationis, compilatum per Magistrum Stephanum Parisiensem.“ FG. — „Item hic incipiunt salutationes secundum ordinem psalmorum, editae a venerabili in Christo patre, magistro Stephano, Cantuariensi archiepiscopo, in honorem beatae Mariae semper virginis venerandae.“ H. Damit ist Stephen Langthon (Linguatonus), Pariser Kanzler, Kardinal mit dem Titel S. Chrysogoni und Erzbischof von Canterbury (1207—1228) gemeint. —

Ein anderes Prooemium bieten BCDIKMN: Incipit prologus beati Augustini super Psalterium beatae Mariae Virginis (B):

Mente concipio laudes depromere[1])
Beatae virgini, quae nos a carcere
Ducit[2]) per filium genus in genere
Mihi vivificans effectus[3]) opere.

Usus qui praebuit psallendi[4]), gratiam
Sermonis tribuat in affluentiam,
Ut eius praedicans laudes et gloriam
Dulcoris intimi saporem sentiam.

Laudum praeconia dictat affectio,
Sed lingua titubat haeretque[5]) ratio,
Nam, quibus laudibus quove praeconio
Referam virginem matremque, nescio.

Haec matrum mater est et gemma virginum,
Quae vitae praebuit auctorem Dominum,
Qui mortem terminans per mortis terminum,
Ruinae moriens succurrit hominum.

Haec mater virginis[6]) retento nomine
Caelestis nuntii fecunda semine
Ius omne superat et usum feminae,
Cum nobis parturit Deum in[7]) homine.

Salutat angelus[8]), res mira sequitur,
Quod auris accipit, intus concipitur,
Tumescit uterus, Deus egreditur,
Vestitus homine, nec virgo[9]) laeditur.

O res mirabilis, o rerum novitas,
Se vestit homine summa divinitas,
Lucet in virgine matris fecunditas,
Et iugi lumine vernat virginitas.

Haec summa laudis est atque materia,
Quod mater Domini virgo sit regia,
Promissa proferens mundo remedia,
Sicut vox docuit de caelo nuntia.

Quod ergo didici[10]) per caeli nuntium
Arcani mystici consecratorium,
Dictamen offero salutatorium
Per matrem filio, matri per filium.[11])

Benigne suscipe, mater, quod offero,
Litusque tangere fac me, quo propero,
Ut mortis limites cum pertransiero,
Quiete vivere possim de cetero.

Nec non et omnibus relaxes crimina,
Pro quibus supplicans fundo precamina,
Nostrumque pariter et horum nomina
Conscribi facias in vitae pagina.

A, welches das zuerst angeführte Prooemium als zum vorhergehenden Psalterium, dem des hl. Bonaventura, gehörig bezeichnet, fügt zu diesem das folgende hinzu:

Gloria cum mea mens careat, laudare Maria,
Te, nam cum sit arens caritate, virgo Maria,
Ac virtute carens, o lucida stella Maria,
Cum sis sancta parens largitorisque, Maria,
Virtutum, flagita mihi reddere bona, Maria,

1) conscribere C. — 2) Solvit per C. — 3) mirificans effectum in B. — 4) scribendi C. — 5) erratque B. — 6) matrum mater est B. — 7) cum homine B. — 8) virginem C. — 9) Deus nec. C. — 10) audisti C. — 11) Die folgenden Strophen fehlen B.

Ut te in vita valeam laudare, Maria,
Sic, ut finita possim regnare, Maria,
Et fiat hoc ita, te postulo, virgo Maria.

Q hat zu diesem Psalterium den Prologus: „Ad regales vocatus nuptias“ etc. (vgl. Psalt. XIV. in den Noten) mit der Aufschrift: „Incipit epithalamica praefatiuncula in salutatorium beatae Mariae, matris Dei.“ P. hat am Schlusse nach der Strophe „Ave, virgo supplices potens exaudire (vgl. hier oben in den Noten) folgendes:

Demum, Dei genetrix, laudes acceptare
Cura, quas offerimus, nosque praesentare
Per has Deo satagas, ut, cum iudicare
Venerit, nos ovibus velit adgregare.

Virgo sancta, suscipe, mentis in conclavi
Verba, quibus totiens veniam rogavi,
Et audito saepius Ave tam suavi
Fac me, quaeso, liberum prorsus a vae gravi.

In dem gedruckten Handschriftenkatalog der Universitätsbibliothek von Cambridge II, 519 wird diesem Psalterium die Bemerkung hinzugefügt „By Archbishop Peckham,“ für welche Angabe sich der Katalog auf Tanner, Bibl. Brit. bezieht. Tanner aber hat am angezogenen Orte, S. 585 in der Note, woselbst er Peckhams Schriften aufführt, nur folgendes: „Psalterium meditationum seu salutationum BM. lib I. Mente concipio laudes conscribere;“ nachdem er mehrere Handschriften erwähnt, die das Psalterium enthalten, fügt er bei: „Continet tantum versus 44. forsan imperf.“ Wir erfahren hier also, dafs das Prooemium „Mente concipio“ etc. von Peckham ist. Wir wissen aber nicht, zu welchem Psalterium dasselbe ursprünglich gehört und welches wir deshalb Peckham beizulegen haben. Stünde fest, dafs es zu dem vorliegenden Psalter gehört, so wäre dieser unbedenklich Peckham zuzuweisen. Nach Analogie anderer Fälle möchte man in Peckham den Verfasser des Bonaventura zugeschriebenen Psalters vermuten.

Gedruckt wurde dies Psalterium u. a. mit dem Titel: Psalterium divae virginis Mariae, rhythmice conscriptum a Reverendissimo Domino Stephano, olim Archiepiscopo Cantuariensi, ex Bibliotheca Tegrinseensi depromptum. Cantandum sub melodia Patris sapientia. Excusum Tegernsee. Anno MDLXXIX.

XII. Psalterium beatae Mariae V.

sancto Bonaventurae tributum.

Prima Quinquagena.

1. Ave, virgo, vitae lignum,
Quod perenni laude dignum,
Salvo voto, quod vovisti,
Mundo fructum attulisti.

2. Ave, cui sine fine
Reges astant et reginae,
Tu regina saeculorum,
Regum princeps et regnorum.

3. Ave, David, germen iustum,
Ut vitalem Dei gustum
Mereamur experiri,
Fac de monte nos audiri.

4. Ave, virgo Deo digna,
Serva tuos et consigna
Luce tuae faciei
Et splendore vultus Dei.

5. Ave, mater novi moris,
Nec conceptu redemptoris
Neque ortu deflorata,
Scuto Dei obumbrata.

6. Ave, virgo, quae furorem
Conditoris in amorem
Tua fide convertisti,
Votis iram exstinxisti.

7. Ave, virgo, quam creator
Rerum, testis et scrutator,
Universis, quae creavit,
Digniorem demonstravit.

8. Ave, virgo plena bonis,
Gratiarum dives donis,
Opus Dei digitorum
Grande nimis et decorum.

9. Ave, virgo post et ante,
Pro me semper te pugnante
Vertat hostis mihi dorsum,
Qui conversus stet retrorsum.

10. Ave, porta liberatis,
Aula summae trinitatis
Et sollenne Dei templum,
Salus orbis et exemplum.

11. Ave, virgo, flos regalis,
Mulierum nulla talis,
Verba cuius sunt argentum,
Lingua laudis instrumentum.

12. Ave, virgo, cui plaudo,
Tibi cano, te collaudo
Bona mihi tribuentem,
Sana, virgo, te canentem.

13. Ave, virgo Deo cara,
Pulchra, suavis, prudens, clara,
Sola Dei salutare
Digna mundo generare.

14. Ave virgo, virtus mea,
Natum Deum posce, dea,
Ut in Sion arce clarae
Nos concedat habitare.

15. Ave, virgo, forma morum,
Tibi Christus, rex caelorum,
Mundi curis expeditae
Notas fecit vias vitae.

16. Ave, virgo, cuius ori
Voci, verbis et clamori
Dei aures inclinatae
Sunt praestandi largitate.

17. Ave, virgo diligenda,
Laude cunctis praeferenda,
Radix sancta, semen verum,
Flos et gemma mulierum.

18. Ave, cuius provocatus
Forma Deus de te natus
Pugnaturus non expavit,
Sed ut gigas exsultavit.

19. Ave, scala caelum tangens,
Ad te, virgo, clamo plangens,
Ut a malo, stella maris,
Me de Sion tuearis.

20. Ave, Iesse stirps beata,
Virgo voto non fraudata
Tui cordis et tuorum
Voluntate labiorum.

21. Ave, cuius, quae nascetur,
Claritatem gens loquetur,
Cuius honor non decrescit
Et potestas finem nescit.

22. Ave, digna omni laude,
Casta Dei mater, gaude
Et admitte vota precum,
Ut sis, virgo, semper mecum.

23. Ave, virgo, cuius manus
Non foedavit actus vanus,
Sed ab omni pravitate
Innocentes sunt servatae.

24. Ave, virgo speciosa,
Cuius quasi recens rosa
Spirat caro, cor laetatur,
Mens in bonis demoratur.

25. Ave, virgo, quae iam audis
Coram throno vocem laudis,
Iube simul nos astare,
Dei laudes enarrare.

26. Ave, virgo, rumpe moras,
Et ad omnes, precor, horas
Mihi custos et adiutrix
Esto, digna Dei nutrix.

27. Ave, virgo vernans flore,
Gustu cuius et odore
Rursum homo iuvenescit
Et ad vitam revirescit.

28. Ave, virgo, et appare,
Iube tecum me regnare
Et ad Christum, quo abisti,
Post te trahe, mater Christi.

29. Ave, virgo, favus mellis,
Cedit, ecce, sol cum stellis
Tui vultus claritati,
Tu decoris consummati.

30. Ave, virgo, finis irae,
Purga culpas et largire,
Nos peracto cursu mundi
Pro peccatis non confundi.

31. Ave, virgo pulchra visu,
Deprecor te toto nisu,
Me clamantem tota die,
Pia mater, audi pie.

32. Ave, mater, virgo tamen,
Posce sacrum Dei flamen,
Ad munimen nobis dari
Et a verbo nos firmari.

33. Ave, virgo ruga carens,
Da, intacta Dei parens,
Ut laus tua cum dulcore
Meo semper sit in ore.

34. Ave, mater, expers viri,
Da me dignum inveniri,
Quem digneris adiuvare,
Noli, virgo, me tardare.

35. Ave, virgo, vena munda,
Per quam vivi fontis unda
Mihi semper irroretur,
Quo cor meum debrietur.

36. Ave, virgo, vitae via,
Salus mundi, spes, Maria,
Cuius legem cor rimatur,
Os sophiam meditatur.

37. Ave, virgo, mundi decus,
Tibi cedens iudex aequus
Est oblitus irae suae
In aspectu formae tuae.

38. Ave, virgo, mundi ratis,
Da ut ignis caritatis
Per te semper mihi crescat,
Cor amore concalescat.

39. Ave, virgo, lux astrorum,
Educ, quaeso, vitiorum
Lutulenta me de faece
Pro me fusa Deo prece.

40. Ave, virgo, tu dignare
Te laudantem me sanare
A languore nimis gravi,
Quem peccando comparavi.

41. Ave, virgo, da, quod cernis,
Ut contempler in supernis
Epulantis turbae sonum
Et cantantis ante thronum.

42. Ave, virgo singularis,
Vena veri salutaris
Et emissae lucis mater,
Cuius Deus verus pater.

43. Ave, virgo ac quietum
Fac frementis mundi fretum,
Iesus navi soporatus
A te surgat excitatus.

44. Ave, virgo digna coli,
Tu divinae tuae proli
In festiva claritate
Vestis astas deauratae.

45. Ave, virgo, mundi lumen,
Tu divinitatis flumen
Tibi missum et infusum
Effudisti praeter usum.

46. Ave, virgo, mater agni,
Iesu Christi, regis magni,
Qui est pius et benignus
Et honore summe dignus.

47. Ave, virgo formae rarae,
Cuius vultus singulare
Visum iubar sunt mirati
Reges caeli congregati.

48. Ave, virgo, veta mentem
Te laudando diligentem
Deputari inter reos,
Ubi mors depascet eos.

49. Ave, veris claritudo,
Tecum agri plenitudo,
Tu infusa caeli rore
Vernas orto salvatore.

50. Ave, mater orphanorum,
Miserere miserorum,
Tolle sordes et peccata,
Super nivem dealbata.

Secunda Quinquagena.

1. Salve, virgo primitiva,
Virgo ferax ut oliva,
Tu divini germen floris
Attulisti nostris oris.

2. Salve, stemma clarum David,
Omnis mundus declinavit,
Sola Deum requisisti
Nec ad probra descendisti.

3. Salve, virgo novi voti,
Posce bona mundo toti,
Tuum sanctum adiuvamen
Sentiamus omnes, Amen.

4. Salve, virgo columbina,
Da, ut mundi de sentina
Illuc volem datis pennis,
Ubi quies est perennis.

5. Salve, virgo, da te duce
Me vivorum frui luce,
In qua raptus ad superna
Vita vivam sempiterna.

6. Salve, virgo specialis,
Fove tuis me sub alis,
Sede fruar ut amoena
Et quieta pace plena.

7. Salve, decus puellarum,
Virgo, Iuda semen clarum,
Patris parens, nata prolis,
Dei domus, aula solis.

8. Salve, virgo, flos de spina,
Quod rogamus, da, regina,
Surge nobis in occursum,
Praebe dextram, trahe sursum.

9. Salve, virgo lacte lota,
Pasce tuos, semper pota
Deitatis fonte trino
De compunctionis vino.

10. Salve, turris nostrae spei,
Virgo, esto memor mei
Et auctorem laudum harum
Salva, princeps feminarum.

11. Salve, virgo sine dolo,
Cuius omnis spes in solo
Creatore semper mansit,
Non in mundo, qui pertransit.

12. Salve, virgo, cuius stratum
Nullo viro temeratum
Christus natus illustravit
Nec te nascens reseravit.

13. Salve, virgo recti cordis
Nec ullius unquam sordis
Inquinata foeditate
Dono prolis illibatae.

14. Salve, salus ex Iudaeis,
Votis, virgo, fave meis,
Ut in Sion reddam illa
Suscitatus de favilla.

15. Salve, virgo par argento,
Tu pudoris detrimento
Igne mundi non arsisti,
Quem illaesa pertransisti.

16. Salve, parens absque pare,
Eia, virgo, deprecare
Deum mihi misereri
Et cum iustis me censeri.

17. Ave, virgo Deo iuncta,
Te tollente mala cuncta
Viae meae prosperentur,
Res adversae secundentur.

18. Salve, virgo, per quam volens
Pauper ille fit et dolens,
Quo iubente dolor cedit,
Et paupertas retrocedit.

19. Salve, virgo, Dei cella,
Quem pro nobis interpella,
Placa natum, ne moreris,
Quae repulsam non vereris.

20. Salve, norma castitatis,
Esto, virgo, pro peccatis
Ne descendam ad tormentum,
Forte mihi firmamentum.

21. Salve, virgo, vitae portus,
Clausa porta, clausus hortus,
Vellus clari Gedeonis,
Veri thronus Salomonis.

22. Salve, virgo, cuius lotus
Pes peccando non est motus,
Ergo firma vacillantes,
Leva lapsos, tene stantes.

23. Salve, decus disciplinae,
Stella lucis matutinae,
Veri solis tu aurora,
Super omnesque decora.

24. Ave, virgo, quam laudamus,
Da, securi videamus
Ora Christi iudicantis
Et post semper imperantis.

25. Salve, virgo, sed fecunda,
Firma mundos, foedos munda,
Et, qui aufert regum flatum,
Regem nobis fac placatum.

26. Ave, virgo, Dei quies,
Tu antiquos mihi dies
Et, per Evam quam amisi,
Redde lucem paradisi.

27. Salve, virgo, quae rorasti
De secreto ventris casti
Super ora peccatorum
Verum panem angelorum.

28. Salve, templum impollutum,
Cuius mundo cor exutum
Nulla unquam saeculari
Lue quivit inquinari.

29. Salve, mundi medicina,
Misce potum et propina
Mihi fletum mensurate
Pro peccati quantitate.

30. Salve, virgo, flos aestatis,
Tu divinae suavitatis
Mel et manna suscepisti
Et haec nobis porrexisti.

31. Salve, virgo, fuga mortem,
Serva reos et in sortem
Transfer Dei filiorum,
Reparatrix perditorum.

32. Salve, virgo admiranda,
Nulla tibi comparanda,
Nulla talis in puellis,
Universas tu praecellis.

33. Salve, virgo, quae de tristi
Valle fletus emersisti,
Orta terris et in mare
Da excelso rutilare.

34. Salve, terra fructuosa,
Iesu mater generosa,
De qua nobis modo miro
Vir processit sine viro.

35. Salve, grandis et pusilla,
Mater eius et ancilla,
Cuius tremit dominatum
Altitudo potestatum.

36. Ave, virgo, mundi vita,
Tu cum nato da petita,
Ut me Dei civitatis
Civem esse faciatis.

37. Salve, virgo, dies festa
Per te solvat a molesta
Paupertate, qua laboro,
Mater absque viri thoro.

38. Salve, virgo et laetare,
Te in caelis imperare
Gens et lingua omnis sciat
In aeternum, fiat, fiat.

39. Salve, virgo, cuius oris
De splendore conditoris
Splendor clare resplendescit,
Lucet corpus, cor clarescit.

40. Salve, virgo, decus rerum,
Te iuvante me dierum
Comitetur longitudo
Et salutis plenitudo.

41. Salve, cedrus exaltata,
Virgo palmae coaequata,
Premens arce dignitatis
Cuncta ligna voluptatis.

42. Salve, virgo, quae decorem
Induisti, creatorem
Praecinxisti pulchre Deum,
Carne munda velans eum.

43. Salve, virgo gratiosa,
Tu, quae mitis et formosa
Super omnes es puellas,
A te nunquam me repellas.

44. Salve, virgo vincens solem,
Tuus infans terrae molem
Fundat, librat et appendit,
Fines manu comprehendit.

45. Salve, virgo vitae rectae,
Da peccata nos perfecte
Confitendo decorari,
Da te semper venerari.

46. Salve, virgo, vellus roris,
Tu dilecta salvatoris,
Tu cor habens liquefactum
Ad ignitum Dei tactum.

47. Salve, sponsa regis almi,
Psalle Deo voce psalmi
Et fer opem, quam precamur,
Ne in culpa moriamur.

48. Salve, nubes pluvialis,
Tu perusta mille malis
Corda nostra refecisti,
Quibus Deum infudisti.

49. Salve, virgo, nec morare,
Surge portas reserare,
Quas obstruxit homo primus,
Ut intrare nos possimus.

50. Salve, virgo, quam invisi
Nusquam tangit hasta nisi,
Tota felix nec adusta
Qualicunque re iniusta.

Tertia Quinquagena.

1. Gaude, virgo, mundi sidus,
Domus, tectum, mons et nidus,
Ubi passer solitaris,
Iesu Christe, demoraris.

2. Gaude, virgo delicata,
Mater virum dedignata,
Per te datur vitae dator
Et perennis miserator.

3. Gaude, virgo, terra bona,
Tu petenti mihi dona
Panem de te procreatum,
Vinum vera vite natum.

4. Gaude, mater Ioseph veri,
Ab utraque qui tueri
Semper fame nos dignetur,
Per te illud impetretur.

5. Gaude, virgo, et praebeto
Unam mihi rem, quam peto,
Me in tuo salutari
Ad salutem visitari.

6. Gaude, virgo, fons signatus,
Cuius nunquam violatus
Venter fudit redemptorem,
Oppressorum ereptorem.

7. Gaude, virgo, et implora,
Uti meum omni hora
Cor paratum, lene, pronum
Sit ad omne opus bonum.

8. Gaude, virgo, vitae datrix,
Ad te, dives imperatrix,
Clamo pauper et egenus
Et aerumna multa plenus.

9. Gaude, virgo, et ne sinas
Sion muros et ruinas
Sine nobis reparari,
Fac ad illos nos quadrari.

10. Gaude, virgo, cuius vultus,
Mores, motus, forma, cultus,
Cuncta placent ad perfectum,
In te nihil est neglectum.

11. Gaude, virgo, agni nupta,
Opto, mater incorrupta,
Larga nimis et felici
Manu tua benedici.

12. Gaude, virgo, nauta mundo,
Ne mergamur in profundo,
Duc de porta nos ad portum,
Fer ad veri solis ortum.

13. Gaude, virgo, quam sincero
Corde semper esse spero
Vitae meae protectricem
Et salutis largitricem.

14. Gaude, virgo laetabunda,
Per te vivam cum iucunda
Electorum contione
In vivorum regione.

15. Gaude, virgo, virens salix,
Favus, uva, fons et calix,
Tu pro faece protoplasti
Nectar orbi propinasti.

16. Gaude, virgo, virga Iesse,
Dona nobis tecum esse,
Ut affectu, quo debemus,
In aeternum te laudemus.

17. Gaude, virgo gloriosa,
Fac virtutem virtuosa
Et me semper iube frui
Visione vultus tui.

18. Gaude, virgo, meque doce
Intus sono sine voce
Bonitatem, disciplinam
Et scientiam divinam.

19. Gaude, virgo tota lenis,
Salves, oro, me a poenis
Gravis huius incolatus
Et aeterni cruciatus.

20. Gaude, parens absque naevo,
Ad te cor et vultum levo,
Ut me quoque consoleris,
Quae cunctorum misereris.

21. Gaude, virgo, lux iustorum,
Tu convexa superorum
Glorianter introisti
Et, ut regnes, resedisti.

22. Gaude, cui dominator,
Rex, caelorum habitator,
In perenni dedit iure
Omnis sceptum creaturae.

23. Gaude, virgo benedicta,
Quam non traxit ad delicta
Rerum ille torrens vanus,
Ros decurrens, flos mundanus.

24. Gaude, Sion mons sublimis,
Elevata virgo nimis,
Quae in caelis principatum
Iure tenes et primatum.

25. Gaude, virgo, quam perflavit
Et perflando fecundavit
Auster fructu speciali
Christo flore virginali.

26. Gaude, plena gratiarum,
Domus septem columnarum
Dei manu fabricata
Nec ab eo violata.

27. Gaude, palmes vitis verae,
Bona Sion me videre
Cunctis, virgo, fac diebus,
Ut abundem laetis rebus.

28. Gaude, virgo, maris stella,
Dona vires, doce bella,
Fac me docte proeliari
Et ne sinas expugnari.

29. Gaude, virgo, spes humana,
Preme ventus, fluctus plana
Ut devictis mundi undis
Emergamus de profundis.

30. Gaude, virgo, cuius sensus
Nunquam fuit deprehensus
Arroganter elevari
Ac iniuste gloriari.

31. Gaude, virgo diva poli,
Cuius Deus sibi soli
Habitandum cor elegit
Et libenter ibi degit.

32. Gaude, virgo, vas unguenti,
Iam in ora vestimenti
Unctionem, qua abundas,
Supplicamus, ut effundas.

33. Gaude, virgo, quae ad pura
Adolenda precum tura
Deo manus extulisti,
Cui mater exstitisti.

34. Gaude, virgo, pia tota,
Da ut mente te devota
Et amore semper puro
Laudem nunc et in futuro.

35. Gaude, caelum spiritale,
Summum intellectuale,
Tu mons ille non incisus,
Tu caelestis paradisus.

36. Gaude, mater, virgo vera,
Doce mente me sincera
Sion semper recordari,
Non de mundo meditari.

37. Gaude, novi mater Adam,
Cuius, precor, ut evadam
In me iustam ultionem,
Pro me reddas rationem.

38. Gaude, mater pietatis,
Per te nostrae caecitatis
Nox ut dies illustretur,
Malum omne propulsetur.

39. Gaude, digna praedicari,
Non me sinas supplantari
Et ne ruant ad excessus,
Meos rege, virgo, gressus.

40. Gaude, lumen caelo datum,
Veta, virgo, ne peccatum
Verbis parem excusare,
Doce linguam refraenare.

41. Gaude, virgo, da post luctum
Mundi huius hinc conductum,
Phoebi vultu clariora
Me videre Christi ora.

42. Gaude, regum alta proles,
Tu me, virgo, sicut soles,
Ad te salva fugientem,
Serva tibi procidentem.

43. Gaude, arbor mire culta,
Virgo pollens laude multa,
In quam Deus cum descendit,
Foedum nihil deprehendit.

44. Gaude, luna, quae ructasti,
Suave lumen, quod gustasti,
Et in caelo mente fixa
Stella solem es enixa.

45. Gaude, botrum ferens vitis,
Per quam mundi pulsa sitis,
Lux est caecis restaurata
Et libertas vinctis data.

46. Gaude, elix in septenas
Sparsa stellas, quae serenas
Mundum ex te luce pura,
Luce nunquam occasura.

47. Gaude, rerum potens diva,
Mensae Dei tu conviva,
Tu medullam da frumenti
Mihi, virgo, te petenti.

48. Gaude, tota candidata,
Virgo, cui comparata
Luna nigra reputatur,
Sol cum stellis obscuratur.

49. Gaude, virgo, quae laetaris
Et exsultans gloriaris
De virtutum tot unguentis
In cubili tuae mentis.

50. Gaude, sidus principale,
Alma Dei mater, vale,
In aeternum aeternorum
Digna sono cymbalorum.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B. — Clm. Monacen. (ol. Andecen.) 3012. saec. 15. C. — Cod. Mellicen. 935. saec. 15. D. — Cod. Paulan. Sanblasian. memb. 25. saec. 15. E. — Cod. Paulan. Hospitalen. cart 326. saec. 15. F. — Cod. Cremifanen. 270. saec. 15. G. — Cod. Lambacen. 463. saec. 15. H. — Cod. S. Petri Salisburgen. b. I 20. saec. 15. I. — Cod. Voravien. 323. saec. 15. K. — Cod. Admonten. 746. saec. 15. L. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. M. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20005. N. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 3702. anni 1469. O. — Clm. Monacen. (ol. Pollingen.) 11922. anni 1501. P. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. Q. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14538. anni 1404. R. — Orat. ms. Carth. Magunt. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Maguntin. II 151. S. — Orat. ms. Carth. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz) T. — Clm.

Monacen. (ol. Emmeramen.) 14841. saec. 15. U. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14528. saec. 15. V. — Cod. Palat. Vindobonen. 4096. saec. 15. W. — Cod. Palat. Vindobonen. 4547. saec. 15. X. — Cod. Bremen. c. 22. saec. 15. Y. — Opp. S. Bonaventurae XIII (Venetiis 1756), p. 362 ff. Z. —

I. 1, 2 Quae perenni B. — Str. 2 in SUV:

Ave, schola disciplinae,
Imperatix, quam reginae,
Regem agnum quae sequuntur,
Venerantes amplectuntur.

3, 1 Ave, virgo, germen C. — 3, 4 Fac devote nos C. — 4, 2 Serva servos Z; Servata tuis et U; Serva nos et V. — 5, 2 Nec contemptu C. — 7, 1 salvator BZ. — 7, 2 Rerum testis A. — 7, 3 Quem non fallit nox erroris BZ. — 7, 4 Laudat intus atque foris BZ. — Str. 6 und 7 in SUV:

6. Ave, virgo, et aspira,
Ut auctoris cesset ira,
Furor eius tibi cedat,
Ne pro culpa reos laedat.

7. Ave, portus naufragorum,
Virgo, virtus infirmorum,
Per quam aegri sunt saluti,
Functi vitae restituti.

Per quam aegri sunt salvati, functi mente deputati UV. — Str. 8 ebenda:

Ave, virgo, mundi vita,
Flos, monile, margarita,
Nihil habens indecorum,
Opus Dei digitorum;

9, 3 Hostis vertas SUV. — 9, 4 Et confusus stet SUV. — 12, 2 Tibi canto BC. — 13, 2 Pulchra prudens, pia, clara B. — 15, 2 Cui Christus B. — 15, 3 Mundi cordis exauditae A. — Str. 11—14 in SUV:

11. Ave, virgo, flos regalis,
Da, puella liberalis,
Ut a poena, quam meremur,
Te servante liberemur.

12. Ave, virgo, lux solaris,
Lumen, unde iucundaris,
Iube, tecum contemplemur,
Ne in morte soporemur.

13. Ave, virgo, quae puellis
Anteluces ut sol stellis,
Ex te datur Israeli
Salutaris arce caeli.

14. Ave, finis nostri luctus,
Tui, virgo, ventris fructus
Arce Sion, urbis clarae,
Nos concedat habitare.

16, 4 praestandi Z. — 17, 2 proferenda A. — Str. 16 und 17 in SUV:

16. Ave, virgo, vas electum,
Ante Dei quae conspectum
Ceu sol lucis in virtute
Fulges intus et in cute.

17. Ave, virgo, rara multum,
Cuius caelos propter vultum,
Quos cum patre gubernabat,
Splendor patris inclinabat.

18, 2 Deus Deo natus BCZ. — 19, 4 De Sion me Z. — 20, 1 Ave virgo stirps A. — 20, 2 Vero voto A; Mater sancta non C. — Str. 22 lautet in AE:

Ave, virgo, flos camporum,
Tu ad campos liliorum,
Ubi pascis cum dilecto,
Deduc calle nos directo.

22, 2 mater Dei V; Dei fehlt U. — 22, 3 Duc regina saeculorum SUV. — 22, 4 Nos ad pastum gaudiorum SUV. — Str. 23 lautet in SUV:

Ave, de qua spe coronae
Congressurus cum dracone
Triumphale carnis scutum
Sibi sumpsit rex virtutum.

24, 3 Caro vernat, cor UV. — 25, 1 quae nunc audis U. — 25, 3 simul nos fehlen U. — 25, 4 Christi laudes UV. — Str. 26. Ave, virgo rara multum etc. UV. cfr. oben Str. 17. — 27, 1 Ave tellus vernans UV. — Str. 28 und 29 in SUV:

28. Ave, saecli lux immensa,
Scripturarum tu condensa
Sola digna revelare,
Nata caecis lumen dare.

29. Ave, cuius speciei
Christus, verae lux diei,
Dat virtutem consummatam
Et te praeter nulli datam.

29, 3 Cuius vultus B. — 29, 4 Et decoris A. — 31, 2 Precor a te AUV. — 31, 3 clamantem cotidie Z. — 31, 4 Clemens mater Z. — 32, 1 virgo mater A. — 32, 2 Dei sacrum UV, Posce semper sacrum Z. — 32, 3 Adiumentum nobis A. — 33, 3 cum decore A. — Str. 34 und 35 in A:

34. Ave, virgo, vas ornatum,
Soli Deo vas sacratum,
Lingua mea te laudabit,
Os extollit, cor cantabit.

35. Ave, virgo, fide plena,
Per te vivi fontis vena
Mihi semper irroretur,
Qua cor meum ebrietur.

Str. 35 in UV:

35. Ave, fontis veri vena,
Confer, ut in agni cena
Exsultemus et potemus
Fontem, ex te quem habemus.

36, 2 Salve mundi spes UV. — 36, 6 cor legem UV; Cuius ope restituti C. — 36, 4 Vitae sumus et saluti C. — Str. 37 in SUV:

37. Ave, splendor firmamenti,
Cerne vultu me clementi,
Sta pro reo tuo more,
Ne confundar in furore.

38, 4 incalescat Z; Mihi semper ex te crescat B. — 39, 3 Luculenta V, luculenter C. — 39, 4 Deo fusa Z; Christo fusa UV; Tua manu, tua prece A. — 40, 1 virgo ac dignare BCUV, fac dignare Z. — Str. 41 in A:

Ave, virgo, splendor veris,
Semper, oro, me digneris
Confortare conturbatum,
Consolare contristatum.

42, 2 Vera via salutaris A. — 43, 1 virgo et quietum UV, tu quietum Z. — 43, 3 Huius mundi redde fretum UV. — 44, 1 digna poli C. — 44, 2 Quae divinae B. — 45, 2 Quae a patre verbi flumen UVZ. — 45, 5 propter usum A. — Str. 46 in A und SUV:

A. Ave, virgo, summa legis,
Sedes alta summi regis,
In qua rerum gubernator,
Regum sedet imperator.

SUV. Ave, cui, qui has fecit,
Gentes omnes rex subiecit,
Locus Dei sessionis,
Veri thronus Salomonis.

47, 3 Iubar visu B. — 47, 4 caelo CZ. — Str. 48 lautet in A:

48. Ave, virgo, porta caeli,
Spira fidem infideli,
Spem largire desperatis,
Vitam morti deputatis.

49, 2 Totum agri C; pulchritudo Z. — 49, 3 Quae infusa B. — 49, 4 Vernans C. — 50, 2 Et asylum miserorum UV.

II. 1, 2 felix et oliva A, verax C. — 1, 3 Quae divini UV. — 2, 1 Ave schema Z. — 2, 2 omnis adclamavit Z. — Str. 2 lautet in A:

Salve, virgo, lux pudoris,
Virga florens, flos amoris,
Te rex regum ut aspexit,
Ipse florem flos dilexit.

3, 3 Tuum omnes adiuvamen CZ. — 3, 4 Sentiamus semper BCZ. — 4, 2 Me ad caelum peregrina U; Fac ad caeli peregrina, V; Fac ut mundi BZ. — 4, 3 Ubi quies est perennis UV. — 4, 4 Da volare datis pennis UV. — Str. 5 und 6 lauten in A:

5. Salve, tellus non arata,
Virgo, confer postulata,
Ut finita temporali
Luce fruar immortali.

6. Salve, virgo specialis,
Fove, mater, tuis alis
Me pupillum et egentem,
In te multam spem habentem.

7, 2 Virga Iuda Z. — Str. 7 lautet in SUV:

Ave, Iuda semen clarum,
Aufer, decus puellarum,
Me de mole leonina
Et a fauce belluina.

9, 2 Pasce nos semper et pota B, semper nos et Z. — Str. 9 in UV:

Ave, virgo, et de caelis
Funde nobis, prout velis,
Fletum vivum animarum
Plue fontes lacrimarum.

10, 2 Vive, virgo, memor C. — 10, 3 Et cantorem Z. — Str. 11 in CUV:

C. Ave, virgo, caro cuius
Ridens dapes vitae huius
Solum Deum concupivit
Et eundem mens sitivit.

UV. Ave, virgo, quae in auro,
Gaza, gemmis et thesauro
Spem habere dedignata
Caeli regnis es praelata.

Str. 12. Ave virgo, caro cuius etc. BZ; in SUV:

12. Ave, cuius super stratum,
Nullo viro temeratum,
Angelorum laus est orta,
Virgo, semper clausa porta.

Str. 14 lautet in A:

14. Salve, virgo, regum stemma,
Nulla tam praeclara gemma
Inter omnes margaritas
In corona Dei sitas.

15, 2 Quae pudoris UVZ. — 15, 4 permansisti UV. — Str. 16 und 17 lauten in A:

16. Salve, virgo, ac dignare
Nos dignanter illustrare
De splendore tui vultus,
Tuae formae, tui cultus.

17. Salve, virgo, flos sanctorum,
Ex te fluit fons hortorum,
Regna rigat orientis,
Paradisum nostrae mentis.

Dieselbe Str. 17 lautet in SUV:

17. Ave, virgo, clamor vatum,
Iam praebente te ducatum
Viae meae prosperentur,
Res adversae secundentur.

18, 3 A bemerkt bei iubente „alias rubente“. — Str. 20 lautet in A und 21 in SUV:

20. Salve, decus firmamenti,
Mihi, virgo, te petenti
Cor iucundum conferatur,
Et os laude repleatur.

21. Ave, vellus rore madens,
Qui de patris sinu cadens
In te, virgo, lana munda,
Deitatis pluit unda.

21, 2 Porta clausa B. — 21, 3 Vellus clarum madens C, Clarum vellus B. — 23, 4 Super omnes tu C; Tu pro nobis semper ora Z. — Str. 23 lautet in SUV, 24 in A:

23. Ave, virgo Deo cara,
Sed stirpe plus prole clara,
Tecum apex dignitatum,
Rex, qui aufert regum flatum.

24. Salve, virgo, vellus roris,
Tu dilecta Salvatoris,
Tu cor habens liquefactum
Ad ignitum Dei tactum.

24, 2 Ut securi videamus B. — 25, 2 Salva mundos A. — Str. 25 lautet in SUV, 26 in A:

25. Ave, virgo Deo cara,
Sed stirpe plus prole cara,
Tecum apex dignitatum,
Rex, qui aufert regum flatum.

26. Salve, virgo mater agni,
Iesu Christi, regis magni,
Qui cunctorum dominatur,
Mira solus operatur.

27, 1 Ave mater C, virgo vera quies B; quae rogasti Z. — 27, 3 oram B. — Str. 28 in A:

28. Salve, virgo digna laude,
O regina, semper gaude,
Te reginae, te cunctorum
Laudant ora populorum.

29, 3 Fletum mihi UV, miserate A. — Str. 30 in SUV, Str. 31 u. 32 in A:

30. Ave, virgo, quae beato
Cordis ore dilatato
Deitatis Iesu Christi
Totam undam combibisti.

31. Salve, templum impollutum,
Cuius mundo cor exutum
Nulla unquam saeculari
Lue quivit inquinari.

32. Salve, virga recta,
Tu decora, tu perfecta,
Tuus natus rex deorum
Et tu decus angelorum.

Dieselbe Strophe 32 lautet in SUV:

Ave, cunctis praeferenda,
Firma vagos et emenda,
Rege plebem, serva clerum,
Virgo, gemma mulierum.

33, 1 sqq. Salve, virgo, fuga mortem etc. A. — 34, 1 sqq. Salve, virgo admiranda etc. A. — 35, 1 sqq. Salve, virgo, quae de tristi etc. A. — Str. 36 lautet in A: Salve, virgo fructuosa etc., vgl. Str. 34; dann schaltet A zwei Strophen ein: Salve grandis et pusilla etc., vgl. Str. 35 und

Salve, gemma castitatis,
Virgo, Dei civitatis
Porta, mons et fundamentum
Et decoris complementum,

wodurch es in der zweiten Quinquagene 52 Strophen statt 50 erhält. Dieselbe Str. 36 in SUV:

Ave, virgo, cuius alvo
Castitatis flore salvo
Summus, Sion qui fundavit,
Ut flos homo germinavit.

37, 2 salvet Z. — 38, 3 Mens et lingua B. — 39, 3 u. 4 umgestellt B. — 39, 1 sqq. sind in A also verändert:

39. Salve, virgo, vas honoris,
Cuius splendor sacri oris
Ardet semper et clarescit,
Licet corpus, cor ignescit.

40, 1 Te iubente CZ; die ganze Strophe lautet in UV:

40. Salve, virgo, decus rerum,
Longitudo me dierum
Te petente comitetur,
Dolor omnis procul detur.

41, 3 arce dignitatis. — Str. 43 und 44 lauten in UV:

43. Ave, vertex generose,
Age, virgo, virtuose
Dans ad hanc petitionem
Vultus tui visionem.

44. Ave, mundi splendor huius,
Terrae molem infans cuius
Fundat, librat et appendit,
Fines manu comprehendit.

45, 2 Fac peccata CZ. — Str. 45 und 46 lauten in A:

45. Salve, virgo, laus floreti,
Tibi caeli pangunt laeti,
Campi gaudent, plaudunt rura,
Tuas laudes canitura.

46. Salve, virgo, summe bona,
Digna sceptris et corona,
Te regnante caelum plaudit
Gaudet terra, cum hoc audit.

Dieselbe Strophe 46 in SUV:

Ave, cuius prae amore
Cor exsultat in fervore,
Ad ignitum Dei tactum
Sicut cera liquefactum.

47, 3 Et in laude cor dilata A. — 47, 4 Mater virum dedignata A. — 48, 2 Quae perusta. — 48, 3 Arva nostra UV. — 50, 1 invisi fehlt U. — 50, 2 Non cruentat hasta nisi V; die Zeile fehlt U. —

III. 2, 1 sqq. fehlen ASUV, statt dessen

A: Gaude, virgo, vitae norma,
Cuius mores, mens et forma
Pollent multa venustate
Et virtutum maiestate.

SUV: Ave, orbis advocata,
Mater non devirginata,
Per quam datur vitae dator
Et perennis miserator.

Str. 3 lautet in denselben Handschriften gleichfalls abweichend, und zwar:

A: Gaude, porta clausa viris,
Virgo, splendes et vestiris
Luce sicut vestimento
Et das lumen firmamento.

SUV: Ave, virgo iuncta Deo,
Da, regina, cordi meo
Panem ex te generatum,
Vinum vera vite natum.

4, 2 Ab interna qui BZ. — Str. 4 und 5 lauten in A:

4. Gaude, virgo digna quaeri,
Mater vera Dei veri,
Cuius nomen invocamus,
Confitemur, adoramus.

5. Gaude, virgo, lumen rectis,
Tu concede cum electis
In futuro nos laetari,
Christum teque contemplari.

7, 2 sqq. sind in A verändert: Ut cor meum omni hora Sit laudare te paratum Et a mundo segregatum; in Z: Ut cor meum omni hora Praeparatum, lene, pronum, Gaudens sit ad omne bonum. — 8, 3 Clamat A. — 9, 1 neque sinas UV. — 9, 3 separari C. — 9, 4 ad illam Z. — Str. 10 lautet in A und SUV.

A: Gaude, mater exquisita,
Virgo, cuius digna vita,
Terris vitae dat auctorem,
Caelis decus et splendorem.

SUV: Ave, virgo, cuius cultus
Et regalis splendor vultus
Vibrat ignes radiorum
In conventum beatorum.

11, 3 Largo nutu et A. — Str. 12 und 13 lauten in SUV:

12. Ave, stella clara mundo,
Ne mergamur in profundo,
Deduc, virgo, nos ad portum
Contra veri solis ortum.

13. Ave, per quam a peccati
Montes mole liberati
Velut agni salierunt,
Petrae fontes roraverunt.

13, 2 Semper corde esse C; Semper esse corde Z. — 13, 4 Credo Dei genetricem BCZ. — 14, 2 Et recumbens cum UV. — 15, 2 uva atque calix UV. — 16, 1 virga stirpis Iesse UV. — 16, 2 Da nobis B. — Str. 17 lautet in SUV:

Ave, virgo, et concede
Summa caeli nos in aede
Iesu, saxo angulari,
Caritate copulari.

18, 4 Sapientiam doctrinam A. — An Stelle von Str. 18 setzt B die folgenden acht Strophen:

1. Ave, virgo, lumen rectis,
Tu concede cum electis
In futuro me laetari
Te et natum contemplari.

2. Ave, virgo, nomen sanctum,
Pro peccatis dona planctum,
Cor laudare te paratum
Sit a mundo separatum.

3. Ave, virgo, digna quaeri,
Mater vera Dei veri,
Cuius nomen invocamus,
Confitemur, adoramus.

4. Ave, virgo, vitae norma,
Cuius mores atque forma
Pollent multa venustate
Et virtutum maiestate.

5. Ave, virgo benedicta,
Vero sole tu amicta,
Per te sumus a peccati
Taetra mole liberati.

6. Ave, stella principalis,
Confer, virgo liberalis,
Mihi moris ornamenta
Da virtutum incrementa.

7. Ave, virgo, mater Dei,
Memor esto semper mei,
Ut loquaris pro me bona
Donans gratiarum dona.

8. Ave, virgo, et dignare
Me dignanter illustrare
De splendore tui vultus,
Tuae formae, tui cultus.

Hierauf folgt in B Str. 18. Dann: Ave, virgo splendor veris etc. = Str. I. 41 in A; Ave, virgo, porta caeli etc. = Str. I 48 in A; dann:

Ave, virgo grata Deo,
In aeternum coram eo
Super omnia creata
In reginam confirmata;

Gaude, virgo, dux erranti etc. cfr. III 40; Ave, tellus non arata etc. = Str. II. 5 in A; dann:

Ave, virgo, et, quae peto,
Mihi confer vultu laeto,
Fidem rectam, bonum finem,
Ut ad mala non declinem.

Ave, virgo, porta lucis,
Sponsa nova novi ducis,
Qui cunctorum dominatur,
Mira solus operatnr.

Ave, virgo, vas ornatum etc. = I, 34 in A; dann:

Ave, virgo, lux pudoris,
Virga florens, flos amoris,
Te rex regum ut aspexit,
Ipse florem flos dilexit.

Ave, rosa speciosa,
Gemma splendens pretiosa,
Deum caeli tu lactasti,
Lapsum mundum reparasti.

Ave, virgo Deo iuncta,
Regnans super regna cuncta,
Tuus honor non decrescit,
Et potestas finem nescit.

Ave, virgo sanctissima,
Tu nostra pax tutissima,
Servo tuo praebe scutum
Donans copiam virtutum.

Ave, vita mortuorum,
Advocatrix peccatorum,
Pia mater, hoc dignare,
Linguam meam refraenare.

19, 1 virgo, virga lenis A. — 20, 2 Ad te, virgo, vultum UV. — 20, 3 Ut me semper A, Ut tu me consoleris UV. — 21, 1 laus iustorum UV. — 21, 2 Quae convexa UV. — 21, 3 Plena hymnis introisti UV. — 21, 4 consedisti C. — 22, 4 sceptra BZ. — Str. 23 lautet in AC und SUV:

AC: Ave, virgo benedicta,
Vero sole quae amicta,
Per te sumus a peccati
Taetra nocte liberati.

SUV: Ave, cuius cor invictum
Non deflexit ad delictum
Rerum ille torrens vanus,
Ros decurrens, flos mundanus.

23, 2 tu amicta C. — 24, 2 Exaltata UV. — 24, 3 Et in caelis UVZ. — 24, 4 Ius usurpans et UVZ. — 25, 3 spirituali Z. — 26, 4 Nec securi violata UV. — Str. 27 und 28 in SUV:

27. Ave, vitis, qua prodivit,
Haustu cuius homo vivit
Absque labe senectutis,
Vinum vitae, fons salutis.

28. Ave, virgo, nec me gente
Vitiorum irruente
Patiaris expugnari,
Doce docte proeliari.

29, 3 evictis UVZ. — 29, 4 Per te surgam de UV. — 30, 2 comprehensus A. — 30, 4 Aut iniuste Z. — 31, 2 cui A. — 31, 4 Quod illustrat, implet, regit A. — Str. 31 lautet in SUV:

31. Ave, virgo mansueta (lenis meta UV),
Tu in Sion urbe laeta
Iube civem me ascribi,
Ut te semper laudem ibi.

Str. 32 lautet in A:

32. Gaude, virgo, fons de colle,
Imple manus et extolle,
Offer Deo precum tura
Nobis eum placatura.

34, 1 munda tota UV. — Str. 36 lautet in B und SUV:

B: Ave, virgo, vas ornatum,
Veta, quaeso, ne peccatum
Verbis parem excusare,
Doce linguam iubilare.

SUV: Ave, virgo, quae lamenta
Babylonis ad fluenta
Sedens olim exercebas,
Praesta, plangam, ut plangebas.

Str. 37 bis 40 einschliefslich lauten in A:

37. Gaude, stella principalis,
Confer, virgo liberalis,
Morum nobis ornamenta
Et virtutum incrementa.

38. Gaude, virgo, porta lucis,
Sponsa nova novi ducis,
In qua nihil imperfectum,
Nil deforme, nil neglectum.

39. Gaude, virgo, dux erranti,
Firmamentum vacillanti,
Tu nos rege, te rogamus,
Nos sustenta, ne cadamus.

40. Gaude, virgo, et, quod peto,
Mihi confer vultu laeto,
Fidem rectam, bonum finem,
Ut ad mala non declinem.

37 in C wie in A, nur 2 Confer, virgo virginalis. — Str. 38 lautet in SUV:

Ave, dux integritatis,
Per te nostrae caecitatis
Nox ut dies serenetur,
Malum omne propulsetur.

41, 1 virgo lux post luctum C. — 41, 2 Iube, mater, hinc eductum C. — 41, 4 Christum A. — 42, 2 Iam occure (accurre) sicut soles UV. — 42, 3 Pietate te decenti UV. — 42, 4 Ad te mihi fugienti UV. — 44, 1 Ave, virgo, quae lactasti Z. — 45, 1 botrum verae vitis C. — 45, 3 und 4 umgestellt C. — 46, 1 Ave felix in ABUVZ. — 46, 3 Christiani orbis vera UV. —

46, 4 Luce nunquam occasura UV. — 47, 2 Regni consors et conviva UV. — 47, 4 Mihi tecum disumbenti UV. — Str. 48 und 49 lauten in SUV:

48. Ave, toga, qua velatur
Princeps, cuius admiratur
Sol cum luna venustatem,
Stellae stupent claritatem.

49. Ave, virgo, non de grege,
Tu in tuo gaude rege,
Gloriare iam secura,
Nunquam eo caritura.

Nach dem Schlusse des Psalters mit Str. III 50. fügt B noch die folgenden Strophen bei, die in andern Hss. zum Teile fehlen, zum Teile an andern Orten stehen:

Ave, virgo, fons de colle,
Imple magis et extolle,
Offer Deo precum tura
Mihi Deum placatura.

Ave, porta clausa viris,
Virgo splendes et vestiris
Luce sicut vestimento
Dansque lumen firmamento.

Ave, mater exquisita,
Virgo, cuius digna vita,
Terris vitae dans auctorem,
Caelis decus et splendorem.

Ave, virgo, flos camporum
Tu ad campos liliorum,
Ubi pascis cum dilecto,
Deduc calle me directo.

Ave, virgo, laus floreti,
Tibi pangunt caeli laeti,
Campi gaudent atque rura
Tuas laudes canitura.

Ave, virgo, summa legis,
Sedes alta summi regis,
In qua rerum gubernator,
Regum sedet imperator.

Ave, virgo summe bona,
Digna sceptris et corona,
Te regnante caelum plaudit,
Terra gaudet, cum hoc audit.

Ave, virgo digna laude,
O regina, semper gaude,
Te reginae, te cunctorum
Laudant ora populorum.

Ave, virgo, cuius stratum,
Nullo viro temeratum,
Christus natus illustravit
Nec te nascens reseravit.

Ave, gemma castitatis,
Virgo Dei civitatis,
Lumen, lucis fundamentum,
Esto laudis complementum.

Dann folgt von anderer Hand geschrieben die Strophe:

Ave, virgo, flos sanctorum,
Ex te fluit fons hortorum,
Riga regna orientis,
Paradisi nostrae mentis.

Hierauf fünf Strophen, die das Akrostichon „Maria“ bilden, dessen Buchstaben unmittelbar auf die Anrede „Ave virgo“ folgen. Einige wenige Fehler des Schreibers in diesen und den vorhergehenden Strophen sehe man bei Mone II, S. 250.

Ave, virgo, Mater pia,
Mundi salus, vitae via,
Miserere mei semper
Et tutamen da frequenter.

Ave, virgo, Rara multum,
Virgo clara, cuius vultum
Regum princeps requisivit
Et decorem concupivit.

Ave, virgo Alta, schema,
Nulla tam praeclara gemma
Inter omnes margaritas
In corona Dei sitas.

Ave, virgo Iusta, recta,
Tu decora et perfecta,
Natus tuus rex deorum
Et tu decus electorum.

Ave, virgo Alma nimis,
Duc in altum me ab imis,
Me pusillum et egentem
In te [omnem] spem habentem.

Dies Psalterium pflegt als das Psalterium minus des hl. Bonaventura bezeichnet zu werden und steht in seinen Werken (cfr. w. o.). Er wird als Autor genannt in P. Ich vermag weder die Richtigkeit noch die Unrichtigkeit dieser Angabe zu erweisen; es wird Aufgabe der Herausgeber der Werke des Heiligen sein, sich mit der Frage zu beschäftigen. Im allgemeinen ist festzustellen, dafs viele Gedichte, namentlich Iohn Peckhams, Bonaventura irrtümlich beigelegt worden sind, so u. a. die Philomena, das Ave, vivens hostia u. a. Auffallend ist auch, dafs in V unser Psalter sich unmittelbar an das Psalterium Iesu Anal. XXXV. Nr. III. anschliefst, dessen Verfasser, wie wir sahen, ein ungenannter Cisterciensermönch war.

TV haben übereinstimmend folgende Angabe, jenes vor, dieses nach dem Psalterium: „Sanctus Augustinus, auctor huius dictaminis, quod dicitur psalterium beatae Mariae, pollicetur cotidie ad laudem et honorem eiusdem virginis canentibus post consummationem vitae praesentis omni remota ambiguitate ianuam regni caelestis aperiri“ worauf T noch fortfährt: „quod nobis praestare dignetur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat etc.“ Vor dem Psalterium hat T die Bemerkung: „Incipit psalterium beati Augustini de beata virgine Maria, quod, sicut dicitur, Iohannes papa XXII. confirmavit et indulgentiis XXV annorum et 40 dierum ditavit.“

B beginnt: „Incipit prologus beati Augustini episcopi super psalterium beatae Mariae, virginis gloriosissimae.“ Promere obsequia genetricis Dei etc. zwei Strophen (vgl. Mone II, 248).

A hat den folgenden Prologus:

Te cum prole pia tua postulo, virgo Maria,
His ex corde quia te collaudare, Maria,
Hymnis glisco, dia, succurre, virgo Maria,
Cum stella maria sic praevenire, Maria,
Me tu dignare tua gratia, virgo Maria,
Ut te laudare valeam sic, virgo Maria,
Tecum regnare quod possim, virgo Maria,
Pro quo precare filium, praeclara Maria.

X schliefst mit der Angabe: „Explicit psalterium beatissimae virginis Mariae, editum per beatum Augustinum, doctorem egregium, ad laudem ipsius beatissimae virginis. In quo quaelibet distinctio correspondet per concordantiam sensus ailqualiter ordinatam cuilibet psalmo.“ Dies Psalterium findet sich ebenfalls in Cod. Lambacen. CLXXXVI. saec. 14. und nach einer Einsiedler-Hs. vom Jahre 1576 bei Morel, Nr. 172.

XIII. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, porta paradisi,
Lignum vitae, quod amisi,
Per te mihi iam dulcescit
Et salutis fructus crescit.

2. Ave, morum disciplina,
Vitae via, lux divina,
Iram Dei mitigasti,
Quando Iesum generasti.

3. Ave, virgo, cuius clamor
Nostri fuit pius amor,
Qui de monte exauditur,
Verbum carni cum unitur.

4. Ave, cuius refulgentem
Splendor patris fecit mentem,
De splendore vultus sui
Fac signentur servi tui.

5. Ave, templum sanctum Dei,
Ad quod currunt omnes rei,
Ut ab hoste liberentur,
A quo capti detinentur.

6. Ave, salus infirmorum,
Et solamen miserorum,
A furore nimis tristi
Nos defende, mater Christi.

7. Ave, cuius cor et renes
Scrutans Deus supra senes,
Te invenit mundo corde
Impollutam omni sorde.

8. Ave, cuius in filio
Nostra sit visitatio,
Cui decoro gloria
Pater subiecit omnia.

9. Ave, virgo, quae de portis
Nos exaltas dirae mortis,
Ut in portis Sion stemus
Teque digne collaudemus.

10. Ave, lucerna saeculi,
Beati cuius oculi
Respiciunt in pauperem
Ferendo opem celerem.

11. Ave, cuius eloquia
Ut argentum sonantia,
Igne cocta septemplici,
Plena sermonis mystici.

12. Ave, mater salutaris,
Cuius ortu gratularis,
Canta Deo, nato plaude,
De collatis bonis gaude.

13. Ave, Sion specularis,
Ex te datur salutaris,
Per quem redit liberatus
Homo quondam captivatus.

14. Ave, quae illic habitas,
Ubi pacis tranquillitas,
Iustorum tabernacula
Ingressa sine macula.

15. Ave, cuius pars in caelo
Calix crucis est de prelo
Tibi funes in praeclaris
Ceciderunt, stella maris.

16. Ave, virgo, lingua cuius
Verba vitae nescit huius,
Gnara laudes Dei fari
Igne sumpto de altari.

Dies Psalterium pflegt als das Psalterium minus des hl. Bonaventura bezeichnet zu werden und steht in seinen Werken (cfr. w. o.). Er wird als Autor genannt in P. Ich vermag weder die Richtigkeit noch die Unrichtigkeit dieser Angabe zu erweisen; es wird Aufgabe der Herausgeber der Werke des Heiligen sein, sich mit der Frage zu beschäftigen. Im allgemeinen ist festzustellen, dafs viele Gedichte, namentlich Iohn Peckhams, Bonaventura irrtümlich beigelegt worden sind, so u. a. die Philomena, das Ave, vivens hostia u. a. Auffallend ist auch, dafs in V unser Psalter sich unmittelbar an das Psalterium Iesu Anal. XXXV. Nr. III. anschliefst, dessen Verfasser, wie wir sahen, ein ungenannter Cisterciensermönch war.

TV haben übereinstimmend folgende Angabe, jenes vor, dieses nach dem Psalterium: „Sanctus Augustinus, auctor huius dictaminis, quod dicitur psalterium beatae Mariae, pollicetur cotidie ad laudem et honorem eiusdem virginis canentibus post consummationem vitae praesentis omni remota ambiguitate ianuam regni caelestis aperiri“ worauf T noch fortfährt: „quod nobis praestare dignetur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat etc.“ Vor dem Psalterium hat T die Bemerkung: „Incipit psalterium beati Augustini de beata virgine Maria, quod, sicut dicitur, Iohannes papa XXII. confirmavit et indulgentiis XXV annorum et 40 dierum ditavit.“

B beginnt: „Incipit prologus beati Augustini episcopi super psalterium beatae Mariae, virginis gloriosissimae.“ Promere obsequia genetricis Dei etc. zwei Strophen (vgl. Mone II, 248).

A hat den folgenden Prologus:

Te cum prole pia tua postulo, virgo Maria,
His ex corde quia te collaudare, Maria,
Hymnis glisco, dia, succurre, virgo Maria,
Cum stella maria sic praevenire, Maria,
Me tu dignare tua gratia, virgo Maria,
Ut te laudare valeam sic, virgo Maria,
Tecum regnare quod possim, virgo Maria,
Pro quo precare filium, praeclara Maria.

X schliefst mit der Angabe: „Explicit psalterium beatissimae virginis Mariae, editum per beatum Augustinum, doctorem egregium, ad laudem ipsius beatissimae virginis. In quo quaelibet distinctio correspondet per concordantiam sensus ailqualiter ordinatam cuilibet psalmo.“ Dies Psalterium findet sich ebenfalls in Cod. Lambacen. CLXXXVI. saec. 14. und nach einer Einsiedler-Hs. vom Jahre 1576 bei Morel, Nr. 172.

XIII. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, porta paradisi,
Lignum vitae, quod amisi,
Per te mihi iam dulcescit
Et salutis fructus crescit.

2. Ave, morum disciplina,
Vitae via, lux divina,
Iram Dei mitigasti,
Quando Iesum generasti.

3. Ave, virgo, cuius clamor
Nostri fuit pius amor,
Qui de monte exauditur,
Verbum carni cum unitur.

4. Ave, cuius refulgentem
Splendor patris fecit mentem,
De splendore vultus sui
Fac signentur servi tui.

5. Ave, templum sanctum Dei,
Ad quod currunt omnes rei,
Ut ab hoste liberentur,
A quo capti detinentur.

6. Ave, salus infirmorum,
Et solamen miserorum,
A furore nimis tristi
Nos defende, mater Christi.

7. Ave, cuius cor et renes
Scrutans Deus supra senes,
Te invenit mundo corde
Impollutam omni sorde.

8. Ave, cuius in filio
Nostra sit visitatio,
Cui decoro gloria
Pater subiecit omnia.

9. Ave, virgo, quae de portis
Nos exaltas dirae mortis,
Ut in portis Sion stemus
Teque digne collaudemus.

10. Ave, lucerna saeculi,
Beati cuius oculi
Respiciunt in pauperem
Ferendo opem celerem.

11. Ave, cuius eloquia
Ut argentum sonantia,
Igne cocta septemplici,
Plena sermonis mystici.

12. Ave, mater salutaris,
Cuius ortu gratularis,
Canta Deo, nato plaude,
De collatis bonis gaude.

13. Ave, Sion specularis,
Ex te datur salutaris,
Per quem redit liberatus
Homo quondam captivatus.

14. Ave, quae illic habitas,
Ubi pacis tranquillitas,
Iustorum tabernacula
Ingressa sine macula.

15. Ave, cuius pars in caelo
Calix crucis est de prelo
Tibi funes in praeclaris
Ceciderunt, stella maris.

16. Ave, virgo, lingua cuius
Verba vitae nescit huius,
Gnara laudes Dei fari
Igne sumpto de altari.

17. Ave, Deus quam ornavit,
Quando caelos inclinavit
Et descendit in te verbum
Debellandum ad superbum.

18. Ave, cuius ex intimo
Deus processit thalamo,
In sole tabernaculum
Fixit, qui regit saeculum.

19. Ave, cuius holocaustum
Pingue fuit atque gratum,
Soli Deo quae cantasti
Et in corde iubilasti.

20. Ave, totius criminis
Expers, plena dulcedinis,
A caelorum opifice
Coronata mirifice.

21. Ave, de cuius germine
Sine virili semine
Sicut vermis concipitur,
Per quem serpens conteritur.

22. Ave, virga rectissima,
Desolatis dulcissima,
Quae produxisti baculum
Ad sustentandum saeculum.

23. Ave, beata femina,
Virtutum caeli domina,
Per quam regem superbiae
Vicit Christus, rex gloriae.

24. Ave, virgo sanctissima,
Sincera cuius anima
Bonis terrae perfruitur,
In qua beate vivitur.

25. Ave, virgo pulchra tota,
Inter innocentes lota,
Digna Dei ad altare,
Quod est Christus, ministrare.

26. Ave, perfusa lumine
Tuoque digna nomine,
Nam quod Maria dicitur,
Stella maris exprimitur.

27. Ave, cuius confessio
Cordis fuit devotio,
Cuius caro tunc floruit,
Quando te, Christe, genuit.

28. Ave, quae voce organum,
Candore vincis Libanum,
Mater occisi vituli
Propter peccata populi.

29. Ave, quae nosti plangere
Pro impiorum scelere,
Cui planctus in gaudium
Conversus est per filium.

30. Ave, cui iam dulcescit,
Quod gustatum non decrescit,
Quae ab omni iam tumultu
In divino lates vultu.

31. Ave, cuius intellectum
Tunc instruxit ad perfectum
Verbum Dei, quando carnem
Ex te sumpsit non per carnem.

32. Ave, quam ante saeculum
Sibi in habitaculum
Providit Dei filius,
Per te mundo propitius.

33. Ave, virgo, quae gustasti,
Quam dulcescit, quem gestasti,
Te beatam spes effecit,
Quam tam sanctam Deus fecit.

34. Ave, mater castissima,
Beata cuius anima,
Dum exsultat in filio,
Delectatur in gaudio.

35. Ave, domus ubertatis,
De torrente voluptatis
Te fons vitae iam potavit
Et repletam satiavit.

36. Ave, virgo, semen cuius
Nunquam panem vitae huius
Quaerens fuit nec relictum,
Sed a Deo benedictum.

37. Ave, quam desiderium
Bonorum replet omnium,
Cuius et sanctus gemitus
Deo non est absconditus.

38. Ave, cuius substantia
Apud Deum in gloria,
Cuius et exspectatio
Deus fuit in filio.

39. Ave, mater cum filio,
Qui patri dixit: venio,
Postquam holocaustomata
Cessaverunt et sabbata.

40. Ave, virgo, per gratiam
Quam propter innocentiam
Caeli suscepit curia
Ex hac mundi miseria.

41. Ave, virgo, quae sitisti
Fontem vivum et bibisti,
Iam appares ante vultum,
Quem videre nunquam multum.

42. Ave, lucis verae mater,
Quam emisit Deus pater,
Ipse semper te deduxit
Et ad montem sanctum duxit.

43. Ave, per quam salus datur,
Per quam hostis triumphatur,
Pe te Deum collaudamus,
Per te nullum formidamus.

44. Ave, regina nobilis,
Casta simul et humilis,
Astans a dextris filio
Vestitu pulchra vario.

45. Ave, sancta virginitas,
Regis aeterni civitas,
Quam fons vivus laetificat,
Altissimus sanctificat.

46. Ave, quam suo munere
Christus instruxit psallere
Ore, corde, operibus
Sapienter prae omnibus.

47. Ave, templum iustitiae,
Mater misericordiae,
Qua pauperum suspiria
Promerentur remedia.

48. Ave, cuius locutio
Et cordis meditatio
Summam docet prudentiam
Patrisque sapientiam.

49. Ave, quae laudis hostiam
Deo reddis et gloriam,
Tu iter, quo qui graditur,
Illi Iesus ostenditur.

50. Ave, cuius sunt labia
Super favum praedulcia,
Quae salvator aperuit
Et laudare se docuit.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, virgo puerpera
Et oliva fructifera,
Vasis misericordiae
Rorem profundens gratiae.

2. Ave, per quam bonus unus
Pietatis dedit munus
His, qui bona non fecerunt,
Qui peccantes erraverunt.

3. Ave, quae voluntariam
Deo dedisti hostiam,
Confessa nomen Domini,
In quo salus est homini.

4. Ave, simplex ut columba,
Quae de mortis huius tumba
Sumptis pennis evolasti
Ad quietem, quam amasti.

5. Ave, cuius sanctissimam
De morte Deus animam
In aeternum eripuit
Et in caelis constituit.

6. Ave, mater egregia,
Spes sanctorum et gloria,
Cuius partus de tumulo
Resurrexit diluculo.

7. Ave, cuius justitia
Floret in caeli curia,
In extremo laetaberis,
Quando vindictam videris.

8. Ave, cuius in occursum
Vitae huius post decursum
Christus gaudens exsurrexit,
Quia mundam te conspexit.

9. Ave, per cuius filium
Plagae sanantur cordium,
Quorum facta contritio
Dei constat iudicio.

10. Ave, cuius in saecula
Sunt regis tabernacula
Quieta commoratio,
Felix sanctorum mansio.

11. Ave, cuius filius est,
Per quem Deus locutus est,
In qua carne se induit
Verbum, quod Deus genuit.

12. Ave, cuius mens iugiter,
Caro quam multipliciter
Sitivit in te vigilans,
Ad te, Deus, et iubilans.

13. Ave, virgo puerpera,
Quae mira Dei opera
In te facta christicolis
Nuntiasti apostolis.

14. Ave, virgo, spes sanctorum,
Saepta choris angelorum,
Te assumptam super caelos
Dulcis decet hymni melos.

15. Ave, virgo, quam probavit
Igne Deus et purgavit,
Ut argentum splenduisti,
Quando Deum genuisti.

16. Ave, terra ferens fructum,
Qui detersit Evae luctum,
Quam qui pie confitentur,
Vultu Dei perfruentur.

17. Ave, de qua mons montium
Sine manu caedentium,
Primo lapis, mons postea
In mundi crevit area.

18. Ave, virgo, cuius natus
A Iudaeis est potatus
Felle simul et aceto,
Te vidente datus leto.

19. Ave, pauper et egena,
Gratiarum vere plena,
Est adiutor cuius Deus,
Quo salvatur homo reus.

20. Ave, quam Deus aluit,
Quam verbum patris docuit,
Ut eius mirabilia
Pronuntiares omnia.

21. Ave, perfusa gratia,
Ut solet vellus pluvia,
Cuius exuberantia
Mundi replevit spatia.

22. Ave, quae nihil perperam
Gessisti, cuius dexteram
Christo tenente pervia
Caeli tibi sunt atria.

23. Ave, qua mortis vincula
Solvit rex ante saecula,
Salutem operatus est
Nostram, cum de te natus est.

24. Ave, prima columnarum,
Orbem portant quae terrarum,
Cornu frangens sublimium
Et exaltans humilium.

25. Ave, cui locus pacis
Dat quietem, fac, quod facis,
Ora pro his, quos impugnat
Caro, menti quae repugnat.

26. Ave, virgo, quae cogitas,
Quae sit dici quantitas,
Cuius finis nullus erit,
Ubi prorsus nihil perit.

27. Ave, manna candidior.
De qua fit melle dulcior
Panis, quo caeli curia
Vivit sed et ecclesia.

28. Ave, pro cuius filio
Facta fuit effusio
Cruoris innocentium
Furore persequentium.

29. Ave, in qua per gratiam
Excitavit potentiam
Deus noster adveniens
Per te nos salvos faciens.

30. Ave, pulchra sicut luna,
Per te nobis dies una
Vere fiet tunc sollennis,
Cum fulgebit sol perennis.

31. Ave, per quam sunt filii
Excelsi omnes et dii,
Quotquot terunt humilia
Salvatoris vestigia.

32. Ave, caelorum domina,
Principum victrix femina,
Fuga catervas hostium
Pacem nostram turbantium.

33. Ave, prima feminarum,
Quae de valle lacrimarum
Ad locum, quem possedisti,
Per virtutes ascendisti.

34. Ave, in qua iustitia,
Pax et misericordia
Veritasque conveniunt,
Foedus amoris ineunt.

35. Ave, ancilla Domini,
Prius servi, nunc domini
Per tuum sumus filium,
Regale sacerdotium.

36. Ave, in qua homo natus,
Qui te fecit, in te factus,
Qui scripturas inspiravit,
Hoc futurum enarravit.

37. Ave, quae cum discipulo
Sola crucis patibulo
Astitisti, cum tremerent
Noti omnes et fugerent.

38. Ave, virgo Davidicae
Stirpis et mater unicae
Prolis, quam patris unctio
Sacravit a principio.

39. Ave, super quam splenduit
Splendor, quem pater genuit,
Tua sugebat ubera
Et dirigebat opera.

40. Ave, cuius munditia
Angelorum custodia
Conservata non timuit
Nec inquinari valuit.

41. Ave, Dei mater alma,
Floruisti sicut palma
Utque cedrus excrevisti,
Quando Christum genuisti.

43. Ave, domus clausa viro,
Deo patens modo miro,
Te dierum longitudo
Decet atque sanctitudo.

43. Ave, quam eruditio
Divinae legis filio
Commendavit prae omnibus
Beatam mulieribus.

44. Ave, cuius exsultantis
Et in psalmis iubilantis
Vocem Deus exaudivit,
Carnem sibi dum univit.

45. Ave, diem quae ex die
Peperisti nostro die,
Per quem nobis nuntiatum
Salutare Dei natum.

46. Ave, virgo, caeli porta,
De qua vera lux est orta,
Per quam lapsi reparantur,
Recti corde gloriantur.

47. Ave, per quam revelatur
Vera salus et donatur,
Tam Iudaeus quam gentilis,
Ut uterque sit fidelis.

48. Ave, virgo, mater sancta,
Tu scabellum Dei facta
Pedes eius sustentasti,
Quem adorans invocasti.

49. Ave, ovis centesima,
Quam pastoris piissima
Manus revexit superis
Ad ovile cum ceteris.

50. Ave, sub cuius domate
Nemo superbo schemate
Habitavit ut zabulus
Vel cuius nequam oculus.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, mater credentium,
Quae non spernis fidelium
Preces, sed pie respicis
Dolorum vinctos pedicis.

2. Ave, per quam felicius
Renovamur interius
Quam aquila ieiunio
Longo languens vel senio.

3. Ave, decus convallium,
Quam inter alta montium
Fons rigat sapientiae,
Fructus cibat iustitiae.

4. Ave, nubes, quam ascendit,
In Aegyptum qui descendit,
Deus in te carnem sumens,
De tenebris nos assumens.

5. Ave, per quam visitavit
Nos redemptor et servavit
Ad videndum, quae sunt bona
Electorumque corona.

6. Ave, simplex et sapiens,
Universa custodiens,
Quae de Dei iustitia
Sunt vel misericordia.

7. Ave, cuius cor paratum
Deo fuit et mundatum
Gloriose tu psallebas,
Mentem voci quae iungebas.

8. Ave, per cuius filium,
Pro nobis in opprobrium
Datum Iudaeis, solvitur,
Quod a mundo delinquitur.

9. Ave, virga iustitiae,
Virtutis et potentiae,
Quae protulisti gaudium,
Salutem, pacem gentium.

10. Ave, beata nuntio,
Quo fit nostra redemptio,
Cuius nomen terribile
Malis, sanctis amabile.

11. Ave, regina celebris,
De qua lumen in tenebris
Exortum parit gaudium
In domibus fidelium.

12. Ave, cuius virginitas
Christo fit grata civitas,
Dum altus in caelestibus
Quiescit in humilibus.

13. Ave, mater Emmanuel,
Qui benedixit Israel
Atque Deum timentibus,
Pusillis cum maioribus.

14. Ave, cuius oratio
Nostra est sublevatio,
Quos in isto exsilio
Gravis vexat afflictio.

15. Ave, felix per saecula
Quae peccatorum vincula
Rumpis, ut Deo animae
Nostrae sint laudis victimae

16. Ave, per quam collaudatur
Et in nobis confirmatur
Dei misericordia
Data peccati venia.

17. Ave, misericordiae
Mater, cui iustitiae
Portas natus aperuit,
Qui de te nasci voluit.

18. Ave, quae sine macula
Virgo manes in saecula,
Limes legis et gratiae,
Summae parens iustitiae.

19. Ave, quae de incolatu
Mundi huius et reatu
Ad quietem ascendisti,
Cuius pax est vultus Christi.

20. Ave, cuius auxilium
Deus, creator omnium,
Fac, per te non obdormiat
Nobis nosque custodiat.

21. Ave, virgo, quam laetantem
Et in domo Dei stantem
Cum magna reverentia
Circumdat caeli curia.

22. Ave, mater, quam tuorum
Fletus movet filiorum
Qui pauperes in omnibus
Probris sunt abundantibus.

23. Ave, sancta, quae torrentem
Vitae huius defluentem
Superans per venantium
Rete trahis ad bravium.

24. Ave, virgo quam non movit,
Quidquid praesens vita novit,
In amore supernorum
Semper fixa gaudiorum.

25. Ave, quae iam manipulos
Ante divinos oculos
Portas, metis hilariter,
Quae sparsisti humiliter.

26. Ave, cuius hereditas
Sanctorum est felicitas,
Quam dormiens in Domino
Possides sine termino.

27. Ave, virgo benedicta,
Congruenter Sion dicta,
Deum namque specularis,
Quo fruendo gratularis.

28. Ave, virgo speciosa,
Humilis, non cervicosa,
Cuius labore messio
Caret simul et taedio.

29. Ave, mater sanctae spei,
Quae intenta verbo Dei
Redemptorem sustinebas,
Quem veturum praesciebas.

30. Ave, cuius cor beatum
Nunquam fuit exaltatum,
Magna parvam te putasti
Nec in magnis ambulasti.

31. Ave, clemens, dulcis, pia,
Quod praedixit prophetia,
Super sedem patris sui
Sedet fructus ventris tui.

32. Ave, plena bonitate
Et fraterna caritate,
Ut unguento te perfudit,
Qui in Hermon rorem fudit.

33. Ave, domus electorum,
In qua sancta sunt sanctorum,
Ad quam manus extollentes
Laudant Deum omnes gentes.

34. Ave, de qua rex prodiit,
Qui Pharaonem feriit,
Suos salvans ab hostibus,
Quos involvit in fluctibus.

35. Ave, Christum quae lactasti,
Cuius carne nos cibasti,
Qui ut Deus adoratur,
Te ut matrem veneratur.

36. Ave, cuius laetitia
Dulcis fuit memoria
Civitatis egregiae
Atque supernae patriae.

37. Ave, cuius confessio
Et psallendi devotio
Deo grata et omnibus
Angelicis spiritibus.

38. Ave, de qua lux effulsit,
Quae pastores circumfulsit,
Cuius nox in deliciis
Lucis referta gaudiis.

39. Ave, super caput cuius
Obumbravit virtus huius,
Qui de mundo nos salvavit
Et malignum triumphavit.

40. Ave, cuius oratio
Manuumque levatio
Ante Deum dirigitur
Ut incensum, cum uritur.

41. Ave, cuius precatio
Hoc flagitat, ut portio
Ad Deum suspirantium
Sit in terra viventium.

42. Ave, quam sanctus spiritus
Replevit missus caelitus
Cuius et sanctam animam
Ad terram duxit optimam.

43. Ave, quae novum canticum
Atque melos angelicum
Cantas in aula regia
Freta sanctorum gloria.

44. Ave, cuius memoria,
Suavitatis gratia
Plena redundat iugiter
Et exsultat feliciter.

45. Ave, quae laudas Dominum
Angelorum et hominum,
Qui stantes sanctos dirigit,
Elisos rursum erigit.

46. Ave, mater, stella maris,
Quae Maria nominaris,
Cuius luci ceterarum
Nulla par est lux stellarum.

47. Ave, terra, quae frumentum
Produxisti, nutrimentum
Animarum, quas pinguedo
Huius replet et dulcedo.

48. Ave, mater redemptoris
Et aeterni creatoris,
Quam terra, pontus, aethera
Caelique laudant sidera.

49. Ave, mater, ave fili,
Qui gaudetis in cubili
Summae pacis in gloria
Sanctorumque frequentia.

50. Ave, fili, salve mater,
Salve, summe Deus pater,
Quem sanctorum exercitus
Omnisque laudat spiritus.

Cod. Graecen. 1550. saec. 12. A. — Cod. Sangallen. 469. saec. 13. B. — Cod. Londinen. Titus A XXI. saec. 13. C. — Psalt. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Barcinonen. 1 V 8. D. — Psalt. et Offic. BMV. saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Mutinen. XII F 10. E. — Cod. Bruxellen. 9961—2 saec. 14. F. — Cod. Laudunen. 263. saec 12 add. saec. 14. G. — Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Gratianopolitan. 181. H. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 917. I. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. K. — Cod. Vatican. 4578. saec. 15. L. — Orat. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Cod. Augustan. s. n. M. — Cod. Paulanus Sanbl. memb. 25. saec. 15. N. — Orat ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. O. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. P. — Passion. ms. Lirense saec. 12. Cod. Ebroicen. 96. Q.

1, 2, 1 Vita B. — 3, 2 Noster prius fuit K. — 4, 3 vultus tui Q. — 5, 4 Modo capti N. — 6, 2 Tu solamen K. — 6, 3 valde tristi K. — 7, 2 senex B. — 7, 3 Quem invenit K. — 8, 3 decora B, decor et K. — 9, 3 in portu Q; in porta K. — 11, 2 Sunt argentum N. — Mit 11, 4 bricht Q ab. — 12, 1 salvatoris

AB. — 12, 3 Christo plaude B. — 15, 1 de caelo K. — 15, 2 Calix est de crucis K. — 16, 3 Gnara fehlt B. — 17, 4 Ad debellandum K. — Str. 18 und 19 umgestellt K. — 18, 1 de cuius intimo B. — 19, 2 fuit et est gratum K. — 20, 3 Iam caelorum B, Et caelorum K. — 21, 1 de fehlt K. — 22, 1 virgo K. — 22, 2 Stirpis Iesse sanctissima K. — 22, 3 Tu produxisti K. — 22, 4 populum B. — 23, 4 Vincit B. — 24, 1 castissima K. — 24, 2 Beata cuius B. — 25, 4 Quae est Christum K. — 27, 2 Et cordis B. — 27, 3 tam floruit B, refloruit K. — 27, 4 Quando, Deus, te genuit K. — 28, 2 vincis lilium N, gegen den Reim. — 30, 2 Gustatum quod K. — 30, 4 lates cultu K. — 31, 3 Quando verbum Dei carnem K. — 31, 4 non per carnem te corrumpit B. — 34, 2 Sincera cuius B; die ganze Str. lautet in K:

Ave, nostra miseratrix,
Tu salutis operatrix,
Tu Ezechielis porta,
Ex te Iacob stella orta.

35, 1 Ave, mater B. — 38, 3 Eius et A; Quae coniuncta nunc eidem K. — 38, 4 Es regina facta pridem K. — 41, 2 quem bibisti K. — 41, 3 Regi regum te fecisti K. — 41, 4 Quem videre sitis multum N; Thalamum, dum credidisti K. — 42, 3 semper fehlt B; adduxit B; dilexit K. — 43, 4 Per te nomen invocamus K. — 44, 2 Casta, prudens et K. — 44, 3 A dextris astans K. — 44, 4 pulchro K. — 45, 2 Aeterni regis K. — 45, 3 vivus fons K. — Str. 48 fehlt A. — 48, 3 decet K. — 49, 2 et gratiam A, in gratiam K. — 49, 3 qui fehlt K; greditur A. — 49, 4 Illic K.

II. Alle Strophen dieser Quinquagene beginnt N mit Salve. — 1, 3 Tu vas K, Vas es N. — 1, 4 perfundens K. — 2, 4 Et peccantes K. — 3, 4 est fehlt K. — 4, 3 advolasti K. — 4, 4 Ad requiem, quam B. — Str. 5 lautet in K:

Ave, praeclara omnibus
Angelicis virtutibus,
Cuius fuit assumptio
Nostra glorificatio.

6, 3 Cuius natus A. — 7, 2 caelis B. — 7, 3 sq. Qui mortem crucis sustinens, Deo patri oboediens K. — 8, 4 Te matrem gaudens conspexit K. — 10, 4 sanctorum natio K. — 11, 3 Cuius carne B. — 11, 4 quod pater K; Dei quod B. — 12, 4 Semperque Deo N. — 13, 1 Ave, cuius puerpera B, virgo et sincera K. — 14, 1 Ave, mater K; die ganze Strophe lautet in B:

Ave, sponsa salvatoris,
Magistra perfectionis,
Tu me doce te laudare
Et de laudibus te amare.

15, 2 Agne, Deus K. — 16, 3 Quod qui B; Confitetur K. — 16, 4 promeretur K. — 17, 4 crescens K; Mundi crevit in area B. — 18, 1 Ave, mater K. — 18, 2 est cibatus B. — 18, 4 sumens leto K, potu leto N. — 19, 1 sancta et amoena K. — 19, 2 mire plena K. — 19, 3 tuus Deus A; Fac nos ferre nati crucem K. — 19, 4 Eum sequi vitae ducem K. — 22, 4 Tua sunt caeli atria K. — 23, 1 quam AB, quae K. — 23, 3 Est salutem operatus K. — 23, 4 De te matre cum est natus K. — 24, 2 portansque K. — 24, 4 Exaltans et K. — 25, 1 cuius K. — 25, 4 quae menti B. — 26, 2 Dei quantitas N. — 26, 4 nihil prorsus N; quaerit B; die ganze Strophe lautet in K:

Ave, cuius conceptio,
Sollenni plena gaudio,
Caelestia, terrestria
Nova replet laetitia.

27, 3 quo in ecclesia A, de quo ecclesia K. — 27, 4 Vivit et caeli curia A, in caeli curia K, nec non ecclesia N. — 28, 1 cuius pro B. — 28, 3 Sanguinis K. — 29, 1 in qua potentiam K. — 29, 2 per gratiam K. — 30, 1 plus quam luna K. — 30, 3 Est et erit tunc K. — 31, 2 Omnes excelsi ut dii K. — 31, 3 Quotquot erunt BK, terunt vestigia N. — 31, 4 humilia N. — 32, 3 catervas daemonum B, gegen den Reim. — 33, 1 Ave sancta et sanctarum K. — 33, 2

in valle K. — 33, 3 sq. Inter spinas flos fuisti, Dum ancillam te dixisti K. — 34, 3 Veritas qua B. — 35, 3 Per cuius sumus ABN. — Str. 37 lautet in K:

Ave, sancta humilitas,
Sine viro fecunditas,
Cuius annuntiatio
Nostra fuit redemptio.

38, 3 matris B. — 39, 4 Ut adimpleret opera K. — 41, 2 Quae floruisti ut K. — 41, 3 Ut quod cedrus B; Sicut cedrus K. — 41, 4 Quando Deum K. — 42, 1 Ave, virgo, nupta viro K. — 43, 2 Mater Dei modo K. — 43, 3 sanctitudo B. — 43, 4 longitudo B. — 43, 4 Beata in B, Sancta mulieribus K. — 44, 4 cum K. — 45, 1 diem quam B, dies quae KN. — 45, 2 nostrum diem K. — 46, 1 Ave, felix caeli K. — 46, 2 Ex qua mundo lux K. — 46, 3 Per te lapsi K. — 46, 4 Et humiles sublimantur B. — 48, 3 osculasti K. — 49, 1 Ave cuius centesima B. — 50, 1 dogmate K. — 50, 2 Nostro superbo K, sceumate A. — 50, 3 Habitabit aurabulus B; Confovendus suscipitur N. — 50, 4 Aut cuius K; Nec qui iniqua loquitur N.

III. Alle Strophen beginnen mit Gaude N. — 1, 4 peditis N. — 2, 2 Reformamur K; Renovavit N. — 2, 3 Ut aquila N; Ut aeternae candor lucis K. — 2, 4 ut senio B; Quem in orbem, virgo, ducis K. — 3, 4 Fructus alat K. — 4, 3 sq. Virtute sacer impetus Ne fluctuaret animus K. — 5, 2 sanavit K. — Nach Str. 5 hat K: Ave, quae cum discipulo etc., cfr. Str. 37. — 6, 2 Universos K. — 6, 3 sq. lauten in K:

Quos per crucis mysterium
Redemit pater omnium.

7, 3 tunc psallebas K. — 7, 4 cum iungebras K. — 9, 1 mater iustitiae K. — 9, 2 et patientiae K. — 9, 3 protulisti baculum A. — 9, 4 Ad sustentandum populum A. — 10, 2 Qua fit A; De quo nostra redemptio K. — 10, 3 sq. lauten in K:

Se ipsum exinaniens,
Pro nobis mortem sustinens.

11, 1 regina nobilis K. — 12, 1 cuius humilitas B, sublimitas N; die ganze Strophe lautet in K:

Ave, cuius nativitas
Nostra fuit sollennitas,
Ut lucifer lux oriens,
Verum solem praeveniens.

14, 2 Est nostra B. — 14, 4 vexat auxilio B. — 17, 4 Qui nobis nasci K. — Str. 19 lautet in K:

Ave, quae de incolatu
Mundi huius et ploratu
Ad locum, quem posuisti,
Per virtutem ascendisti.

Str. 18 steht an Stelle von 21 K. — 22, 4 Probro K, Probo B. — 23, 2 Tute huius N. — 27, 1 mater K. — 27, 2 virgo dicta K. — 28, 2 non criminosa B, non aerumnosa N; Mater valde generosa K. — 28, 4 Simul caret K. — 29, 2 nomen Dei K. — 30, 3 Magna parva reputasti K. — 32, 2 Et superna K. — 32, 3 sq. lauten in K:

Hoc unguento te perfudit,
Deus in te rorem fudit.

32, 4 fehlt A. — 33, 2 In qua sunt sancta B, In qua sanctus et (!) sanctorum K. — 33, 3 extendentes K. — 35, 1 Deum quae K, quem lactasti B. — 35, 3 ut Deum B; dieser und der folgende Vers: De cruce dum deponitur, Sepulcro per te traditur K. — Str. 36 lautet in K:

Ave, dulce commercium,
Tuum caeleste gremium
Hodiernae lux diei,
Domus fuit requiei.

Str. 37 fehlt K. — 38, 4 referta gladiis K. — 39, 1 Ave, virgo, supra cuius B. — 39, 2 virtus eius B. — 39, 3 de malo K. — 39, 4 maligna K. — 40, 2 Manuum elevatio K; Nostra est sublevatio B. — 40, 4 Ut cum incensum K. — Str. 41 lautet in K:

Ave, nobis gratiosa,
Impertire, gloriosa,
Electorum portionem,
Sanctorum communionem.

Vor Str. 42 Ave, cuius laetitia etc. AK, cfr. oben Str. 36. — 43, 3 Cantans AN, Audis in K. — 45, 4 sursum K. — 47, 1 Ave, recta, quae N, terra ferens fructum B. — 47, 2 — Protulisti N. — 48, 4 Caeli collaudant K. — Str. 49 und 50 lauten in K:

49. Ave, fili, salve, mater,
Iesu summe, Deus pater,
Qui gaudetis in gloria
Sanctorumque frequentia.

50. Ave, mater, salve fili
Exsultantes in cubili,
Quos sanctorum exercitus,
Collaudat omnis spiritus.

Eine Reihe anderer Lesarten vgl. man bei Mone II, 242 ff., der diesen Psalter teils aus einigen der vorstehenden, teils aus anderen Hss. ediert hat. K. schreibt das Psalterium dem hl. Hieronymus zu: Incipit prologus sancti Ieronymi presbyteri et cardinalis super Psalterium B.M.V. (fol. III b); explicit psalterium sancti Ieronymi ad B.V.M. (fol. 114 a). Dieser Prologus lautet:

Psalterium dici decet hoc Christi genetrici
Ter quinquagenis rhythmis prece laudeque plenis;
Hoc sacra laudatur virgo, laudansque precatur
Cernere virtutum se matrem carne solutum.
Hoc ego spe fretus te laudans invoco laetus
Per Gabrielis Ave, quod erat tibi, virgo, suave.

Statt dieses Prologus setzen BNQ: Suscipe, regina caeli etc. Am Schlusse des Psalters fügen DN bei:

Virgo, David regis proles,
Has decantans tibi laudes,
Immo salutationes
Peccatorum ponat [tolle N] sordes.
Centum quinquaginta Ave,
Virgo beata, suscipe,
Quae de psalmis defloravi,
Tibi, mater, assignavi,
Pro his retributionem
Quaero, sed non temporalem;
Quinquaginta ad veniam,
Omnes [Centum N] spectant ad gloriam,
Quae [Quod N] nobis Christi gratia
Praestet matris prece pia.

Zeile 11 fehlt N, Zeile 12 steht vor Zeile 9 N. — Dies Psalterium findet sich gleichfalls in einem Gebetbuche französischer Herkunft des 15. Jahrh. königl. Bibl. im Haag Cod. X 7 und einem anderen gleichfalls französischen Gebetbuche des 15. Jahrh. ebendaselbst Cod. AA 175. Es findet sich dies Psalterium auch in Cod. Veronen. 750. saec. XV. und beginnt dort mit einer Einleitung, deren erste Verse lauten: O regina caelestium Unica spes humilium etc. Eine beachtenswertere Autorenangabe als K. bietet die Hs. Q., deren Text leider nur die zehn ersten Strophen der ersten Quinquagena umfasst. Es schreibt nämlich: Psalterium sanctae Mariae a quodam religioso Pontiniacensis ecclesiae monacho rhythmice [compositum]. Vgl. Catal. général des Mss. des bibliothèques de France II, 449.

XIV. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, virgo virginum,
ave, via morum,
Edidisti filium,
vitam mortuorum,
Qui non in consilium
abiit impiorum,
Is per te subsidium
conferat beatorum.

2. Ave, filii filia,
ave, verbi cella,
Contra quem gens impia
fremit movens bella,
Per te saecli maria
vincit maris stella,
Corde et in anima
quae sunt ut procella.

3. Ave, mea domina,
ave, mea salus,
Reprime daemonia,
absit omnis malus,
Tu sis in memoria
mea, ne sim vanus,
Quae es mea gloria,
fac, ut fiam sanus.

4. Ave, quia mundana
et vana non quaeris,
Confer mihi humana,
in quibus laeteris,
Virtutum insignia,
redimita veris,
Quibus vitae praemia
capiam in caelis.

5. Ave, verbi vernula,
audi et clamorem,
Tu de cordis cellula
eice tumorem,
Fiat uti tremula
per Dei timorem
Et virtutum aemula
Ad eius amorem.

6. Ave, et me iudicis
eripe ab ira.
Exue me de lubricis
factis et a spina,
Dans tormenta sulphuris,
ut non merear dira,
Sed sim semper, ubi sis
suavitate mira.

7. Ave, candor lilii,
quae non denigratur,
Pudoris virginei
quo res figuratur,
Placa nobis filium,
ense qui vibratur,
Dans opem auxilii,
quo non timeatur.

8. Ave, cui Gabriel
ait: sine viro
Paries Emmanuel,
sed et modo miro
Pasces Deum Israel
melle et butiro.
Deme de me doli fel,
quidquid [hic deliro].

9. Ave, exsultatio
mea laetabunda,
Tua veneratio
mihi sit iucunda,
Mea desolatio
exstat gemebuuda,
Nostra gubernatio,
fac tu corda munda.

10. Ave, et miseriis
nostris condescende
Neque desideriis
animae intende,
Sed sic exercitiis
spiritum incende,
Ne vacet deliciis
carnis nutriendae.

11. Ave, cuius uterus
sanctum fuit templum,
De quo prodit filius,
qui dat documentum,
Quo nihil est verius,
condens testamentum,
Unde fit celerius
pacis incrementum.

12. Ave, quae inopiam
pauperum solaris,
Castitatis copiam
da, qua delectaris,
Intrans ad memoriam,
ubi affectaris,
Elimando scoriam
vitii mortalis.

13. Ave, in deliciis
retinens decorem,
Traice in intimis
luminis splendorem,
Carnalem ab infimis
retrahens amorem,
Dans, Dei dulcedinis
sentiam saporem.

14. Ave, ad quam caelitus
øculos reflexit,
Quando terram Dominus
miserans respexit
Atque vana hominis
studia correxit,
Qui se, quam inutilis
sit, non intellexit.

15. Ave, tabernacula
manens in caelorum,
Intrem sine macula
atria eorum
Per te neque iacula
timeam malorum,
Nec ignita facula
urat vitiorum.

16. Ave, qua exuitur
homo vetustatis,
Tu es, qua diluitur
faex impuritatis,
Per te reinduitur
homo novitatis,
Cui restituitur
pars hereditatis.

17. Ave, virgo regia,
mentes amans puras,
Cura, o egregia,
Evae imposturas,
Fer nobis remedia
contra saecli curas,
Confirmans vestigia
super vias duras.

18. Ave, supercilium
spernens superborum,
Contuens humilium
et suppeditorum
Impetus gemituum,
para mentes horum,
Memores caelestium
ut sint gaudiorum.

19. Ave, fortitudinis
meae firmamentum,
Tu invalitudinis
nam das adiumentum,
Animae tu candidum
praebes indumentum,
Infers caelo luteum
hominis figmentum.

20. Ave, quam excoluit
spiritus sancti donum,
Sol in sole posuit
Deus in te thronum,
Trinitas te voluit
suam esse domum,
Per quam suum vomuit
Leviathan dolum.

21. Ave, cuius penetrant
preces aurem Dei,
Nam, quae petunt, impetrant
sentiuntque rei,
Hae sunt sacrificium
Christi faciei,
Holocaustum pinguium
anni iubilaei.

22. Ave, a qua petimus,
ut vita donetur,
Dele, quae nos fecimus,
mala, ut letetur
In te noster spiritus
atque iucundetur
Cor meum interius,
ut culpa deletur.

23. Ave, de qua prodiit
ut de terra vermis,
Qui in cruce doluit
potatus acerbis,
Cum ut homo obiit
sit liber avernis
A poenis, innotuit
post tres dies servis.

24. Ave, o egregia
caelorum regina,
Regna, rege intima,
ne vergant ad ima,
Iuva nos per pascua
regulae opima,
Purgans cordis intima,
tollens vetus zyma.

25. Ave, super maria
bene stabilita,
A te nam in anima
non sunt concupita,
Porta sed avernica
fracta est ignita,
Cum natura deica
tuae est unita.

26. Ave, tibi dicimus,
lumen aulae Dei,
Post te cor dirigimus,
sedes requiei,
En, ad te confugimus
nos, qui sumus rei,
Ancoramque figimus
in te nostrae spei.

27. Ave, innocentia
per quam conservatur,
Per te castimonia
laesa reparatur,
Longa continentia
sic recompensatur,
Ut renum lascivia
cordisque uratur.

28. Ave, lumen luminis,
salus de salute,
Conserva me numinis,
mater, in virtute
Ut de malo murmuris
non sit mihi curae,
Sed vis sacri flaminis
regat me secure.

29. Ave, a qua fragilis
mea caro floret,
Castitas amabilis
cordibus irroret,
Et, ut sit domabilis
mens, tua imploret
Gratia placabilis
natum et exoret.

30. Ave, quam excoluit
ars spiritualis,
Quando Deus voluit
fieri carnalis,
Caelitus intonuit
tunc rex maiestatis,
Gabrielis sonuit
ave caritatis.

31. Ave, in qua texuit
Deus suum saccum,
In quo dum compescuit
Adae forefactum,
Iudaeus innexuit
cruci, sed post fractum
Infernum resplenduit
per verbum intactum.

32. Ave, et accelera,
ut ab hoste tutes,
Qui te amant tenera
mente, virgo, iuves,
Cordis sanes vulnera
animaeque, cures,
Auferant ne supera
animarum fures.

33. Ave, nam peccamina
per te conteguntur,
Licet sint immania,
si non absconduntur,
Sed quaecunque tacita
fuerint, prodentur,
Cum ad ictum oculi
facta exigentur.

34. Ave, verbo Domini
cuius praeparatur
Uterus, cum homini
ipsum adunatur,
Is nam vitae solii
ut caelum firmatur,
Virtute altissimi
cum sic obumbratur.

35. Ave, quae suavia
gustasti de Deo
Et sperans magnalia
fieri de eo,
Tibi credit famina
nuntii de caelo,
Spondenti similia
homine de reo.

36. Ave, propugnacula
hostis quae expugnas,
Toxicata iacula
cuius cum impugnas,
Qui sunt sine macula,
ab his non elongas,
Sed quaevis obstacula
noxia pessumdas.

37. Ave, quae superbiae
pedem amputabis,
Typum arrogantiae
procul exsufflabis
Et furnum iactantiae
post exterminabis,
Cum vires nequitiae
superare dabis.

38. Ave, sapientia
cuius meditatur,
Cuius et clementia
lingua iudicatur,
Vera innocentia
ut restituatur,
Nobis, Dei famula,
per te conferatur.

39. Ave, quae deliciis
caeli delectaris
Et in amicitiis
sponsi commoraris,
Mel tuae dulcedinis
nobis instillabis,
A tuis famelicis
uti capiaris.

40. Ave, cui suspiria
non sunt occultata
Atque desideria
nostra reservata,
Fiant ministeria
nostra tibi grata
Et sit a miseria
nostra sors oblata.

41. Ave, quae custodiam
ori posuisti,
Cum nec ad angelicum
ave respondisti,
A nece peccaminum
redime me tristi,
Ducens ad palatium
gaudiorum Christi.

42. Ave, sacrificium
quae mactasti sacrum
Et Deo pectusculum
praeparasti gratum,
Pondus pelle scelerum,
salus animarum,
Quod est supra numerum
iam multiplicatum.

43. Ave, quae intellegis
super indigentem,
Ei quoque tribuis
gratiam ingentem,
Sed te semper diligis
vere diligentem,
Tu es, quae non despicis,
quae te colit, mentem.

44. Ave, quam desidero
sicut cervus fontem,
Tuae cum considero
pietatis frontem,
Ut vitare valeam,
dabis, Acherontem
Et tandem perveniam
ad caelorum montem.

45. Ave, militantium
in procinctu ductrix,
Tuorum pugnantium
docta propugnatrix,
Digne triumphantium
pia coronatrix,
Tibi famulantium
sis auxiliatrix.

46. Ave, et in auribus
haec vox convalescat
Tuis, ut in laudibus
noster amor crescat,
Quia hoc a patribus
nuntiatum exstat,
In adversitatibus
quod solamen praestat.

47. Ave, cuius labia
gratia perflavit,
Dum, quod sapientia
patris eructavit,
Verbum tua viscera
ita consecravit
Et pugnandi tegmina
ibi fabricavit.

48. Ave, quam diluculo
mane confortavit
Deus, cum de tumulo
se resuscitavit,
Testiumque numero
vivere signavit
Se et hoc indicio
vulnerum firmavit.

49. Ave, cui plaudere
omnes debent gentes,
Ore, corde psallere
sanum sapientes,
Nam nescis negligere
tibi servientes,
Sueta post te trahere,
quas tu reples, mentes.

50. Ave, mons et civitas
sancta regis magni,
Cuius est antiquitas,
neque desunt anni,
Eius venit deitas
in te, ut tyranni
Deserens iniquitas,
oves simus agni.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, meditatio
cordi meo grata,
Terrae generatio
per te reparata,
Tibi exsultatio
constat cumulata
Et Deo placatio
cara consecrata.

2. Ave, cuius specie
mentis delectatus
Hanc vallem miseriae
Christus est dignatus
Tuae carnis visere
natura velatus
Et mundum redimere
per foratum latus.

3. Ave, via veniae
et spes magna rei,
Vas misericordiae
et lux requiei,
Arca sapientiae,
porta patens Dei,
Genetrix clementiae,
miserere mei.

4. Ave, quae in malitia
odis gloriantes,
Praediti iustitia
tibi sint vacantes,
Ut, qui in militia
sunt agonizantes,
Tandem cum victoria
fiant triumphantes.

5. Ave, cui displicent
hi, qui sibi placent,
Sed qui modo reticent
et a laudari cavent,
Qui se hic abicient,
et servando perdent,
Abiecti pervenient,
ubi sua cernent.

6. Ave, et in nomine
tuo me fac salvum,
Nam salus pro homine
tuum fit per alvum,
Ergo voluntarie
psallam tibi dignum,
Quatenus plenarie
superem malignum.

7. Ave, quae praecipitas
linguas detrahentes,
Habeat haec civitas
nullos has habentes,
Absit haec iniquitas,
uti servientes
Tibi cordis puritas
faciat placentes.

8. Ave, quae vivificas
servos tuo cultu,
Tu illorum lacrimas
cerne pio vultu
Neque frangi desinas
hostium insultu,
Sed pie eripias
ab omni tumultu.

9. Ave, in qua anima
servi tui fidit,
Qui tuarum tegmina
alarum quaesivit,
Non tulit incendia,
carnis si evicit
Luxus atque vitia
concitus contrivit.

10. Ave, cuius filius
horum fregit dentes,
Qui furebant saevius
quam feri serpentes,
Eis obsequentibus
virus infundentes,
Ut a fide ipsius
alienent mentes.

11. Ave, delectatio,
in qua requiescit
Nostra cogitatio,
quando non tepescit,
Tua miseratio
in nos tunc excrescit,
Cum nos tribulatio
fortiores reddit.

12. Ave, generatio
quam tulit spinosa,
Mira pullulatio,
fit de spina rosa,
Salutis est ratio
de culpa probrosa,
Fuit restauratio
facta gloriosa.

13. Ave, quae propitia
nostris es peccatis,
Quamquam foeda vitia
odis in renatis,
Non tamen auxilia
nulla fers foedatis,
Per tua subsidia
mundas faece gratis.

14. Ave, generatio
Hierosolymina,
Cuius expugnatio
Dei est prae ira,
Tua recordatio
fiat medicina,
Facie ut natio
debelletur dira.

15. Ave, quae angelicos
sedes super thronos,
Intendens hymnificos,
quos depromunt, sonos,
Trahe ad deificos
cantuum nos modos,
Ut concordes iubilos,
vitae demus tonos.

16. Ave, quae ex adipe
cibaris frumenti,
Expertes malitiae
ut simus fermenti,
Tubae neomeniae
sono vehementi
Movens muni serie
novi testamenti.

17. Ave, quae non facies
sumis peccatorum,
Sed cognoscis humiles,
mater pupillorum,
Aestimans, quod pauperes
iustiores, quorum
Cernis actus uberes
et profectus morum.

18. Ave, cui similis
nulla est inventa
Omnibus in feminis,
per nulla exempla
Assumpsisti caelibes
vitae instrumenta,
Sed vi intus pneumatis
habes documenta.

19. Ave, caelis altior,
omni creatura
Celsior et sanctior
deica censura,
Per te sit propensior
nostra genitura,
Anima suspensior
in Dei structura.

20. Ave, cuius gremio
veritas est orta,
Cuius beneficio
praedaque extorta
Fuit ab initio,
Caeli caput, porta,
Quo nos toto animo
tendere conforta.

21. Ave, cui similis
nulla est matrona,
Virgo casta, humilis,
fac per Dei dona,
Ut sit acceptabilis,
qua te laudo, prosa,
Mihi exorabilis,
ad praestandum bona.

22. Ave, habitatio
Sion gloriosa,
Da, ut operatio
fiat gratiosa
Tibi et oratio
fervens et morosa,
Carnis castigatio
libens, fructuosa.

23. Ave, vena veniae,
cordis medicina,
Fons misericordiae,
aurem huc inclina
Ad vallem miseriae
et me a ruina
Inimici eripe
gratia divina.

24. Ave, qua disponitur
mansio electis,
Quorum fuit actio
prompta in praeceptis,
His erit propterea
regia caelestis,
Quibus est absconsio
cordis bonus testis.

25. Ave, unigeniti
mater Dei facta,
Sentis pondus uteri
manens et intacta,
Nam cum culpa veteri
nulla pangis pacta,
Quae invisa Veneri
nescis virum casta.

26. Ave, venerabilis
et laus beatorum,
Quae es ineffabilis
dulcedo eorum,
Esto deprecabilis
super actus, quorum
Vita est culpabilis,
defectus bonorum.

27. Ave, quae venantium
laqueos non times,
Tu insidiantium
machinas elides,
Quia militantium
imperfectum vides,
Sitque te amantium
quae et quanta fides.

28. Ave, cui psallere
plurimum delectat,
Nescis enim fallere
hunc, qui te affectat,
Qui supernae curiae
munera exspectat,
Cuius vis iniuriae
neminem molestat.

29. Ave, fortitudinis
nostrae firmamentum,
Tu beatitudinis
dulce condimentum
Et incorruptibilis
vestis indumentum,
Praebe certitudinis
spei supplementum.

30. Ave, quae non tribuis
gratiam elatis
Et es invincibilis
corde inclinatis,
Nam, quem erudieris
ad humilitatis
Formam et docueris,
erit cum beatis.

31. Ave, per quam visitat
lapsum in peccatis
Christus, ut eripiat
mundum a damnatis,
Ut horum reficiat
ruinam renatis
Eisque substituat
delens culpas gratis.

32. Ave, per quem patria
pulsi revocantur
Et in caeli atria
laeti collocantur,
Obtine, ut tartara
saeva obscurantur,
Omnibus et supera
regna conferantur.

33. Ave, vitii finis
et origo boni,
Turris fortitudinis
et formido doli,
Spiritus vivifici
da spem firmam doni,
Qua sim capax gaudii
in supremo poli.

34. Ave, qua subicimur
vero salutari,
Ad te nunc convertimur
prece speciali,
Quo fervore repleas
corda nostra tali,
Ut ardenter colamus
te laude spiritali.

35. Ave, quae languentium
animas solaris,
Sed te sitientium
matrem salutaris,
Per quam calor mentium
fit ut lux solaris,
Tibi confitentium
ne obliviscaris.

36. Ave, quae ab hostium
eripis timore
In dilecti filii
ferventes amore,
Qui spernendi vitii
certant in agone,
Ut sanctorum gaudeant
consortes coronae.

37. Ave, Sion filia,
quam laus decet hymni,
Te sanctorum milia
laudant nam benigni,
Sunt solum laudare te
in hac vita digni,
Prosequi quos gratia
assoles insigni.

38. Ave, cuius nomini
terra plaudat tota,
Tui sanctimonii
dignitate mota,
Sed, quae non vult plaudere,
manens indevota
Sic, ut ira iudicis
aspernatur tota.

39. Ave, o triclinium
sanctae trinitatis,
Tuum ora filium,
ut nos a peccatis
Solvens participium
donet caritatis,
Ducens ad intuitum
suae claritatis.

40. Ave, quae ab acie
caeli coronaris
Et in Dei facie
laeta epularis,
Ab inferni glacie
et poenis amaris
Eruens me, gratiae
protege sub alis.

41. Ave, a principibus
Iuda quae laudaris
Et eorum laudibus
tu congratularis
Genetrixque principis
caeli affirmaris,
Digne, qua extolleris,
lingua est suavis.

42. Ave, quae salvificas
omnem, qui salvatur,
Servum tuum protegas,
aquis ne mergatur,
Nec profundum sorbeat,
sed et os claudatur
Inferni, ut trauseat,
ubi quies datur.

43. Ave, misericordiae
genetrix benigna,
Quam lactasti ubere,
prole nos consigna,
Suae innocentiae
haec habentes signa,
Ne quandoque opere
agamus indigna.

44. Ave, adiutorium
meum et levamen,
Fruar te esuriens,
habens de te famem,
Fer opem, consilium,
praebe adiuvamen,
Ut praestoler ultimum
securus examen.

45. Ave, spes bellantium
et quies futura,
Per te triumphantium
Merces est secura,
Amas te amantium
preces plus quam tura,
Quibus infestantium
perit impostura.

46. Ave, Gedeonico
vellere signata,
Quia rore caelico
exstas madidata,
Spiritu paraclito
cum tu obumbrata
Verbo es angelico
credens impraegnata.

47. Ave, in quam ponere
spem exsistit bonum,
Tibi adhaerescere
gratiale donum,
Qui te studet colere,
reddis gloriosum,
Faciens fragrescere
sicut cinnamomum.

48. Ave, perfruitio
sacrae legionis,
Huius esto tutio
congregationis,
Cuius ab initio
pars possessionis
Es, da sine vitio
sacri vim amoris.

49. Ave, et miracula
per quam Deus fecit,
Per te cuncta cornua
peccatorum fregit,
Et suprema machina,
quam faex liquefecit,
Mundi sustentamina
columnae suscepit.

50. Ave, habitatio
facta salvatoris,
Per quam cuncta natio
sacramento roris
Est accincta gladio
praedicationis
Et tota plasmatio
hilarata votis.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, cui iubilo
cordis exsultamus,
Mentis desiderio
te praeoccupamus,
Vocali tripudio,
ut tecum, rogamus,
Sint in refrigerio
oves tuae manus.

2. Ave, sanctimonia,
salve, sanctitudo,
Effuga daemonia,
quorum multitudo
Occupat altaria,
et inquietudo
Ingerit in anima,
ut sit solitudo.

3. Ave, terrae insula,
deitas quam ambit,
Memor sis, quod ubera
verbum tua lambit,
Unde fluxit gratia,
aethera qui scandit,
Qui spernit sculptilia
nec immunda tangit.

4. Ave, mirabilia
per quam Deus fecit
Et ineffabilia,
per te ad nos venit,
Qui est ante tempora,
per quem mundus crevit,
Nec habens initia
ex te esse cepit.

5. Ave, saevo colubro
quae ingeris bellum,
Cum caelorum Domino
facta es scabellum,
Cui dulci osculo
imprimis labellum,
fellis potus poculo
passus est flagellum.

6. Ave, Christi pascuae
ovis sine fraude,
Cuius agni vellere
gentes calefactae
Evadunt providenter
frigus et in laude
Erumpentes libenter
dicunt tibi: gaude.

7. Ave, innocentia
vera, illibata,
Dei sapientia
ex te incarnata
Subiit exsilia,
sed immaculata
Via, quam gens impia
spernit excaecata.

8. Ave, te amantium
summa gaudiorum,
Venia clamantium,
vox compeditorum,
Ad te exsulantium,
ut preces eorum
Intrent in sacrarium
viscerum tuorum.

9. Ave, cuius anima
Christo benedicit,
Quae super malitia
nostra eum vicit,
Cum cordis duritiam
nostri nos addicit,
Humana fragilia
per te in se discit.

10. Ave, generatio
casta geniturae,
Es decor, confessio,
lumen creaturae,
Gratiarum actio
hinc sit tibi iure,
Quia restauratio
per te fit naturae.

11. Ave, cuius genitum,
draco non voravit,
Nec tuum calcaneum
serpens vulneravit,
Sed hoc ad interitum
suum attemptavit,
Unde sibi meritum
mortis comparavit.

12. Ave, salus gentium,
casta et fecunda,
Corde te quaerentium
corda fac iucunda,
Ut te confitentium
vasa ferant munda
Ad Deum fruentium
loca laetabunda.

13. Ave, quae remissio
exstas culpae facta,
Protoplasti vitio
quae fuit contracta,
Nam verbi promissio,
adhibe praefata,
Est in tuo gremio
fide consummata.

14. Ave, quae felicia
Dei bonitate
Tenens in laetitia
cum hereditate,
Vitem praecipitia,
omni vanitate
Spreta et nequitia
orner caritate.

15. Ave, per quam fit memor
Deus testamenti,
Patribus quod pepigit
lege sacramenti,
Ac eum paenituit
ruinae figmenti,
Quam per te restituit
gratia clementi.

16. Ave, per quam exeunt
claustra vinculati,
Diri quos tenuerant
carceris praelati,
Caelos quoque penetrant
poenis liberati,
Ubi tecum referunt
laudes trinitati.

17. Ave, virgo, rutila
firmamenti stella,
Per te cordis tumida
in auram procella
Redeat, perspicua
atque eius cella
Dulcis tui liquida
flagret gustus mella.

18. Ave, quae auxilium
tribulationis
Tribuens subsidium
et tentationis,
Confer adminiculis
implorationis,
Ut inanis scrupulo
sim inflationis.

19. Ave, quam proditio
Iudae contristavit,
Vinculis exitio
qui se condemnavit,
Cum in cruce *Sitio*
Christus exclamavit,
Te doloris gladio
intus vulneravit.

20. Ave, cuius filio
patri coaeterno
Aequa est in solio
sedes sempiterno,
Quem de se principio
genitum paterno
Humanari utero
fecit in materno.

21. Ave, per quam populum
Dominus redemit,
Qui ob nefas sordidum
captivatus flevit,
Et idcirco operum
memor eius erit,
Quae causa fidelium
per te adimplevit.

22. Ave, virgo colubri
quae fugisti morsum,
Stella maris, naufragis
vitae redde portum,
Nam per te in tenebris
lumen est exortum,
Qui per iter sceleris
non eunt retrorsum.

23. Ave, quae laudabilis
es ab ortu solis
Atque delectabilis
in virtutum scholis,
Per te sit placabilis
ira tuae prolis
Et sit exorabilis
in die doloris.

24. Ave, quae ab exitu
Israel signata,
De Aegypto populo
es praeordinata,
Quae sanctificatio
fieres laudata,
Arca Dei filio
pneumate sacrata.

25. Ave, placens Domino
in regno vivorum,
Per quam fit evasio
hic periculorum
Et post mitigatio
mortis et dolorum,
Tibi sit devotio
nota parvulorum.

26. Ave, quae de calice
potas salvatoris,
Dum compassa intime
viva immolaris,
Vox sunt tuae lacrimae,
licet non loquaris,
Sunt enim angustiae,
quibus cruciaris.

27. Ave, quam oracula
laudant prophetarum,
Mirantur spectacula
caeli incolarum,
Quia sine macula
gentium sanctarum
Ornas tabernacula
votis gratiarum.

28. Ave, caput anguli,
in quo reprobatus
Legis et praeputii
est lapis locatus,
Qui hinc inde creduli
corrigunt erratus,
Ut sic aedificii
sit compactus status.

29. Ave, salutifera
fidei doctrina,
Sana nos, puerpera,
vitae medicina,
Recta ut itinera
nostra sint in via,
Informata aspera
mortis disciplina.

30. Ave, unigeniti
domus uterina,
Spiritus paracliti
casta officina,
Non polluta foetidi
luxus a pruina,
Quae est esus vetiti
causa et ruina.

31. Nostrae plenitudinis
vox confessionis,
Tu tribunal iudicis,
thronus sessionis,
Tribue, ut lubricis
et confusionis
Nudati exuviis
renovemur bonis.

32. Tu, quae castimonia,
virgo, cor sacrasti,
Hoc in testimonia
legis inclinasti,
Et quia in semita
verbi ambulasti,
Ideo in patria
viam praeparasti.

33. Ave, quae eloquiis
Dei occupata
Caritatis copiis
intus es ditata,
Meis fer inopiis
supplementa grata,
Uti pia populis
semper sis placata.

34. Mater Dei, memor sis
precum filiorum,
Qui sunt tui nominis
memores, ut morum
Insignitos titulis,
maxime tuorum,
Maculet infectio
nulla peccatorum.

35. Ave, Dei portio,
salve, Dei mater,
Tuus Dei filio
venter factus crater,
Gentem ab exsilio
solvit, quam quod ater
Locus captam tenuit,
fecit mendax pater.

36. Regis regum omnium
mater benedicta,
Bonum roges filium,
quam tu es enixa,
Ut propellat noxium
hostem, ad delicta
Incentorem hominum,
bonitate victa.

37. Intimae scientiae
fore apotheca
Manu sapientiae
facta es serena,
Quo primae vesaniae
dirum apostema
Tuo cataplasmate
funderet venena.

38. Ave, cuius anima
mira non defecit,
Cum in se magnalia
magna Deus fecit,
Spe te fidelissima
fides nostra petit,
Ut vera per opera
pariat, quod credit.

39. Oro, decentissima
morum disciplina,
Quae es sacratissima
vitiorum lima,
Ne corrumpat intima
nostra vetus zyma,
Ne fiat in anima
flebilis ruina.

40. Ruat in nos vitium
tua prece pia,
Exstinguatur litium
flamma incentiva,
Dulcescat eloquium
ut mel ori ita,
Omnis ut in odium
fiat mala via.

41. Ave, cuius pedibus
splenduit lucerna,
Lucens in caelestibus
luce sempiterna,
Imperet celerius,
uti nos paterna
Lege regens crebrius
serenet interna.

42. Praebe adiutorium,
mater adiutoris,
Suscipe eloquium,
causa quod honoris
Tui nostra labia
promant, sonos oris,
Ut tibi obsequia
grata sint amoris.

43. Reddimus obsequium,
virgo, tibi laudis
Secundum iudicium
mentium nos audis,
Qui nullo iudicio
falli queunt fraudis,
Nam patent ad aditum
tuae piae aures.

44. Hortulus ecclesiae,
patens fons signate,
O virgo catholicae,
spiritu ornate,
Quae es lumen animae,
sed illuminatae,
Mentis nostrae tenebrae
lumen fiant a te.

45. Novitatem gratiae,
virgo munda, datam,
Sed nullis iustitiae
meritis collatam
Credimus, hinc effice
facque tibi gratam
Mentem zelotypiae
igne inflammatam.

46. O nostrae vocatio
per te, virgo, gentis
Facta, qua persuasio
intoxa serpentis
Perit, et purgatio
sordidae fit mentis
Atque declaratio
sermonis lucentis.

47. Benedicta viscera
virginis Mariae,
Ubi sic se induit
duplicis usiae
Gigas arma bellica,
ut caput ruinae
Ratione premeret
humilis sophiae.

48. Insignita titulis
laudis et coronae,
Virgo, mater principis,
principes dolose
Persequentes odiis
da inertes fore,
Ne horum insidiis
privemur honore.

49. Ave, fortitudinis
singnum conservatae,
Potestates aeris
prives potestate,
Ne pastoris humeris
oves reportatae
Pereant ludibriis
harum vitiatae.

50. Ave, militantium
quae stas in agone
Certans, triumphantium
inhians coronae,
Sic desolatorio
ure nos carbone,
Uti amatorio
flagremus amore.

51. Ave, luna noctium,
de qua sol diei
Prodiit, innoxium
fac me dono Dei,
Ne me urat vitium,
sed ad requiei
Tendam refrigerium
suae faciei.

52. Ave, gradu humili
quae intrasti domum
Laeta et ad filii
conscendisti thronum,
Da, ut meum inibi
haereat cor totum
Et hoc desiderii
actu sit devotum.

53. Ave, cuius oculi
columbini cordis,
In conspectu Domini
nil habentes sordis,
Fixisti immobili
motu et cohortis,
Plaudant cives caelici
tibi nostrae sortis.

54. Ave, cuius anima
transiit torrentem,
Cuius nec inania
demersere mentem,
Ora, ne decipula
tuam fallat gentem,
Sed venatum dissipa
et confringe dentem.

55. Ave, vallis montium,
montem quae tulisti
Et ad fructum vallium
Christi pertransisti,
De quibus sterilium
sulcos repulisti
Rerum et utilium
germina sevisti.

56. Ave, quae solacium
Sion tribuisti,
Eius cum per filium
captos convertisti,
Reple nostrum gaudio
os ut Iesu Christi
Lingua nostra iubilo
personet non tristi.

57. Ave, cuius nobili
domus insignita
Titulo et spiritu
sancto custodita
Atque sic custodibus
eius communita,
Ut sit in refugium
nobis expedita.

58. Ave, quae ut vinea
pampinis abundat,
Praebens adumbracula,
aestus quos impugnat,
Carnis sic temptamina
quaelibet secundans,
Ut sint haec incendia,
ut aes ignis mundans.

59. Ave, cervicositas
per quam peccatorum
Concidit, et bonitas
patuit bonorum,
Expugnetur falsitas
per te perversorum,
Ut consurget fabrica
operum piorum.

60. Ave, ad precamina
aures quae intendis
Tuis et peccamina
precibus defendis,
Exhibe iuvamina,
ut vitae perennis
Tecum sit in patria
mansio sollennis.

61. Ave, quae humilia
de te sentiebas,
Cum in te magnalia
Deus faciebat,
Plus placens, quod cernu
quam quod virgo eras,
Qui nos a supplicia
per te eruebat.

62. Ave, proles Davidis,
virgo mansueta,
Per te culpa desiit
et fraus est deleta,
Cum de ventre prodiit
tuo salus vera,
Deus tui meruit
conferenda laeta.

63. Ave, in quam capitis
descendit unguentum
Et in membris aliis
tangens vestimentum,
Abolendum criminis
dedit sacramentum,
Quod foret invalidis
animae fomentum.

64. Ave, quam in specula
stans sic benedixit
Dominus, qui saecula
atque caelos fixit,
Per te mundi scelera
tollere distinxit,
Virgo, qui haec ubera
de te natus linxit.

65. Ave, virgo virginum,
omni laude digna,
Regis regum omnium
genetrix benigna,
In qua mirabilium
sunt ostensa signa
Rerum, nos per filium
patri reconsigna.

66. Ave, cuius minuit
filius infernum,
Cuius nomen viguit
manens in aeternum,
Cuius ope transiit
populus desertum,
Per te nobis mitiget
animum paternum.

67. Ave, et ad lapidem
parvulum allide,
Et ut Christi faciem
pura cernam fide,
Ubi laudans apicem
deitatis trinae,
Visioni aciem
inferam divinae.

68. Ave, virgo virginum,
salve, stella maris,
In conspectu civium
caeli honoraris,
Tangat vox humilium
te, cum invocaris,
Opera quod manuum
fine tuearis.

69. Ave, quae scientiam
es sortita miram,
Tu per continentiam
mitigasti iram
Iudicis sententiam
et flexisti diram,
Feram reverentiam
tibi, quoad vivam.

70. Ave, cuius castitas
non est obfuscata,
Sed ita integritas
tua decorata,
Ut per hanc humanitas
lapsa revocata
Sursum et felicius
caelis sit locata.

71. Ave, quae praesidio
spiritus munita,
Bene es ab homine
malo custodita,
Ita, ut nec scandala
iuxta iter sita
Nec te tela laederent
belli inimica.

72. Ave, in palatio
caeli advocata,
Per te sint peccamina
nostra complacata,
Cuius est oratio
grata ut incensa,
Manus elevatio
victima succensa.

73. Ave, cuius valida
vox est ante Deum,
Quia acceptabilis
exstas ante eum,
Nec est implacabilis
flecti propter reum,
Sed exuens iudicem
se dat tibi laetum.

74. Ave, mater iudicis,
redde quem placatum,
Ut non in iudicio
sentiam iratum,
Sed malorum operum
mole praegravatum
Respice, ruentibus
ne sim par in lacum.

75. Ave, cuius filius
fortem adligavit
Atque formam proelii
nobis praemonstravit,
Sic fore refugium
nostrum iudicavit,
Quod descendens propter nos
caelos inclinavit.

76. Ave, novum canticum
quae praecinuisti,
Cum epithalamium
sponso cecinisti,
A maligno gladio
nos eripuisti,
Quae pudoris titulo
salvo peperisti.

77. Ave, cuius nomini
omnes benedicunt,
Qui per te redempti sunt
et in fide vivunt,
Tuae magnitudini
sanctitatem dicunt
Et tuis, quod facti sunt,
meritis ascribunt.

78. Ave, quae non reprimis
lapsos nec elidis,
Sed elisos erigis,
ut eis sis mitis,
Cave nostro casui
eximeque litis
Causam, pacem conferens
sensibus lenitis.

79. Ave, quae confidere
nolens in terrenis,
Certam spem dirigere
Dei in amoenis,
Ut amoenitatibus
fruens iubilaeis
Nunquam mitis desinas
miserere reis.

80. Ave, veneratio
nostra laetabunda,
Decora laudatio
tibi sit iucunda,
Cuius impraegnatio
sine viro munda
Mundo fuit latio
gratiae secunda.

81. Ave, quae Ierusalem
filiis laudaris,
Virum quae in Israel
sine viro paris,
Sola sine themate
placens exemplaris,
Pneumatis ex adipe
intus impinguaris.

82. Ave, virgo virginum,
mater salvatoris,
Vas electum Domini,
titulus amoris,
Vas Dei altissimi
nostri redemptoris,
Angelorum domina,
sponsa creatoris.

83. Ave, quam excoluit
Christus parituram,
Deus et quam voluit
omnem creaturam
Colere, te noluit
laude carituram
Formae, de qua floruit
carnis per naturam.

84. Ave, splendidissima
virgo, maris stella,
Salve, suavissima
verbi Dei cella,
Mater tu sanctissima,
pro me interpella,
Ne tempestas noceat
vel mundi procella.

85. Ave, quam concinnitas
nova modulantum
Laudat per ecclesias
more triumphantum,
Redditur hereditas
per te, quam parentum
Abstulit temeritas
inobedientum.

86. Ave, Dei genetrix,
virgo speciosa,
Reorum miseratrix,
mater generosa,
Virtutum operatrix,
mihi, generosa
Supernorum largitrix,
dona gloriosa.

87. Ave, mater humilis,
virgo specialis,
Mater veri luminis,
lucis immortalis,
Me sanctorum gaudiis
iunge, o regalis,
Atque tuis meritis
parce meis malis.

88. Ave, sanctis omnibus
virgo veneranda,
Gaude, in virtutibus
cunctis praeferenda,
Salve, caeli civibus
semper extollenda,
Vale, omnis spiritus
laude prosequenda.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. — I. 5, 3 corde. — 5, 4 excita. — 6, 6 merem. — 9, 8 fehlt eine Silbe; tu ergänzt. — 12, 3 da copiam. — 12, 4 de qua. — 17, 7 Confirmando. — 20, 7 fomuit. — 22, 2 vita detur. — 26, 8 vitae nostrae. — 31, 4 forefactum = forfait. — 33, 3 inania. — 42, 7 est fehlt. — 47, 6 sic consecravit. — 50, 7 Deserviens.

II. 10, 2 confregit. — 10, 8 alienarent. — 13, 3 quam veda. — 26, 3 effabilis. — 30, 2 gratiarum. — 38, 6 manent. — 49, 7 sustentamenta.

III. 6, 4 sunt calefactae. — 12, 6 vata ferant. — 13, 2 exsistis. — 19, 5 sq. Christus sitio clamavit. — 19, 7 gladius. — 21, 4 captivus. — 23, 6 tui. — 30, 5 sq. Non luxus foetidi polluta a ruina. — 44, 1 Oculus ecclesiae. — 44, 2 fons senate. — 44, 3 O fehlt. — 47, 4 duplicis viae. — 56, 5 gaudium. — 64, 4 vixit. — 66, 4 mundus in. — 66, 6 per desertum.

Diesem Psalterium, das 38 Strophen über die Normalzahl aufweist, geht in der Hs. folgender prologus vorauf:

Iustitia celebres quondam fuere mulieres:
Sara, Rebecca, Lia, Rachel vatesque Maria,
Debora, Ruth, Anna, Iudith Hesterque, Susanna;
Emicat eximia super omnes nostra Maria,
Virgo decora nimis, David de semine regis.
Ad caeli decora me erige, virgo decora.
Virgo Deum peperit, sed si quis, quomodo, quaerit,
Non est nosse meum, sed scio posse Deum.

Dem Corpus vorher geht: Explicit prologus. Incipit psalterium beatae Mariae, gloriosissimae virginis; eine spätere Hand hat beigefügt: sancti Bernhardi.

XV. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, virgo virginum,
per quam vir beatus
Visitavit miseros,
nobis ex te natus
Tuis, mater, meritis
nostri miseratus
Relevet miserias
dulcis advocatus.

2. Ave, Christi Domini
mater illibata,
Cuius est hereditas
in gentes translata,
Ne nos ab hac dirimant
culpae vel peccata
Cum furor exarserit,
subveni beata.

3. Ave, cuius filius
mortis per soporem
Resurgentis meruit
corporis honorem,
Quem per mortem colimus
mortis destructorem,
Colamus per funera
vitae collatorem.

4. Ave, verbi thalamus,
de quo cum exivit,
Voces invocantium
Christus exaudivit,
Consignet et muniat,
sibi quos univit,
Qui sui nos lumine
vultus insignivit.

5. Ave, templum fidei,
domus sanctitatis,
Summae tabernaculum
facta maiestatis,
Nos scuto praemuniens
bonae voluntatis
Coronet in patria
Christus cum beatis.

6. Ave, mater gratiae,
gratiarum plena,
Tu spes paenitentiae
veniaeque vena,
A culparum nexibus
solvens et a poena
Ad caelestis patriae
transfer nos amoena.

7. Ave, per quam particeps
nostrae factus sortis
Deus iudex iustus est,
patiens et fortis,
Nos convertens revocet
a gehennae portis
Evasuros gladium,
arcum, vasa mortis.

8. Ave, per quam angelis
se minorem fecit,
Cum se Dei filius
nostris interiecit,
Cuius pater pedibus
omnia subiecit,
Ex ore lactentium
laudem cum perfecit.

9. Ave, cuius filius
novae legis lator
Nobis constitutus est
sanctus et salvator,
Inimicum conterat
fortis expugnator,
Dei iam et hominum
factus mediator.

10. Ave, mons iustitiae,
in quem transmigratur,
Ut in Christi nomine
tota spes ponatur,
A quo tuus uterus
dum inhabitatur,
Templum sanctum Domini
caelumque vocatur.

11. Ave, viri nescia,
virgo singularis,
Quae salutem angelo
nuntiante paris,
Opem fer praesidii,
stella salutaris,
Ne salus deficiat
inter fluctus maris.

12. Ave, per quam Dominus
nostri non oblitus
Nec avertens faciem
nobis est unitus,
Purus mentis oculus
sit et expeditus,
Ne unquam obdormiat
in morte sopitus.

13. Ave, quam magnifice
laudant universa,
Vero sapientiae
lumine respersa,
Sentiat et sapiat
mens ad te conversa,
Quod per te captivitas
plebis est aversa.

14. Ave, cuius filius
mons est sanctae spei,
Factus tabernaculum
verae requiei,
Fac, ut per iustitiam
inhaerentes ei
Mereamur fieri
corheredes Dei.

15. Ave, per quam reddita
spes est desperatis,
Quibus est hereditas
restituta gratis,
Vera factus hostia
Christus pro peccatis
Pars sit nostri calicis,
pars hereditatis.

16. Ave, cuius uterum
Christus cum intravit
Igne sancti spiritus
cor examinavit
Et, ut mater fieres,
dignam approbavit,
Per te nos respiciat,
qui nos visitavit.

17. Ave, cuius filius
caelos inclinavit,
Tibi cum altissimi
virtus obumbravit,
Nos in caelum sublevet
salvans, quos creavit,
Qui per te terrigenis
se contemperavit.

18. Ave, cuius uterum
regum rex ingressus,
Ut sponsus de thalamo
Christus est egressus,
Sic de tabernaculo
solis sol progressus
Nos in via dirigat,
corrigat excessus.

19. Ave, quae auxilium
de sancto tulisti,
Dum sancta sanctissimum
digna concepisti
Nostra sit salvatio
vera fides Christi,
Quem fide concipiens,
virgo, genuisti.

20. Ave, salutarium
causa gaudiorum,
Pariens in tempore
regem saeculorum,
Fit corona capitis
corona membrorum,
Finis indeficiens
summaque votorum.

21. Ave, de qua prodiit
Deus humanatus,
Crucis in se perferens
pie cruciatus,
Propter nostra vulnera
gratis vulneratus
Nostros suo sanguine
diluat reatus.

22. Ave, quam rex omnium
matrem praeelegit,
Ut sit locus pascuae
gregi, quem elegit,
Virga sit et baculus
illis, quos collegit,
Ut iam nihil desit his,
quos electos regit.

23. Ave, terra gloriae,
terra, quam fundavit,
Cum nobis rex gloriae
se contemperavit,
Qui per mortem principem
mortis triumphavit,
Nos a morte liberet,
quos morte salvavit.

24. Ave, cuius filius
dulcis est et rectus,
Ut educat exsules,
peregre profectus,
Vere nobis gratiae
legifer effectus
In se nostros ordinet
mores et affectus.

25. Ave, quae dominicum
circumdas altare,
Concludens in utero
Dei salutare,
Nostra purget intima
potens expiare,
Pontifex et hostia
nostrae factus arae.

26. Ave, mater Domini
nos illuminantis,
Mater, inquam, filii
per te nos salvantis,
Tuis, virgo, meritis
precibusque sanctis
Mitis pelle tenebras
ad te suspirantis.

27. Ave, pudicitiae
titulis ornata,
Mater facta filii,
sed inviolata,
Corporis materia
illi ministrata,
Cuius iam refloruit
caro suscitata.

28. Ave, nostri generis
decus sempiternum,
Cuius scandens filius
solium paternum
Residens in dextera
rex est in aeternum,
Affectum supplicibus
exhibe maternum.

29. Ave, de qua gaudium
fulsit matutinum,
Quod detersit hominis
fletum vespertinum,
Per contusum corporis
saccum cilicinum
Redemptis aperiens
paradisi sinum.

30. Ave, regis omnium
civitas munita,
Civitas ab angelis
digne custodita,
Per te nos eripiat
Christus, lux et vita,
In quo liberatio
spesque nostra sita.

31. Ave, cui non imputans
Dominus peccatum
Partum dedit gloriae
fructumque beatum,
Cor gerens et corporis
decus illibatum,
Aerumnosa contere
spinas voluptatum.

32. Ave, per quam filios
hominum respexit,
Cum nos Deus visitans
de caelo prospexit,
Qui de ventre virginis
incarnatus exit,
Nostra, quae susceperat,
in sua provexit.

33. Ave, cuius anima
in Deo laudatur
Benedicens Dominum,
per quem exaltatur,
Tuis, virgo, benedic,
et benedicatur,
Per quem benedictio
facta praedicatur.

34. Ave, de qua voluit
nasci rex virtutum,
Non abhorrens tangere
carnis nostrae lutum,
Apprehendens mystice
arma atque scutum
Hominem eripiat
ope destitutum.

35. Ave, fecundissima
domus ubertatis,
Torrens indeficiens
castae voluptatis,
Fonte nos inebria
sanctae caritatis,
Cor ad lumen excitans
summae claritatis.

36. Ave, benignissima,
nusquam malignari
Nec in malignantibus
volens aemulari,
Cuius est in Domino
semper delectari,
Cuius nos deliciis
dona satiari.

37. Ave, mater unicum
generans dulcorem,
Venientis iudicis
tempera furorem,
Ne in ira sentiam
illum correptorem
Sed vitae perpetuae
per te largitorem.

38. Ave, cui spiritus
sanctus obumbravit,
Dum carnis materiam
caro ministravit,
Cum nostram substantiam
sibi sociavit,
Ad suam nos gloriam
Deus invitavit.

39. Ave, per quam reddita
lux effulsit caecis,
Quam per Evam abstulit
gustus ille necis,
De lacu miseriae
et de luto faecis
Nos educat meritum
tuae sanctae precis.

40. Ave, beatissima,
per quam nos respexit,
Quando super pauperes
Deus intellexit,
Egestatem hominis
dives non despexit,
Sed in nos charismatum
munera convexit.

41. Ave, quam fons gloriae
voluit implere,
Ut in ipso fieres
fons salutis vere
Nostrae desiderium
mentis intuere
Dans de plenitudine
fontis nos gaudere.

42. Ave, quam de gentibus
Dominus discrevit,
Cum in ventre virginis
infans requievit,
Causam et chirographum
poenamque delevit,
Quam in primum hominem
prima lex decrevit.

43. Ave, cuius viscera
Christum ediderunt,
Per quem victi subiacent,
qui nos adflixerunt
Salva nos in brachio,
cuius vim senserunt
Qui victrici dexterae
Christi restiterunt.

44. Ave, stans ad dexteram
Domini regina,
Quam ambit varietas
virtutum divina,
Vide, regis filia,
et aurem inclina,
Natus ex te nobis est
Christus medicina.

45. Ave, tabernaculum
quod sanctificavit
Sanctorum sanctissimus,
in te cum intravit,
Ex te nobis impetus
fluminis manavit,
Civitatem Domini
qui laetificavit.

46. Ave, per quam filius
Dei cum descendit,
Nos in sui nominis
amorem accendit,
Particeps substantiae
nostrae cum ascendit,
Ascendendi pariter
nobis spem impendit.

47. Ave, magna domina
et laudanda nimis,
Regis magni civitas,
mons Sion sublimis,
Tu magna tu praedita
meritis opimis,
Tuos ad caelestia
transfer ab his imis.

48. Ave, per quam homines
natos ad laborem
Ad amissum revocans
Dominus honorem
De nostra substantia
sumptum carnis florem
Ipsum fecit angelis
in se celsiorem.

49. Ave, mater filio
digna nascituro,
Corporis materiam
ministrans passuro,
Purga conscientias,
ut sic corde puro
Procedamus obviam
iudici venturo.

50. Ave, nos commiserans,
nostri miserere,
Tu misericordiae
mater dicta vere,
Miserere omnium,
qui tuis sincere
Laudibus dignissime
gaudent inhaerere.

Secunda Quinquagena.

1. Salve, felix et fecunda
mater, nati gloria,
In qua nobis gloriandum
et non in malitia,
A maligno nos, benigna,
et a malo libera,
Ut in domo Dei simus
oliva fructifera.

2. Salve, per quam nos de caelo
rex prospexit gloriae,
Ut humanae liberaret
filios miseriae,
Per te regnat, quos redemit
patris sapientia,
Ne damnemur oberrantes
in insipientia.

3. Salve, per quam nos salvavit
fuso Christus sanguine,
Quos et suo sancto dedit
insigniri nomine,
Per te, virgo, res in nobis
impleatur nominis
Et, ut plenus sit effectus
fusi sacri sanguinis.

4. Salve, per quam exaudivit
iacentes sub onere
Opem Deus porrigendo
salutaris dexterae,
Salvet Christus et in suo
nos sustentet brachio,
Per quem lapsus es humani
facta restauratio.

5. Salve, per quam miserator,
fons misericordiae,
Nostrae Deus relevavit
pressuram miseriae
Nostri, mater, miserere
dans in illo gaudium,
Cui places in aeterno.
lumine viventium.

6. Salve, per quam auctor vitae
resurgens diluculo
Gloriosam resurgendi
spem refudit saeculo,
Sic emittens veritatem
et misericordiam,
Mentes morte iam sopitas
suscitans ad veniam.

7. Salve, virgo, de qua natus
iustus iudex omnium
Vocat suos et invitat
iustum ad iudicium,
Sub censura nunc nos rege
sancti moderaminis,
Ut donetur in futuro
merces veri luminis.

8. Salve, mater per quam pie
Christus nos eripuit,
Cum se fortem defensorem
pro nobis opposuit,
Insurgentes in nos hostes,
virgo potens, contere,
Ut ab illis mens erepta
te collaudet libere.

9. Salve, per quam ad nos venit
calceata Deitas,
Ut illius Idumaea
perpes sit hereditas,
Tu caelestis olla spei,
tu munita civitas,
Da munimen, ne nos ulla
confundat adversitas.

10. Salve, quam inhabitavit
sol aeterni luminis,
Firma turris et erecta
nostrae fortitudinis,
Audi preces et intende
vota deprecantium,
Ut in petra Christo per te
sit nobis refugium.

11. Salve, per quam nobis pater
locutus in filio
Duplicato nos a morte
salvet beneficio,
In quo simul sunt potestas
et misericordia,
Miserator assit potens
salvans a miseria.

12. Salve, de qua lux est orta
perennis laetitiae,
Excitavit nos a somno
letalis desidiae,
Per te nobis sint ad Deum
perpetes vigiliae,
Ut assistant ad tutelam
caelestes excubiae.

13. Salve, per quam verbum Dei
se conformans homini
Sua summe coartavit
membra celsitudini,
Dum ascendens ad cor altum
secreti consilii
Nostram in se tulit mortem
gratia remedii.

14. Salve, virgo, de qua Deus
nostrum sumpsit hominem,
Suam per nos deformatam
reformans imaginem,
Qui assumptus in aeternam
verbi plenitudinem
Suam nobis noster homo
det beatitudinem.

15. Salve, per quam Christus mare
convertit in aridam,
Cum naturam nostrae carnis
in se fecit solidam,
Per latentis vitae flumen
tutus fiat transitus,
Ut ad verum per te lumen
liber eat spiritus.

16. Salve, terra non arata,
terra non arabilis,
Terra vitae fructum ferens,
sine viro fertilis,
Per te Deus vultum suum
super nos illuminet,
Ut internae caecitatis
tenebras eliminet.

17. Salve, de qua victor natus
mortis fractis legibus
Captivans captivitatem
dona dat hominibus,
Sic ascendens triumphator
regnat in caelestibus,
Captivatos post se trahens
caeli iungat civibus.

18. Salve, per quam nos salvavit
solvens, quae non rapuit,
Mortem ferens, qui nil morti,
nihil culpae debuit,
Nos pro nobis passus gratis
a culparum debitis
Salvet Christus et absolvat,
virgo, tuis meritis.

19. Salve, mater, de qua natus
carnis per consortium
In humanum festinavit
Deus adiutorium,
Iuva, Iesu, et in tuo
nos conservans nomine
Liberator noster esto,
ne moreris, Domine.

20. Salve, mater, spes salutis,
laus in te sperantium,
Sit in Deum protectorem,
quem portasti filium,
Ne confundar in aeternum
in te sperans, domina,
Ad te pie suspirantis
exaudi precamina.

21. Salve, vellus, quod perfudit
ros caelestis gratiae,
In te, virgo, cum descendit
verbum instar pluviae,
Per exortam in diebus
illius iustitiam
Sempiternam nobis donet
pacis abundantiam.

22. Salve, per quam ad salutem
bonus Deus Israel,
Cum his, qui sunt recto corde
factus est Emanuel,
Firma pedes, gressus rege,
ne labens absorbeat,
Peccatorum zelans pacem
etsi mente movear.

23. Salve, per quam nos rex caeli
visitans in filio
Operatus est salutem
in terrarum medio,
Nostri memor nec in finem
nos repellens Dominus
Pium votis det effectum
factus spei terminus.

24. Salve, virgo, summum nobis
pariens pontificem,
Deferentem vini meri
plenum mixto calicem,
Ex hoc et in hoc inclinat,
dum propinat omnibus,
Nunquam desit plenitudo
gratiae fidelibus.

25. Salve, per quam in Iudaea
Dominus innotuit,
Dum assumens ex te carnem
humilis apparuit,
Innotescat nobis Deus
nunc quidem per speciem
Cognoscendo, in futuro
facie ad faciem.

26. Salve, per quam notam fecit
virtutem in populis
Ab aeternis verbum Dei
nos absolvens vinculis,
Per te, mater, quos redemit
forti regens brachio
Elevatos a caducis
caelorum in gaudio.

27. Salve, per quam angelorum
panem manducavimus,
Verbum Dei carnem factum
per te cum suscepimus,
Sit in via ductor nobis
virtus et viaticum,
Cuius corpus nunc in pane
verum est et mysticum.

28. Salve, per quam nos adiuvit
Deus salutarium,
Nostris pie se peccatis
exhibens propitium,
Ne polluto cordis templo
pereat hereditas,
Vicinorum nobis gentes
redde nobis subditas.

29. Salve, per quam pastor pius
errantem a superis
Suis ovem ad ovile
reportavit umeris,
Nos intendens, nos deducens
ab errore revocet,
Ut ab hoedis segregatos
dextros sibi collocet.

30. Salve, per quam omnes gentes
exsultant in Domino,
Quas redemit morte Christus
ab Aegypti cophino,
Nos a domo Pharaonis
de luto, de latere
Ad superna praesta pacis
visionem tendere.

31. Salve, per quam nos excelsus
adoptans in filios
Deos fecit et divinae
voluntatis conscios,
Per te, virgo, cum exsurget
Deus ad iudicium,
Quibus nomen Dei dedit,
donet et consortium.

32. Salve, per quam rex caelorum
nobis factus similis
In futuro iudex erit
iustus et terribilis,
Da sic diem praevenire
tremendi iudicii,
Ut cum Christo coheredes
veri simus gaudii.

33. Salve, Dei quae dilectum
facta tabernaculum,
Cum te sibi praeelegit
Christus habitaculum,
In virtutem de virtute
tu nos fac ascendere,
Ut in Sion Dei vultum
valeamus cernere.

34. Salve, per quam est aversa
hominum captivitas,
Cum de terra est exorta
carnis nostrae veritas,
Per te, virgo, quos de caelo
prospexit iustitia,
Veritas exorta salvet
et misericordia.

35. Salve, per quam ex inferno
Christus nos eripuit,
Cum resurgens signum nobis
Resurgendi praebuit,
A peccatis in praesenti,
virgo, fac exsurgere,
Ut ad vitam in futuro
possimus resurgere.

36. Salve, virgo gloriosa,
dicta Dei civitas,
Cuius firmat fundamenta
montium sublimitas,
Ex te, qui te sic fundavit,
natus est altissimus,
Ut per carnem sit redemptor
redimendis proximus.

37. Salve, de qua natus nostro
dolori compatiens
Poenas solvit et a morte
nos redemit moriens,
Qui expandens crucifixus
manus in patibulo,
Ad se trahens universa,
dans salutem populo.

38. Salve, virgo, summi patris
gignens unigenitum,
Quem in cunctis ipse pater
ponit primogenitum,
Hunc in terris, hunc in caelis
exaltat prae regibus,
Nomen dedit, quod excellit
omnibus nominibus.

39. Salve, per quam exsultantes
de misericordia
Mane Christi resurgentis
replevit laetitia,
Exsultemus et laetemur
sic in die gratiae,
Ut ad diem pertingamus
immortalis gloriae.

40. Salve, per quam Christus nostrum
factus est refugium,
Per assumptam praestans carnem
Dei participium,
Sic in suo commorari
fac nos adiutorio,
Ut festina semper assit
illius protectio.

41. Salve, pia, salve, bona
mater boni Domini,
Cuius pium est et bonum
confiteri nomini,
Tu es cedrus exaltata,
tu palma florigera,
Florem fructusque virtutum
in nobis exaggera.

42. Salve, de qua rex decorem
et virtutem induit,
Cum in ventre virginali
corpus sibi texuit;
Haec est domus tua digna,
domum tuam, Domine,
In dierum sanctitudo
decet longitudine.

43. Salve, per quam egit Deus
ultionum libere,
Iudex iustus et superbis
potens retribuere,
Cum districta pro peccatis
exigetur ultio,
Tua tibi supplicantes
excuset oratio.

44. Salve cuius rex caelestis
concupivit speciem
Et in ea requiescens
nos vocat ad requiem,
In praesenti sic agatur
sabbatismus gratiae,
Ut perennis in futuro
detur quies gloriae.

45. Salve, per quam omnis terra
novum cantat canticum
Laudans partum et adorans
virginis magnificum,
Sint in caelo, sint in terra
laeta laudum carmina,
Cuncta Christus qui creavit
natus est ex femina.

46. Salve, cuius ad beata
sancti partus gaudia
Lux est orta rectis corde
iustisque laetitia,
Da sic illum venerari
venientem humilem,
Ut securi videamus
venturum terribilem.

47. Salve, verae fons salutis
et doloris terminus,
Per quam suum salutare
notum fecit Dominus,
Recordata veritatis
et misericordiae
Ad perennis nos invita
canticum laetitiae.

48. Salve, de qua sanctum Deo
fit scabellum corporis,
Quando venit repromissa
plenitudo temporis,
Sic scabellum pedum eius
adoremus subditi,
Ut in caelis uniamur
vero membra capiti.

49. Salve, per quam omnis Deo
iubilat ecclesia,
Per quam omnis terra Christo
servit in laetitia,
Per te, virgo, portas eius
intremus et atria
Laudaturi nomen eius
in perenni gloria.

50. Salve, virgo, vitae via,
via carens macula,
Per quam venit ad nos Deus
redempturus saecula,
Per te Christi lux in nobis
donaque perficiant,
Ut in suo matutino
peccata deficiant.

Tertia Quinquagena.

1. Gaude, per quam gaudium
verum exhibetur,
Dum exsurgens Dominus
Sion miseretur,
Per te, virgo, gratiae
tempus adimpletur,
In quo nostri generis
fletus aboletur.

2. Gaude, cuius meritis
mundo complacatus,
Figmenti seu pulveris
nostri recordatus,
Pro nobis apparuit
Deus humanatus,
Sicut pater filios
sic nos consolatus.

3. Gaude, fructum pariens
virgo benedictum,
Qui primae sententiae
temperans edictum
Generale generis
solvit maledictum,
Cum pro nobis induit
corporis amictum.

4. Gaude, cuius filii
nomen invocatum
Pium invocantibus
spondet advocatum
Ut nos ipse revocet
ad felicem statum,
Qui reduxit hominem
iuste relegatum.

5. Gaude, per quam visitat
nos in salutari,
Volens nos in filio
Dominus salvari,
Salvatorem omnium
digne da laudari,
Quem de tua credimus
carne generari.

6. Gaude, cuius filius
gentes suae sortis
Sedentes in tenebris
et in umbra mortis
Seris fractis ferreis,
vectibus et portis
Eduxit in gaudium
caelicae cohortis.

7. Gaude, mater inclita
Christi resurgentis,
Vera nos diluculo
luce respergentis,
Hic suis irradians
mundum sacramentis
Lux et reparatio
fiat nostrae mentis.

8. Gaude, cuius filium
negat gens ingrata,
In auctoris omnium
mortem meditata,
Quae cum Iuda pessimo
dum perit damnata,
Vincit, regnat, imperat
Christi laus beata.

9. Gaude, per quam gaudium
proles compromisit,
Virgam Deus ex Sion
virtutis emisit,
Nil lucis, nil gloriae
deitas amisit,
Humanae substantiam
carnis dum admisit.

10. Gaude, sidus gloriae,
lucis fons supernae,
Per quam fit redemptio
salutis aeternae,
Nos a mortis libera
nexibus internae
Pietatis exhibens
viscera maternae.

11. Gaude, vitae ianua,
vitae patens porta,
Per quam lux iustitiae
nobis est exorta,
Ne mens culpae tenebris
pereat absorpta,
Purga, mater, animas,
animos conforta.

12. Gaude, parens pueri
veri puritatis,
Puros fac et pueros
purgans a peccatis,
Ut sit innocentiae
signum, non aetatis
Illud pueritiae
nomen in purgatis.

13. Gaude, cuius filius
Deus est in caelis,
Retributor omnium
potens et fidelis,
Ab Aegypti tenebris
a mundi querelis
Redeuntes societ
angelorum melis.

14. Gaude, Iesu Domini
genetrix electa,
Virgo quidem permanens,
sed mater effecta
Ab eo, quem diligis
unice dilecta,
Diligas et dirigas
nos in via recta.

15. Gaude, cuius filius,
summae rex virtutis,
Propinavit moriens
calicem salutis,
Verae laudis hostiam
fidemque locutis
Vota praestet reddere
vinculis solutis.

16. Gaude, cuius filium
laudant omnes gentes,
Adorant et praedicant
populi credentes,
Per misericordiam,
nostras firmans mentes
Veritati faciat
semper inhaerentes.

17. Gaude, cuius uteri
fructus singularis
Factus est in populis
lapis angularis,
Nos in eius nomine,
quem beata paris,
Uniat et muniat
fides salutaris.

18. Gaude, beatissima
genetrix beati,
Agni mater mystici
et immaculati,
Ne a via devient
pedes adgravati,
Deprimentis excute
pulverem peccati.

19. Gaude, per quam facta est
mons ascensionis,
Qui pro nobis calicem
bibens passionis
Convallis fidelibus
fit plorationis,
Qui se gemunt incolas
esse Babylonis.

20. Gaude, per quam gradibus
mentis elevamur,
Dum a monte montium
opem praestolamur,
Si premit adversitas,
ut non confundamur,
Si succedunt prospera,
ut non extollamur.

21. Gaude, domus Domini,
nosque fac laetantes,
Ut sint in Ierusalem
pedes nostri stantes,
Ut cum sedes sederint
mundum iudicantes,
Regnemus in patria
pacis triumphantes.

22. Gaude, collum gloriae,
quod inhabitavit,
Quando sibi deitas
carnem copulavit,
Per te nos inhabitet
ipse, qui creavit,
Per spem levans oculos,
fide quos purgavit.

23. Gaude, per quam gratia
finem ponens irae
Torrentem miseriae
dedit pertransire,
Fraudem sic venantium
praesta praevenire,
Ne nos suis laqueis
possint irretire.

24. Gaude, virgo, conterens
virgam peccatorum,
Ne saeva desaeviat
in sortem iustorum,
In se nos consolidet,
qui est pax sanctorum,
Mons et vertex montium
Christus aeternorum.

25. Gaude, per quam facti sunt
sicut consolati,
Quos primae restituit
Christus libertati,
Per te nos ab invio
collustrat peccati,
Ne mens praedae pateat
seu captivitati.

26. Gaude, de qua caelici
lux orta splendoris
Dormientes excitat
a somno torporis,
Panem vitae germinans
mannaque dulcoris,
Vero muta gaudio
panem hunc doloris.

27. Gaude, vitis germinans
vinum salutare,
Vitis vitae Dominum
digna generare,
Filiorum filiis
fac nos abundare
Merita dans meritis
posse cumulare.

28. Gaude, per quam hostium
virtus infirmata,
In nos ne praevaleat,
est et expugnata,
Virgo, quae nos aggravant,
discute peccata,
Ne mentem iniquitas
premat prolongata.

29. Gaude, Dei genetrix,
virgo generosa,
De profundis ad te mens
clamat aerumnosa,
Per te reis veniam
praestet, gloriosa,
Apud quem redemptio
regnat copiosa.

30. Gaude, quam rex omnium
humilem respexit,
Qui sublimes hominum
oculos despexit,
Sentiat humillime,
quantum nos dilexit,
Quos se sic humilians
in caelos evexit.

31. Gaude, verbi requies,
locus, quem elegit,
Cuius pater pedibus
omnia subegit,
Super David solium
sedens cuncta regit,
Qui de David filia
nasci praeelegit.

32. Gaude, cuius filius
caelos cum ascendit,
Caritatis regulam
mandat et impendit,
Unguentum in capite
in barbam descendit,
Misso Christus spiritu
suos cum accendit.

33. Gaude, daque gaudium,
mater benedicta,
Sub peccati pondere
gemit mens adflicta,
Pia virgo, subleva
diluens delicta,
Ut sic nobis hostium
cedat mens invicta.

34. Gaude, mater gaudii,
per quam rex illuxit,
Qui suum de tenebris
populum eduxit,
Quos divisis fluctibus
per mare traduxit,
In deserto dirigat
Regens, quos reduxit.

35. Gaude, mater Domino
dominorum digna,
Quod deorum dominum
data decent signa,
Quo mater cum filio
pie nos consigna,
Ne nos circumveniat
Hostis ars maligna.

36. Gaude, nos in filio
veris ditans bonis,
Quos a iugo miserae
solvit Babylonis,
Hic in nobis conterens
capita draconis
Petra quoad parvulos
sit allisionis.

37. Gaude, virgo pariens
regem angelorum,
Templum facta Domini
lausque beatorum,
Te laudantes adgrega
laudibus eorum,
Portantes manipulos,
messem meritorum.

38. Gaude, cuius filius
sedit et respexit,
Cum pro nobis mortuus
Christus resurrexit,
Sic noctem illuminans
triumphator exit,
Cum victor ab inferis
spolia revexit.

39. Gaude, mater luminis,
lumen dans serenum,
Per hoc iter laqueis
scandalisque plenum
Ad regnum per aspera
trahe nos amoenum,
Suscitans ad gloriam
carnis nostrae foenum.

40. Gaude, per quam redolet
incensum divinum,
Christus sacrificium
factus vespertinum,
Da post noctem saeculi
solem matutinum
Cernere, quem credimus
unum atque trinum.

41. Gaude nosque visitans
pias audi mentes,
De te, non de meritis
suis praesumentes
Educ nos de carcere
tibi confitentes,
Ut et nostra portio
sit inter viventes.

42. Gaude, per quam hominum
consulens pressuris
Collocari voluit
Christus in obscuris,
Qui per mortem conferens
vitam morituris
Mentem ab operibus
excitet impuris.

43. Gaude, per quam similis
homo vanitati
Redditur imaginis
primae dignitati,
Haereamus iugiter
per te reformati
Reformantis Domini
sanctae dignitati.

44. Gaude, per quam Dominus
suavis universis
Factus est mirabilis
per fidem conversis,
Ne retro mens abeat
motibus perversis,
Da modum in prosperis,
opem in adversis.

45. Gaude, laus et gaudium
perpes animarum,
Sis lumen, sis mentium
splendor beatarum,
Ut finis praesentium
sit miseriarum
Collata felicitas
laudum supernarum.

46. Gaude, per quam prima laus
mundo consecratur,
Dum Christus ab angelis
natus nuntiatur,
Per quem pax et gloria
facta praedicatur,
Iucundos efficiat,
a quibus laudatur.

47. Gaude, laus Ierusalem,
laus Sion superna,
Experiri viscera,
virgo, da materna,
Nos ad regna gloriae
transfer sempiterna,
Ut sit summa gaudii
Dei laus aeterna.

48. Gaude, quam angelicae
laudant creaturae,
Caelum, sol et sidera
cunctaque factura,
Purga nos, ut placeant
laudes mentis purae,
Sitque meritoria
praesens laus futurae.

49. Gaude daque canticum
novum sic cantari,
Ut possimus homini
novo conformari,
Qui se puris mentibus
pie vult laudari,
Det in suis laudibus
laetos delectari.

50. Gaude nosque veteri
subtrahens ruinae
Transfer ad palatium
maiestatis trinae,
Ubi laus et visio
gloriae divinae,
Omnibus est omnia
finis sine fine.

Cod. Carnoten. (ol. Capit. Carnoten.) 242. saec. 14. A. — Cod. Londinen. Reg. 2 A IX. saec. 14. in. B. — Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. C. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. D. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. E. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. F. — Cod. Taurinen. K V 31. saec. 14. et 15. G. — Cod. Voravien. 328. saec. 15. H.

I. 1, 6 nostras D. — 1, 7 releva D. — 1, 8 felix advocatus AH; deleat reatus E. — 2, 6 conscia peccata A, conscios DE. — Str. 3 lautet in C und D:

C: Ave, cuius filius
mortis a sopore
Resurgendo gloria
fulget et honore,
Christus, qui redemit nos
proprio cruore,
Per te nos eripiat
hostis a furore.

D: Ave, cuius filius
mortis per soporem
Resurgens introiit
corporis honorem,
Quem per mortem colimus
mortis destructorem,
Colamus post suavius
vitae collatorem.

5, 1 domus fidei C. — 5, 2 templum C. — 6, 5 A peccatis omnibus. — 7, 3 iudex patiens D. — 7, 4 iustus atque fortis D. — 7, 5 convertens eruat C. — 7, 7 Evasores D; Et avertat C. — 9, 1 Ave, Sion filia C. — 9, 2 de qua legis C. — Str. 8 und 10 lauten in C:

8. Ave, Christi Domini
genetrix electa,
Caeli, luna, sidera
per quem sunt perfecta,
Cuius iacent pedibus
omnia subiecta,
Qui nos per te dirigat
ad se via recta.

10. Ave, mons iustitiae,
templum sanctitatis,
Caelum facta gloriae,
sedes maiestatis,
Pauperem hunc respice
oculis beatis,
Ut agnoscat viscera
tantae pietatis.

11, 3 salutante D. — 11, 5 fer remedii E. — 11, 7 Ne sanctus E. — 12, 5 Cuius mentis D. — Str. 13 lautet in C;

13. Ave, Sion filia,
per quam liberati
Reddimur ab hostibus
diu captivati,

Per te iam interius
mente renovati
Exsultemus iugiter
summae trinitati.

14, 7 Laetemur in gloria D. — 16, 8 Qui te consecravit D. — 17, 3 Tibi et E. — 17, 7 Per te qui D. — 18, 8 Corrigens E. — Str. 19 lautet in C:

19. Ave, cuius filio,
vero salutari,
Cupimus affectibus
mentis gratulari,

A quo tuis precibus
cupimus salvari
Et a cunctis hostibus
per te liberari.

20, 5 Cuius caput ambiens E. — 20, 6 gloria membrorum C. — 20, 7 sq. Pretiosos lapides infert meritorum E. — 21, 3 sq. Nostros pie perferens in se cruciatus D. — 23, 8 morte quos salvavit E, quos fide purgavit C. — Str. 24 lautet in C:

24. Ave, cuius filius
dulcis est et rectus
Verae nobis gratiae
legifer effectus,

In se nostros ordinet
mores et affectus,
Mansuetos dirigat,
augeat profectus.

27, 2 domus exornata D. — 27, 3 sq. fehlen E. — Die ganze Strophe lautet in C:

27. Ave, mater inclita
veri Orientis,
Crucis ministerio
pie redimentis,

Cuius iam refloruit
caro resurgentis,
Virtus et protectio
fiat suae gentis.

28, 5 dexteris C. — 29, 5 concisum C. — 30, 4 digne custodita D. — 30, 5 sqq. Virtutum mirifice gemmis insignita. In te nostrum gaudium, salus, spes sit sita. D. — 32, 3 Deus fehlt D. — Str. 31—33 lauten in C:

31. Ave, pudicitiae
decus illibatum,
Fac, ne nobis Dominus
imputet peccatum,
Sed confixas conterat
spinas voluptatum,
Omnem confidentium
diluens reatum.

32. Ave, cuius uterus
purus et intactus
Est per sanctum spiritum
caelum verbi factus,
Per te corda dirigat
et informet actus,
A quo reparatus est
mundus culpa fractus.

33. Ave, virgo pariens
mundi salvatorem,
Cuius ineffabilem
gustando dulcorem
Mitte sanctum angelum
nobis adiutorem,
Qui sanctum nos Domini
doceat timorem.

34, 6 sive scutum E. — 35, 4 verae voluptatis D. — 36, 6 sanctae trinitatis D. — 37, 7 perpetuum E. — 37, 8 defensorem D. — 38, 7 gratiam D. — Str. 38 und 40 sqq. lauten in C:

38. Ave, quae iustitiae vias custodisti,
Corde, verbo, opere nunquam deliquisti,
Nos thesauro gratiae dita Iesu Christi,
Quem nostrae substantiae carne induisti.

40. Ave, de qua Dominus nostrae carnis foenum
Sumpsit, super pauperem intendens egenum,
Terge culpae maculas peccatique caenum,
Ut in Deo gaudium nostrum fiat plenum.

41. Ave, quae desideras fontem vitae verae,
Nostrum desiderium mitis intuere,
Ante Dei faciem fac nos apparere
Dans de plenitudine fontis nos gaudere.

42. Ave, mater iudicis, lucis et diei,
Mons et tabernaculum verae requiei,
Prece tua maculas terge cordis mei,
Ut intrare merear ad altare Dei.

43. Ave, quam archangelus salutat caelestis,
Tuae castimoniae custos atque testis,
Per te Dei filius det salutem maestis,
Et nos ornet munere nuptialis vestis.

44, 7 ex te fructus sit D. — 44, 8 Nobis medicina D. — 47, 5 Tu magna, tu praeclara E. — Str. 48 lautet in C:

48. Ave, cuius germine nos sumus redempti
Et de manu inferi potenter exempti,
Christo laus et gloria nos suscipienti,
Tibi, Dei genetrix, ipsum parienti.

50, 1 Ave, quae nos miserans AD, Ave clementissima C. — 50, 3 Quae misericordiae ACD. — 50, 4 Misereris D. —

II. 1, 2 mater, matrum gloria C. — 1, 7 simus Dei E. — 3, 2 Christus fuso C. — 4, 7 Per quod D. — 6, 1 victor mortis C. — 6, 4 Spem impendit C. — 7, 1 virgo per quam Deus C. — 7, 5 sq. nos sancti rege C. — 8, 1 sq. Christus pie C. — 8, 3 Dum D. — 9, 8 offendat D. — 10, 3 Summa turris D. — Str. 11 fehlt D. — 12, 6 perpetuae D. — 12, 8 custodiae C. — Str. 13 lautet in C.

13. Salve, mater, et exaudi voces deprecantium,
Protegendo nos allide vires malignantium,
Ut laetantes Iesu Christi nuntiemus opera
Et ut ipsum nos laudemus translati in dextera.

13, 3 coaptavit D. — 13, 4 Cum D. — 14, 1 sq. de qua verum Deus sumpsit C. — 14, 5 Sic assumptus D. — 15, 5 sqq. lauten in C:

Sic te duce transeamus ab hoc mortis flumine,
Ut laetemur gloriantes in perenni lumine.

16, 1 non attrita C. — 17, 6 Regnans D. — 17, 7 Captivator A, Nos captivos C. — 18, 7 et abluat E. — 22, 1 per quam dat C. — 22, 3 recto sunt E. — 22, 5 rege gressus AE. — 22, 6 labes absorbeat C. — 22, 8 mente moveat C. — 24, 5 sqq. lauten in C:

Quem propina eliquatum nobis tuis precibus,
Ne qua desit plenitudo gratiae fidelibus.

Str. 26 u. f. lautet in C:

26. Salve, parens, cuius partus nulla sunt vestigia,
Sicut viam navigantis non ostendunt maria,
Per te regat nos redemptor in potenti brachio,
Ut eductos de deserto collocet in gaudio.

27. Salve, virgo singularis et manna candidior,
De qua natus vivus panis omni melle dulcior etc.

28, 7 Vitiorum C. — 29, 1 pius fehlt E. — 31, 4 nuntios E. — 32, 6 futuri iudicii D. — 33, 1 delictum D. — 34, 3 sq. Cum de terra nostrae carnis est exorta D. — 36, 1 Salve, Sion D. — 37, 5 Sic expandens DE. — 38, 6 Exaltans D. — 38, 7 quod excedit AE. — 39, 3 Christus E. — 39, 7 Ut ad mane D. — Str. 35—40 lauten in C:

35. Salve, mater et ancilla, summi regis libera,
Nos a iugo servitutis prece tua libera,
Ora Iesum, ut nobiscum signūm bonum faciat
Et a poenis infernorum per te nos eripiat.

36. Salve, virgo gloriosa, dicta Dei civitas,
Cuius firmat fundamenta montium sublimitas,
Qui te fecit, ex te natus est homo humillimus,
Ut exaltet in supernis pusillos altissimus.

37. Salve, mater, cuius natus liber a contagio
Mortem tulit sicut homo sine adiutorio etc.

38. Salve, de qua nostra caro Dei est assumptio,
Cuius partum Deus pater unxit ab initio,
Manus eius te laudantes salvet et eripiat,
Ut in nobis inimici dolus nil proficiat.

39. Salve, nubes, in qua splendor Dei nostri latuit,
Sed procedens porta clausa caeli rex apparuit,
Hic illustrat (!) corda nostra, dirigat et opera,
Qui pro nobis factus homo tua suxit ubera.

40. Salve, mater Dei caeli, pauperum refugium,
Da hic nobis pertransire laqueos venantium
Et sanctorum angelorum adhibe custodiam,
Quae conservet impollutam cordis innocentiam.

41, 5 Tu cedrus multiplicata. D. — 41, 6 tu palma iustitiae C. — 41, 7 In agone nos conforta C. — 41, 8 dans palmam victoriae C. — 42, 3 Cum de carne D. — 42, 5 sqq. lauten in C:

Domum tuam, Iesu Christe, perpes decet sanctitas,
Quam adornant flos pudoris et fecunda castitas.

44, 1 cuius concupivit D. — 44, 2 rex caelestis speciem D. — 44, 5 agamus C. — 44, 6 sabbatismum C. — 45, 2 nova cantat cantica C. — 45, 4 magnifica C. — 46, 2 partus sancti E. — 46, 5 Da sic Christum C. — 48, 3 sq. Postquam venit plenitudo repromissa D. — 48, 7 Ut uniri mereamur

C. — 48, 8 membra vero C. — 49, 5 sq. verschrieben und korrupt D. — 50, 1 via vitae C. — 50, 6 proficiant C.

III. 2, 8 sic nos miseratus D; die ganze Strophe lautet in C:

2. Gaude, virgo regia, de qua procreatur,
Cuius sacro sanguine saucius sanatur
Atque sicut aquila totus renovatur
Et iniquitatibus sic propitiatur.

3, 5 Generale generans C; generale hominis E. — 4, 4 adornatum E. — Str. 4 und 5 lauten in C:

4. Gaude, nubens (!) dissipans ignem vitiorum,
Lux sis et protectio pauperum tuorum,
. . . . . abige desideriorum
Et clementer refice nos pane caelorum.

5. Gaude, sancti spiritus templum singulare,
Per quam mundum visitat Dei salutare,
Tuum nobis filium digne da laudare
Et post hoc exilium hunc hereditare.

7, 2 veri orientis C. — 7, 7 et resurrectio A, et restauratio E. — 8, 4 morte AE. — 8, 6 deperit C. — Str. 9 lautet in C:

9. Gaude, virgo, germinans sine succo florem,
Cum patre principium, sanctorum splendorem,
Qui torrentem in via bibit et dolorem,
Hic per te nos erigat in suum amorem.

11, 1 caeli ianua C, regni ianua DE. — 14, 7 sq. fehlen D; die ganze Strophe lautet in C:

14. Gaude, supereminens angelorum thronis,
De qua nobis prodiit fons dilectionis,
Sic te, mater, moveat vox orationis,
Ut heredes faciat vitae regionis.

15, 6 fidemque secutis C. — 16, 6 formans E. — 16, 7 facias E. — 17, 8 singularis AE. — 18, 1 benignissima C. — Str. 19 und 20 lauten in C:

19. Gaude, mater inclita veri Salomonis,
Nostrae sublevatio tribulationis,
A convalle libera nos plorationis
Gementes hic accolas esse Babylonis.

20. Gaude, per quam gradibus mentis elevamur,
Dum a monte montium opem praestolamur,
In adversis subleva, ne nos opprimamur,
Moderans in prosperis, ut non extollamur.

22, 3 Quando carnem Dominus C. — 22, 4 tibi copulavit C. — 22, 7 In spem C. — 22, 8 quos fide salvavit C. — 23, 7 suis nos C. — 23, 8 possit C. — 24, 3 Ne nimis desaeviat C. — 26, 1 caelica D. — 27, 5 sq. und 7 sq. umgestellt C. — 28, 1 per quam daemonum C. — Str. 30—38 lauten in C:

30. Gaude, mater humilis nec unquam elata,
Sed iam super angelos regnans exaltata,
Fac nos esse parvulos nobis, o beata,
Ut cordis humilitas Domino sit grata.

31. Gaude, per quam gaudium redditur aeternum,
Cuius fructus uteri solium paternum
Obtinet et imperat rex in sempiternum,
A quo nobis impetres bravium supernum.

32. Gaude, mater, subveni mundo iam labenti,
Per te ros a capite descendat unguenti,
Qui infundat largiter oram vestimenti
Et fraternam inserat caritatem menti.

33. Gaude, virgo celebris omni sanctitate,
Ad quam manus tollimus in necessitate,
Per te benedicat nos sua pietate
Christus et custodiat ab iniquitate.

34. Gaude, decus virginum, decus singulare,
Sola Dei filium digna generare,
Servos nomen Domini digne fac laudare,
Qui traduxit Israel medium per mare.

35. Gaude, confitentium Christum laus beata,
Per quem mirabilia cuncta sunt patrata,
Cuius caro mystica nobis esca data
Per te nos reficiat diluens peccata.

36. Gaude, de qua profluit fons redemptionis,
Ora, ne nos flumina mergant Babylonis
Da captivis gaudia liberationis
Ducens nos ad patriam Dei visionis.

37. Gaude, quam confessio laudat electorum,
Audi confitentium verba servulorum,
Templum sancti spiritus et laus angelorum,
Te laudantes adgrega laudibus eorum.

38. Gaude, mater nobilis agni et leonis,
Laesionem perferens agnus passionis
Leo fulgens gloria resurrectionis
Nostrae purget intima cogitationis.

33, 1 de qua gaudium E. — Str. 42 fehlt D. — 43, 5 Habeamus D. — 44, 5 sq. und 7 sq. umgestellt C. — Str. 45 lautet in C:

45. Gaude, laus post filium perpes animarum,
Pupillorum gaudium et spes viduarum,
Fac, ut finis omnium sit miseriarum
Felix iubilatio laudum aeternarum.

49, 1 daque gaudium E. — 49, 3 Ut laetemur homini A.

Dies Psalterium wird in D dem hl. Thomas Aquinas zugeschrieben: „Prologus Sancti Thomae de Aquino in psalterium“; die in sich unglaubwürdige Nachricht ist überdies von einer anderen Hand beigefügt. Die Zuthaten zu dem Psalter variieren. B hat folgende Einleitung:

Ad regales vocatus nuptias
Inter mensae caelestis copias
Ad reginae caeli delicias
Laudis huius libo primitias.

Laudo libens nec licet libere,
Quas liberet, laudes exprimere,
Laudes illi condignas dicere
Nostras liquet vires excedere.

Si perpendat homo, quam praedicat,
Mens non capit, lingua non explicat,
Amor tamen, ausum qui vendicat,
Matrem laudans reginae supplicat.

Honor duplex matris et dominae
In reginae concurrit nomine,
Quae laudatur mater in virgine
Ius excedens et usum feminae.

Haec est enim regina virginum,
Quae caelorum regem et dominum
Irae ponens et morti terminum
Ad salutem concepit hominum.

Tam devotae laudis quam debitae
Consecrator assis, paraclite,
Mentis vota licet immeritae
In beato concludens capite.

Caput ipse et finis omnium
Laudis meta sit et principium,
Cum Mariae mandavit gaudium
Ad commune mundi remedium.

Ad salutem sit et solacium
Sanctae matris salutatorium,
Quae salutis primae subsidium
Per caelestem suscepit nuntium.

Ipse quidem de sacra virgine
Spem reformans salutis pristinae
Dignam dicit salutem dominae
Ave formans ex Evae nomine.

Delectentur audire filii
Dulcis melos epithalamii,
Quod percussa chorda psalterii
Matri psallit totius gaudii.

Hanc ad nostri psalmistae gloriam
Administrat psalmus materiam,
Christi matrem Davidque filiam
Ad salutis salutans gratiam.

Ergo, mater dulcis et domina,
Laudis huius accepta carmina,
Et, pro quibus fundo precamina,
Ipsis laxes et mihi crimina.

Von diesem Prolog hat A nur eine, die letzte Strophe: Virgo mater dulcis et domina etc; am Schlufs Mihi laxes et illis crimina. Einen andern Prologus giebt D:

1. Omnibus excelsior est ipsa Maria,
Ad honorem virginis canit prophetia,
Servit huic historia cum allegoria,
Pariter anagoge cum tropologia.

2. Trahunt currum virginis Marcus et Matthaeus,
Lucas et quem genuit pater Zebedaeus,
Huius in amplexibus cubat homo Deus,
Cuius iuri derogat perfidus Iudaeus.

3. Huic assistunt incolae summae regionis,
Claviger aethereus, vas electionis,
Adest omnis caelicae chorus regionis,
Singulique singulis radiant coronis.

4. Sed quid Alcipiades facit mea cura?
Haec creata dignior omni creatura,
Quam beavit omnibus divina natura,
Hoc sola felicior quia mente (carne) pura.

5. Detam dulciloquio huius virginalis,
Quod non potest aliqua pingi voce talis,
Velat et duplicibus amor plaudat alis,
Amor indeficiens, amor immortalis.

6. Quidquid potest hominum comprehendi mente,
Totum huic virgini consonat repente,
Vocum differentiae qualiter inventae,
Sonet diatessaron atque diapente.

7. Sonitu placabili plaudent harmonia
Tympanum, psalterium, lyra, symphonia,
Sonent atque phialae voce valde pia
Et buxu multiplici (coram) virgine Maria.

Einen dritten Prologus leitet C mit den Worten ein: Incipit psalterium quartum beatae et gloriosissimae virginis Mariae, quod erit die quinta post festum quodcunque de supradictis festivitatibus. Et est illud psalterium mirae redolentiae:

Pravi (!) laus ore cum fecit, virgo Maria,
Laudare more consueto glisco, Maria,
Te dignum fore me posco, virgo Maria,
Corque meum rore caelesti reple, Maria,
Quo sic pinguescat in amore, virgo Maria,
Ut non tepescat in saecula, virgo Maria,
Sed magis ardescat laudando, virgo Maria,
Te nec quiescat semper laudare, Maria,
Ut sic in vita te laudem, pia Maria,
Hac, ut polita mea sit virtute, Maria,
Vita finita cum sit, tecumque, Maria,
In nati vita requiescat, virgo Maria.

XVI. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, virgo, cathedra
Summae maiestatis,
Arbor aromatica
Sanctae trinitatis,
Tota nobis rorida
Fonte puritatis,
Cuncta tua folia
Fructus honestatis.

2. Ave, virgo postulans
In hereditatem
Nobis vitam tribuens
Et felicitatem:
Uti vobis genui
primam veritatem,
Sic vobis [impertiam]
summam claritatem.

3. Ave, mater Domini,
Olim tribulata,
Iuxta crucem lacrimis
veris irrigata,
Cum surrexit Dominus,
multum consolata,
Nunc stans super sidera
Mater honorata.

4. Ave, virgo dormiens
Semper in idipsum,
Nos de morte suscitans,
destruens abyssum,
In meis praecordiis
semper sit infixum,
Quod deplorant omnia
tuum crucifixum.

5. Ave, virgo iubilans
ante Deum patrem,
Qui te sui filii
fecit veram matrem,
Sicque nobis omnibus
se dedit in fratrem,
Qui tuam in omnibus
implet voluntatem.

6. Ave, virgo temperans
Christum in furore,
Iram Dei mitigans
pro me peccatore,
Qui de mundo transiens
magno cum clamore
Te reliquit viduam
mortis in dolore.

7. Ave, Dei genetrix
conterens leones
Et per crucem superans
aëris dracones,
Cum convertis deprecans
magnos peccatores,
Qui per te daemonibus
fiunt fortiores.

8. Ave, mater Domini
multum nominata,
Nomine dulcissimo
semper honorata,
Laudibus infantium
pie dulcorata,
Nobis peccatoribus
clemens advocata.

9. Ave, Dei baiula,
longe recessisti
Et ad patris dexteram
laeta conscendisti,
Magna mirabilia
nobis ostendisti,
Quia nos ut filios
pie dilexisti.

10. Ave, cuius filius
caelos decoravit
Et montes angelicos
omnes transvolavit,
Dei patris dextera
olim exspectavit,
Donec te cum filio
semper honoravit.

11. Ave, cuius labia
dolum nescierunt,
Oscula dulcissima
Deo praebuerunt,
Beatos apostolos
sic erudierunt,
Quod errorum labia
cuncta destruxerunt.

12. Ave, virgo baiulans
mundi salvatorem,
Usquequo non deseris
magnum peccatorem,
Ora pro me, deprecor,
mundi redemptorem,
Ut videre valeam
meum creatorem.

13. Ave, virgo sapiens,
cum qua fuit Deus,
De te carnem induens
semper verus Deus,
Ad te stillant oculi,
tu sis amor meus,
Apud quam refugium
quaerat homo reus.

14. Ave, tabernaculum
summae puritatis,
Deitatis thalamus
summae claritatis,
Nobis peccatoribus
templum pietatis,
In quo semper residet
Deus maiestatis.

15. Ave, mundi gloria,
ego congregabo
Paradisi cantica
sicque iubilabo
Et tuo conspectui
cuncta praesentabo,
Sic in tantis laudibus
te nunc exaltabo.

16. Ave, Dei genetrix,
quae examinata
Munda super aurum
semper es probata
Et virtutum domina
sic magnificata,
Quod ad patris dexteram
es glorificata.

17. Ave, mater Domini,
nostra fortitudo,
Servos tuos condecet
mira sanctitudo,
Amare te, domina,
magna celsitudo,
Quoniam nos elevat
tanta pulchritudo.

18. Ave, virgo caelica,
veni declarare,
Quem sub sole voluit
tecum habitare,
Qui mundum imperio
potuit creare,
Et quem caeli nequeunt
omnes enarrare.

19. Ave, virgo protegens
omnes tribulatos,
Quos vides in fidei
ancora fundatos
Hos in morte visitas
reddens consolatos
Et ad caeli curiam
ducis coronatos.

20. Ave, virgo caelica,
quae tunc exsultasti,
Quando desiderium
tantum dilatasti,
Quod caelorum dominum,
alma, baiulasti
Et virgo puerpera
Deum demonstrasti.

21. Ave, mater audiens,
quando praevenisti
Ad crucis patibulum,
ubi defecisti:
Deus, Deus meus, cur
me dereliquisti?
Et transfixa gladio
pie defecisti.

22. Ave, cuius pascua
Christus habitavit,
Cuius sanctas lacrimas
pater adprobavit,
Totam vitam caelibem
Christus consecravit
Et in patris dextera
secum collocavit.

23. Ave, mundi gloria,
fac nos spiritales,
Ut sic nobis reseras
portas aeternales,
Et Christus, rex gloriae,
suos commensales
Tecum semper videat
sanctis coaequales.

24. Ave, Dei genetrix,
ad te cor levamus,
Peccatrices animas
tibi commendamus
Et cum cordis gemitu
ad te vigilamus,
In misericordia
tua respiramus.

25. Ave, domus Domini,
decor aeternalis,
Cuius est in gloria
honor singularis,
Quae in Dei filio
patri est aequalis
Et est sancti spiritus
thronus triumphalis.

26. Ave, virgo praesidens
caeli in honore,
Ad nos sanctos oculos
verte cum amore,
Intercede supplicans
pro me peccatore,
Ut ad te perveniam
mortis in agone.

27. Ave, cuius
proles plebis salus,
Per quam omnis
fugit hostis malus,
Tuam salva
plebem, ne sit ullus
Tui expers
doni, quamvis malus.

28. Ave, Dei genetrix,
cui detulerunt
Magi sua munera,
cum adoraverunt,
Tuum puerperium
sic exsultaverunt,
Cum ad stellae radium
Deum cognoverunt.

29. Ave, mundi gloria,
tu me de inferno
Eduxisti, domina,
lumine superno,
Suscipe me, supplico,
brachio materno
Ulnisque, ut cernam te
visu sempiterno.

30. Ave, cuius filius
mortem patiendo
Exclamavit fortiter:
tibi recommendo
Gloriosum spiritum
sitim patiendo,
Per effusum sanguinem
mundum redimendo.

31. Ave, Dei baiula,
illi sunt beati,
Qui sunt sancti pariter
et immaculati,
Post remissa crimina
per te consolati,
Dono tuae gratiae
sunt magnificati.

32. Ave, spes humilium,
vere es beata,
Quia es cum filio
semper honorata,
Super caeli sidera
nunc clarificata,
Nobis peccatoribus
dulcis advocata.

33. Ave, super angelos
Deum benedicens
Et cunctis mortalibus
mundum interdicens,
Obstinatos, domina,
iure maledicens;
Heu, est pura veritas,
non sit contradicens.

34. Ave, Christi gloria,
crucem apprehende
Et de caelo veniens,
pia, me defende,
Victos hostes animae
penitus ostende,
Hanc caelestem rompheam
fortiter extende.

35. Ave, virgo virginum,
de qua dicunt iusti:
Vera mater diceris
summi Iesu Christi,
Te collaudant spiritus
omnes circumscripti,
Quae hunc fontem gloriae
de te genuisti.

36. Ave, sponsa Domini,
veni nos iuvare,
Malignantes daemones
veni conturbare
Vitamque mortalium
sic mortificare,
Quod vitam perpetuam
possint reportare.

37. Ave, cuius filium
cruci adfixerunt,
Pacem sancti corporis
totam destruxerunt;
O beata vulnera,
quae sic ploraverunt,
Quod Deum et hominem
pacificaverunt!

38. Ave, Dei baiula,
felix peregrina,
Quae in caelo rutilans
mater et regina,
Per te mundi criminum
facta est ruina,
Nec in nobis remanet
tribulus aut spina.

39. Ave, Dei genetrix,
olim exspectata,
In caelorum sedibus
digne collocata,
ibi serto gloriae
semper coronata,
Per te caeli requies
sit nobis donata.

40. Ave, mater pauperum,
ad quam clamaverunt,
Quam sibi propitiam
semper innuerunt,
Inanes divitias
per te contempserunt,
Sic ad summa gaudia
per te pervenerunt.

41. Ave, fons in montibus
caeli collocatus,
De quo bibit sitiens
servus fatigatus,
Quia omnes fortiter
fregit potentatus
Et catenas daemonum
[A te] roboratus.

42. Ave, cuius thalamo
iudex est egressus,
Causas qui determinet
iudicans excessus,
Per quam mentis oculus
tenebris oppressus
Discat, ut in lumine
suos ponat gressus.

43. Ave, mater Domini,
quae nos adflixisti,
Quid tuam praesentiam
nobis subtraxisti?
Veni, mater Domini,
quare distulisti?
Redde nobis filium,
quem tu genuisti.

44. Ave, virgo virginum,
verbum incarnatum
Eructas in tempore
de te procreatum
Et vides in gloria
sic glorificatum,
Quod obumbrat penitus,
quidquid est creatum.

45. Ave, quae refugium
nostrum evocasti,
De caelis descendere
ad terram fecisti,
Adversum nos fuerit
si turbata terra,
Te iuvante filii
statim cessat ira.

46. Ave, cuius filius
iubilans ascendit,
Scandens super sidera
nobis iter pandit
Et corda fidelium
caelitus accendit
Mundumque per spiritum
sanctum reprehendit.

47. Ave, mundi domina,
miserere nostri,
Tu quae sola diceris
mater Iesu Christi,
Per te casus patuit
sanctitatis hosti,
Contra quem auxilium
praesta, sicut nosti.

48. Ave, mater audiens
gemitus iustorum,
Simul et intellegens
voces miserorum,
A perfectis removens
vias scandalorum
Atque nos associans
choris angelorum.

49. Ave, virgo virginum,
speculum decoris,
Mater clementissima
nostri redemptoris,
Animam sanctifica
mei peccatoris,
Ut videre valeam
vultum creatoris.

50. Ave, nostra gloria,
mater honorata,
In misericordiis
Deo consecrata,
Sis ad tuos servulos
semper inclinata,
Ut nos mundes iugiter,
quotiens vocata.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, Dei baiula,
semper gloriaris
In caeli palatio,
ubi deprecaris
Tuum [dulcem] filium,
cum quo iucundaris,
Et sic nobis miseris
clemens inclinaris.

2. Ave, Dei genetrix,
tu mihi dixisti:
Mea sancta studia
quare reliquisti?
Quare conscientiae
leges dimisisti?
Hic assum propitia,
si paenituisti.

3. Ave, Dei genetrix
virgo, immolabo
Tuo sancto filio
et sacrificabo
Cor contritum, domina,
coram te plorabo,
Donec plenam veniam
gemens impetrabo.

4. Ave, Dei genetrix
cruce contristata,
In cruore filii
multum tribulata,
Sed, cum surgit Dominus,
multum consolata,
Tunc sunt caeli cantica
tibi reserata.

5. Ave, Dei genetrix,
quae pertimuisti
Tunc sanctum parasceve,
quando defecisti,
Dum, quem Dei filium
virgo cognovisti,
Eum in patibulo
mori prospexisti.

6. Ave, fons clementiae,
virgo benedicta,
Per te taetra daemonum
sunt ora constricta,
Et leonum omnium
corda sunt partita,
Ne me tandem separent
a perenni vita.

7. Ave, virgo virginum,
daemones astuti
De partu virgineo
falsa sunt locuti,
Nos in tuis laudibus
simus sic acuti,
Ut Christi iudicium
videamus tuti.

8. Ave, Dei genetrix,
ora Deum patrem,
Ut det nobis gratiam
et felicitatem,
Ad hoc, virgo caelica,
cernis trinitatem,
Ut cor nostrum compleat
Dei voluntatem.

9. Ave, quae daemonia
cuncta repulisti
Et repellens penitus
ea destruxisti
Et nobis misericors
semper exstitisti,
Postquam super sidera
felix ascendisti.

10. Ave, Dei genetrix,
quae stas super caelos,
Nos a terrae facie
damus tibi melos,
Ut, cum mors advenerit,
cuius cursus velox,
Ad te currant animae,
ruat turba ferox.

11. Ave, Dei gloria,
iuncta Deo vero,
Praelata sideribus,
pro te laetus fero
Nunc carnis supplicia,
quia de te spero,
Quod in Dei gloria
tecum semper ero.

12. Ave, Dei genetrix,
multum vigilabas,
Cum virgo puerpera
Christo ministrabas,
Tunc ad paenitentiam
cunctos provocabas,
Cum Deum praesepio
duro collocabas.

13. Ave, lumen martyrum,
in Christi cruore
Iacens in angustiis
et magno dolore,
Tecum plangunt omnia
passo salvatore,
Sed in pascha iubilas
viso redemptore.

14. Ave, virgo virginum,
norma sanctitatis,
Decet te purissimum
fontem bonitatis
Stella solem parere
mirae claritatis,
Ut sic nos illumines
luce veritatis.

15. Ave, Dei baiula,
sursum dominaris,
Et a peccatoribus
clemens advocaris,
Tunc in terris, domina,
multum exaltaris,
Cum misericordiae
tuae recordaris.

16. Ave, Dei mater, tu
nostri miserere
Nostrasque miserias
clemens intuere,
Tuum sanctum brachium
potest removere
Omne, per quod possumus
Deo displicere.

17. Ave, Dei genetrix,
columba gemmata,
Pennae cuius aureae,
caro consecrata,
Volitans per sidera,
mater honorata,
Corda sursum subleva
Deo dedicata.

18. Ave, cuius filium
cruci adfixerunt,
Et aceto felleo
ipsum potaverunt,
Raucae voces Domini
flentis defecerunt,
Quae superbos daemones
adnihilaverunt.

19. Ave, Dei genetrix,
caelitus festina,
Veni cum clementia,
caelorum regina,
Eleva, misericors
stella matutina,
Ne nos tandem sorbeat
scelerum sentina.

20. Ave, Dei baiula,
nunquam desperavi,
In tua clementia
semper spem locavi,
Te usque in senium
semper invocavi
Et cum sancto gemitu
te desideravi.

21. Ave, Dei genetrix,
nunc ne elongeris,
Sub caelesti sidere,
decet, adoreris
Et novis donariis
ita memineris,
Quod Dei altissimi
mater comproberis.

22. Ave, sancta domina,
zelus animarum,
Nos de malis liberans
harum tenebrarum,
Devotos inebria
fonte gratiarum,
Ut mensae accumbamus
agni epularum.

23. Ave, Dei gratia,
lumen paradisi,
Ver et aestas gloriae,
ut quid te dimisi?
Sis, quaeso, misericors
in his, quae commisi,
Fons misericordiae,
ut saepe praemisi.

24. Ave, admirabilis
per hoc universum,
Occidens oriensque
caelum per transversum,
Me indignum ablue
faecibus demersum,
Hinc ad caelum eleva
lotum et extersum.

25. Ave, Dei genetrix,
viatorum via,
Lumen paris luminum,
orta de Iudaea,
Tu facta fiducia,
tota salus mea,
Ne damnetur anima
summa poena rea.

26. Ave, Dei genetrix,
nescis consolari,
Sed ad crucem Domini
flere, lamentari,
Dum tam sanctum filium
vides immolari
Et mundum visibilem
totum conturbari.

27. Ave, ductrix populi
valde generosi
Per desertum saeculi
valde tenebrosi,
Hos de manu Satanae
valde venenosi
Liberas ad gloriam
Dei gloriosi.

28. Ave, cuius filii
sanguinem fuderunt,
Stillae sancti sanguinis
omnes clamaverunt,
Mater clementissima
te desolaverunt,
Nobis peccatoribus
cor inflammaverunt.

29. Ave, super Cherubim
plus illuminata,
Supra sanctos Seraphim
plus es inflammata,
In te quia deitas
est humiliata
Et nostra fragilitas
nimis exaltata.

30. Ave, Dei genetrix,
Aegyptum intrasti,
De Aegypto exiens
Nazareth amasti,
De terris progrediens
caelos adornasti
Et decoras omnia,
pro nobis orasti.

31. Ave, Dei genetrix,
flos caeli caelorum,
Mater es dulcissima
regis angelorum,
Ad te levat oculos
genus peccatorum,
Optans iungi coetui
omnium sanctorum.

32. Ave, mater Domini,
nunquam confunderis,
Tu hostes ecclesiae
semper persequeris,
Pro tuis fidelibus
semper inflammaris,
Donec eos videas,
ubi principaris.

33. Ave, virgo virginum,
ara consecrata,
Ture suavissimo
semper inflammata,
Caro Christi florida
tecum collocata
Et a sanctis angelis
semper honorata.

34. Ave, nostra gloria,
tecum habitavit
Mitis, clemens Dominus,
qui sic mitigavit
Iram Dei rabidam,
quod pacificavit
Angelum et hominem
teque coronavit.

35. Ave, Dei gloria,
inops pauper ego
In magnis miseriis
vitam istam ago,
Luce tui filii
caelitus me rego,
Cum veris gemitibus
ad te fide pergo.

36. Ave, Dei genetrix,
nimis gloriosa
Coram Dei filio,
pulchra sicut rosa,
Coram sanctis angelis
tota speciosa,
Nobis peccatoribus
gemma virtuosa.

37. Ave, cuius filius
baratrum turbavit
Et sanctorum animas
potens liberavit,
Resurgens a mortuis
tecum exaltavit,
Quam in caelis gloria
secum coronavit.

38. Ave, virgo virginum,
finis prophetarum,
Quam cunctis praedixerant
umbris figurarum;
Hunc Messiam genuit,
fontem gratiarum,
Ad nostrarum scilicet
curam animarum.

39. Ave, templum Domini,
refugium horum,
Qui tuorum lucidant
gemmis triumphorum,
Per te sic accipiunt
flores meritorum,
Quod tandem subsequitur
fructus praemiorum.

40. Ave, scutum aureum
rutilans in bello,
Quo cuncti protegimur
mortis in duello,
Per te, virgo virginum,
fortiter repello
Iacula nequitiae
pedum sub scabello.

41. Ave, palma florida
mirae potestatis,
Oliva pinguissima,
palmes veritatis,
Bonum est colligere
fructus caritatis
In hoc viridario
summae deitatis.

42. Ave, flos ecclesiae
induens decorem,
Christus habens cum patre
aequalem splendorem
Induit te, domina,
cuius ad odorem
Tua dulcis anima
liquat in amorem.

43. Ave, felix domina,
semper exsultare,
In tuis fidelibus
veni commutare
Lacrimas in gaudium,
luctum excitare,
Quo per te videam te
caelos decorare.

44. Ave, cuius stabulum
corde visitamus,
Propitiatorium
tuum adoramus,
Coram te procidimus,
coram te ploramus,
Ut in mortis transitu
per te quiescamus.

45. Ave cuius canimus
cum devotione,
Verbum caro factum est
mira ratione,
In cuius te vidimus
dura passione
Transfixam in animo
duro pugione.

46. Ave, caeli domina,
Christus tunc regnavit,
Crucis in patibulo
quando triumphavit
De cunctis daemonibus,
quos exterminavit,
Cum clamore valido
vitam terminavit.

47. Ave, fons mirabilis
omnium novorum,
Stupor admirabilis,
paris angelorum
Cum Deum in medio
semper creatorum,
Terra tibi resonat
cantus canticorum.

48. Ave, supra Cherubim
rosa rubicunda,
Stella nobis rutilans
semper et iucunda,
Nostras conscientias,
quaesumus, emunda,
Ne nos tandem rapiat
fera mors secunda.

49. Ave, Dei genetrix,
tibi iubilemus,
Tuo sancto filio
semper exsultemus,
Ut, cum mors advenerit
ei sic astemus,
Quod per tuum brachium
nihil trepidemus.

50. Ave, cuius filius
salvat hunc a dextris,
Illum vero reprobat,
qui est a sinistris,
Iste iuste traditur
Satanae ministris,
Ille felix moritur
sanctus et illustris.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, cuius filius
omnia fundavit,
Post haec tentus Dominus
crucem decoravit,
Cuius sancta passio
mundum perturbavit,
Nobis peccatoribus
caelum reseravit.

2. Ave, nostras animas
salvans a peccatis,
Vetustatem renovans
igne caritatis,
Benedic me, domina,
vena sanctitatis,
Ut ad fontem veniam
summae bonitatis.

3. Ave, Dei genetrix,
super firmamentum
Vestis lumen luminum
sicut vestimentum,
Mitte nobis spiritus
sancti munimentum,
Ne nos tandem devoret
tartari tormentum.

4. Ave, Dei genetrix,
semper te quaeramus
Et in tuo filio
semper gaudeamus,
Quidquid nobis obviat,
totum prosternamus,
Ut ad Dei gloriam
tandem veniamus.

5. Ave, mater Domini
ducens viatores
Per desertum aridum
contra bellatores,
Quos nobiscum superas,
sic triumphatores,
Plenas palmas capiunt,
nullae dulciores.

6. Ave, Dei filia,
quem tu genuisti,
Laudes ineffabiles
ei cecinisti,
Mundum lapsum, domina,
tu sic erexisti
Et per orbis climata
sanctos collegisti.

7. Ave, sancta labia
Domino parata,
In qua summa deitas
fuit hospitata,
Synagoga corruit
et iacet prostrata,
Sancta stat ecclesia
caelis sublimata.

8. Ave, cuius filium
capiunt dolosi,
Os suum aperiunt
quidam venenosi
Bibuntque de calice
Christi generosi
Et fiunt per amplius
digne tenebrosi.

9. Ave, cuius filio
Deus pater dixit:
Mecum, fili, sedeas,
teque benedixit,
Qui terram in opere
nostro maledixit,
Huius mundi gloriam
nobis interdixit.

10. Ave, cuius filius
panis est iustorum,
Esca suavissima,
manna viatorum
Miraque refectio
sancta bellatorum,
Ipsos tandem socians
choris angelorum.

11. Ave, stella radians
miram claritatem,
Quae sub sole protulit
Dei maiestatem,
Circum caeli circuis
ad utilitatem
Omnium, qui invocant
tuam pietatem.

12. Ave, mater pueri
et flos liliorum,
Quem cum psalmis pueri
laudent Hebraeorum,
Sanctus, sanctus canimus
vocibus eorum
Adiungentes Hosanna,
salus excelsorum.

13. Ave, virgo Israel
aperiens Aegyptum,
Portans regem gloriae
verum, Iesum Christum,
Caeli montes iubilant,
cessat interdictum,
Sic in lege Domini
olim est praedictum.

14. Ave, Dei gloria
summe diligenda
Et a peccatoribus
semper invocanda,
Ut cum tandem venerit
hora metuenda,
Transferat ad gaudia
nunquam terminanda.

15. Ave, Dei genetrix,
in excessum mentis
Vi amoris spiritus
rapta vehementis,
Da nobis incendium
flammae tam ferventis,
Quo rumpantur vincula
corporis viventis.

16. Ave, Dei genetrix
olim tribulata,
In ruina gentium
felix advocata,
Sta pro nobis, quaesumus,
totiens vocata,
Ut post mortem anima
vivat consolata.

17. Ave, Dei genetrix,
cui patuerunt
Portae caeli splendidae
teque susceperunt,
Tui sancti gemitus
omnes transierunt,
Et aeterna gaudia
tibi successerunt.

18. Ave, felix domina,
sancti qui scrutantur
Tua sancta studia
sicque gloriantur,
In peccatis omnibus
quod non superantur
Et post dura proelia
per te coronantur.

19. Ave, scandens sidera
gradibus virtutum,
Post te ducens populum
duce destitutum,
Clamant hic, o domina:
iter non est tutum,
Nisi dextram porrigat
vertens ad nos vultum.

20. Ave, videns caelitus
nos hic oppugnari,
In saeculo petimus
caelitus iuvari,
Soli namque nequeunt
in via cremari,
Qui in tuo nomine
sciunt proeliari.

21. Ave, indeficiens
iubilus iustorum,
Qui exsultant in terra
de spe futurorum,
Quod profecto venient
ad Deum deorum
Per virtutum opera
atque meritorum.

22. Ave, mundi domina,
cui famulamur,
Quando nos pro meritis
iuste flagellamur,
Tibi summe clamamus,
ut non occidamur,
Morte digni penitus
per te protegamur.

23. Ave, nobis porrigens
manum de excelso,
Qui in quanto mergimur
luto praeexcelso,
Sed nos, mater, abluis
daemone submerso
Et in sanctis lacrimis
penitus immerso.

24. Ave, mons altissimis
collibus vallatus
Et in sexto quolibet
fortiter firmatus,
Sit excelsa domina
per te sic flammatus,
Quod excelsis montibus
sit assimilatus.

25. Ave, mater obvians
scalam ascendenti,
In hoc gradu septimo
ad te revertenti,
Laxas austro frigidum
in se frigescenti,
Ut sit totus igneus
a Deo creanti.

26. Ave, mensa Domini
deliciis plena,
Ecce, tibi obviat
nunc haec plebs egena,
Christum cum gustaverit
facie serena,
In octavo redeat
ad superna regna.

27. Ave, nostra gloria
et beatitudo,
Uxor agni caelici,
cuius pulchritudo
Videntes inebriat,
tua sanctitudo
Mentes nostras capiat
atque magnitudo.

28. Ave, princeps gentium,
sub qua militamus,
Oppugnamur fortiter,
sed in te speramus,
In hoc gradu decimo,
quod subiciamus
Potestates hostium
et sic triumphamus.

29. Ave, quae non desinis
nos hic adiuvare,
In gradu undecimo
dextram manum dare
Et de profundissimis
pia liberare,
Quos peccati fovea
coepit devorare.

30. Ave, flos humilium,
fugiens elatos,
In hoc gradu inclito
a te elongatos,
Quos a Deo conspicis
esse reprobatos,
Et ad antra tartari
semper reprobatos.

31. Ave, vovens Dominum
semper hospitari,
In hoc gradu nobili
semper iucundari,
Hic tam magnus Dominus
de te generari
Voluit in Effrata,
per te venerari.

32. Ave, pacis aemula,
pace gloriaris,
In hoc gradu fidei
unum iucundaris,
In fratrum concordia
beatificaris
Omnemque discordiam
summe detestaris.

33. Ave, noctis nescia
lucerna caelorum,
Huius gradus utero
decus creatorum,
Nos absolve, quaesumus,
nexu peccatorum,
Ut nobis aperias
portas beatorum.

34. Ave, mater nomine
Iesu decorata,
Huius gemmae nobilis
luce radiata,
Mira sunt prodigia
per hoc declarata,
Et nostra condicio
multum exaltata.

35. Ave, cuius filius
maius luminare
De te matre voluit
mundo rutilare,
Solem, lunam, sidera
pariter ornare
Et in patris dextera
tecum coruscare.

36. Ave, virgo reprobans
statum Babylonis
Duraque servitia
regis Pharaonis,
Illic stantes flevimus
hostes creatoris,
Organa suspendimus
iubilationis.

37. Ave, Dei baiula,
laudes sonuerunt,
Tibi sancti angeli
laeti cecinerunt,
Ad tuum imperium
statim descenderunt
Et in tuis laudibus
nos inflammaverunt.

38. Ave, constans domina,
quam Deus probavit,
Quam in crucis proelio
multum tribulavit,
Cum surrexit Dominus,
tibi reseravit
Infinita gaudia
teque sublimavit.

39. Ave, nubes candida
discurrens per caelum,
Obumbravit parvulo,
cum vadit ad bellum,
Ad fugandum daemones
eleva flabellum,
Et sic palmam deferam
forte per duellum.

40. Ave, mater filii,
quem audis clamantem
Et cum sanctis lacrimis
Deum deprecantem,
In crucis patibulo
tura concremantem,
Peccatores miseros
ad se revocantem.

41. Ave, cuius filius
medio pendebat,
Unus ex latronibus
quem vilipendebat,
Quam magnum iudicium
Christus ostendebat,
Cum unum deificat,
alium spernebat.

42. Ave, cuius filius
in cruce pendebat,
Sanctam precem Domino
nudus offerebat,
Suum sanctum sanguinem
pro nobis fundebat,
Aqua ferventissima
mundum diluebat.

43. Ave, princeps Sabaoth
veniens ad bellum,
Signo crucis aureo
destruis infernum,
Da, rogamus, domina,
sic robur internum,
Quo tu nobis conferas
regnum sempiternum.

44. Ave, Dei genetrix,
quam hic exaltabo,
Tuum sanctum filium
nunc magnificabo,
Regni tui gloriam
ego suspirabo,
Ut ad te perveniam,
quando hinc migrabo.

45. Ave, virgo, exitus
felix ex hoc mundo,
Exiturus etiam
pios fletus fundo,
Ut ad te perveniam
animo iucundo,
Per te Deum videam
facto corde mundo.

46. Ave, Dei genetrix,
in psalmis probata
Et in Dei laudibus
multum decorata,
Per te corda languida
semper sunt sanata
Et virtutum sidera
nobis numerata.

47. Ave, Dei baiula,
quae Deo cantabas
Alleluia floridum
in ore portabas,
Ad laudandum Dominum
omnia vocabas,
Me indignum servulum
ad hoc invitabas.

48. Ave, quae in laudibus
obtines primatum,
Quia super omnia
servas caelibatum,
Ex te mundo proferens
lumen increatum,
Quod transcendit omnia
nunc clarificatum.

49. Ave, Dei genetrix,
lucis philomena,
Cantans supra Cherubim,
deitate plena,
Sis nobis propitia,
mater tam amoena,
Ad me vertas oculos
facie serena.

50. Ave, virgo iubilans
in aeternitate
Cum hymnis et canticis
de divinitate,
Et cum sanctis omnibus
flagras caritate
Et inaccessibili
stas felicitate.

Orat. ms. S. Germani a Pratis saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Parisin. 14156.
1. 2, 5 sq. vobis primam genui veritatem. — 2, 7 ein Wort infolge Verletzung der Hs. unleserlich. — 9, 5 miracula. — 9, 7 Qui nos. — 12, 3 Usquequo tu deseris. — 16, 3 aurum dreisilbig oder verschrieben. — 17, 1

mater Christi. — 17, 2 nostraque. — 21, 4 Lies vielleicht tu stetisti oder astitisti? — 27. Diese Strophe hat auffallenderweise ein anderes Versmafs. — 29, 7 ut te cernam. — 32, 3 Cuius eius filio. — 34, 5 animae hostes. — 41, 5 fortiter omnes. — 45, 1 sq. nostrum refugium. — 45, 3 sq. ad terram descendere fecisti. — 45, 5 sq. nos turbata si fuerit terra. — 45, 7 sq. statim cessat filii. — 47, 5 patuit casus. — 48, 7 Et nos.

II. 2, 4 dereliquisti. — 6, 1 foedus clementiae. — 8, 2 ante Deum. — 8, 5 virgo tu caeli. — 13, 5 plangent. — 18, 6 flentes. — 19, 5 Eleva nos. — 24, 1 Ave quae. — 24, 3 Per occidens; lies Occidensque oriens? — 24, 4 caelumque per. — 24, 5 Tuum me indignum. — 24, 6 dimersum. — 31, 7 Coetui optans iungi. — 38, 5 lies Hinc oder Haec? — 41, 2 misericordiae potestatis. — 42, 3 sq. Christus aequalem cum patre habens. — 50, 2 a fehlt.

III. 5, 7 Ut per orbis. — 9, 7 Post huius mundi. — 15, 7 rumpuntur. — 20, 5 fehlen zwei Silben; namque ergänzt. — 22, 5 lies canimus? — 23, 8 emerso; oder lies everso? — 25, 7 Et sit. — 34, 1 sq. mater Iesu nomine. — 41, 3 sq. Quem unus ex latronibus. — 41, 7 unum fehlt. — 45, 1 fehlen zwei Silben; virgo ergänzt. — 50, 6 fragras.

XVII. Psalterium beatae Mariae V.

auctore Anselmo Cantuariensi.

Prima Quinquagena.

1. Ave, mater advocati,
Qui beatus consilio
Aula ventris incorrupti
Processit ut ex thalamo.

2. Ave, mater, cuius partus
Postulavit Deum patrem
Et accepit, quas redemit,
Gentes in hereditatem.

3. Ave, mater, cuius partus
Obdormiens patiendo,
In sepulcro soporatus
Mortem vicit resurgendo.

4. Ave, mater cuius partus
Nobis dedit in sanguine,
Ut signetur baptizatus
Divinitatis lumine.

5. Ave, mater, cuius partus
Scuto bonae voluntatis
Nos coronat propitius,
Lux immensae maiestatis.

6. Ave, thronus deitatis,
In quo Deus maiestatis
Dignatus homo fieri,
Se convertit misereri.

Unde et nostras animas
Eripuit in gratia
Et, quas effecit liberas,
Salvas fecit in gloria.

7. Ave, mater, cuius partus
Sua fecit iustitia,
Ut in nobis patris eius
Sint iusta adiutoria.

8. Ave nostra advocatrix
Atque vitae reparatrix,
Cuius partus super ipsos
Dominus est caeli thronos.

9. Ave, Sion, in qua Deus
Habitavit homo factus,
In quem sperant enixius,
Qui noverunt nomen eius.

10. Ave, virgo singularis,
Placens aula virginalis,
Cuius in templo Dominus
Et in caelo sedes eius.

11. Ave, cuius in filio
Salutem pater posuit,
In quo sicut in unico
Fidem nostram constituit.

12. Ave, de cuius filio,
Salutari Dei patris,
Exsultamus in Domino,
Qui bona tribuit nobis.

13. Ave, nostra advocatrix,
Captivorum liberatrix,
De qua Sion Emmanuel
Salutare fit Israel.

14. Ave, cuius mons filius
Dei patris est unicus,
In quo sancti requiescunt,
Qui veritatem diligunt.

15. Ave, regina virginum,
Mater virgo post filium,
Cuius partus hereditas
In electis est praeclara.

16. Ave, mater, quam praedicat
Iure nostra mortalitas,
Quia tuus mirificat
Partus misericordias.

17. Ave, quam laudant spiritus,
Cui virtus omnis concinit,
De cuius caelo Dominus
Carnis nube intonuit.

18. Ave, cuius virgineo
Deus processit thalamo,
Dotali nobis gratia
Se praebens in sponsalia.

19. Ave, Sion, de qua Deus
Nos tuetur incarnatus,
Memor nostri libaminis
In pace sui corporis.

20. Ave, mater, cuius partum
Caelestis pater unicum
In saeculum dat gentibus
In benedictionibus.

21. Ave, mater, cuius partum,
Panem vitae nobis factum,
Pingues terrae, ex quo vivant,
Et manducant et adorant.

22. Ave, nostra advocatrix,
Cuius partus mensa patris,
Est nobis consolatio,
Ne frangat tribulatio.

23. Ave, regina gratiae,
Cuius partus rex gloriae,
Rex est virtutum Dominus,
Lux de luce, Christus Deus.

24. Ave, cuius virgineo
Processit e sacrario
Una salus omni mundo,
Dulcis Deus, rectus homo.

25. Ave, nostra advocatrix
Et lapsorum reparatrix,
De qua Deus factus homo
Solus stetit in directo.

26. Ave, mater, cuius sponsus
Et creator et filius,
Deus illuminatio,
Salus est et redemptio.

27. Ave, mater redemptoris,
Caro cuius effloruit,
Quando passus gustum mortis
De sepulcro resurrexit.

28. Ave, mater castitatis,
De qua Deus maiestatis
Scripturarum voces pluit
Et virtutes intonuit.

29. Ave, mater, cuius partus
Resurgendo nobis factus
Matutina laetitia,
Nostra spes est et gloria.

30. Ave, caelestis domina,
Cuius partus iustitia
Est nostra liberatio
Et in Deum protectio.

31. Ave, mater singularis,
Cuius haec est fecunditas,
Qua beatis viris omnis
Remittitur iniquitas.

32. Ave, stella virginalis,
Cuius partus singularis
De cathedra nos docuit,
In cruce quando obiit.

Ipsi tunc bene psallimus
Decem chordis psalterii,
Ad ipsum cum referimus
Decalogum mysterii.

33. Ave, mater, cuius partus,
Cibus vitae nobis factus,
Gustare dedit mentibus,
Quam suavis est Dominus.

34. Ave, mater, cuius partus
Salus nobis est effectus
Effusa patris framea,
Quae scidit nostra vulnera.

35. Ave, mater, cuius partus,
Torrens summae voluptatis,
Verbum patris homo factus,
Fons vitae est splendor lucis.

36. Ave, caelestis ianua,
Qua processit Emmanuel,
Cuius lumen iustitia,
Iudicium meridies.

37. Ave, mater, quae gaudium
Peperisti fidelium,
Ante quem desiderium
Manet se diligentium.

Per ipsum noster gemitus
Patri non est absconditus,
Dum se facit advocatum
Pium praebens exauditum.

38. Ave, mater, de qua nostra
Processit exspectatio,
In qua nostra substantia
Patris consedit solio.

39. Ave, mater, cuius partus
Se pro nobis holocaustum
Fecit Deus caro factus,
Solus nostrum remedium.

40. Ave, mater, cuius partus
Nostras sanavit animas,
Solus potens advocatus
Agens causas, solvens culpas.

41. Ave, mater, cuius laudes
Sonus fiunt epulantis,
Scripturarum cibi dulces
In voce confessionis.

42. Ave, mater, cuius partus
Est altare Dei patris
Laetificans intuitus
Iuventutis nostrae mentis.

43. Ave, quae patris brachium
Peperisti, Iesum Christum,
Cuius illuminatio
Vultus Dei fit visio.

44. Ave, cuius visceribus
Deus pater ingenitus
Eructavit verbum bonum,
Scilicet unigenitum.

45. Ave, cuius altissimus
Sacravit tabernaculum,
Paternae lucis radius
Factus nobis remedium.

46. Ave, mater, cuius partus
Nostra salus est effectus,
Unde clamat nobis psalmus:
Plaudite, gentes, manibus.

47. Ave, caelestis mansio,
De cuius templi medio
Suscepimus incarnatam
Dei misericordiam.

48. Ave, caeli introitus,
Divina habitatio,
Cuius est nobis filius
Et frater et redemptio.

49. Ave, Sion gloriosa,
De qua nobis manifesta
Fit carne verbi facies,
Decoris Dei species.

50. Ave, caelestis ianua,
Qua Dei patris unica
Processit nobis reddita
Salutaris laetitia.

Secunda Quadragena.

1. Ave, mater, cuius partus
Ut oliva fructifera
Patibulum crucis passus
Totus fluxit in gratia.

2. Ave, mater, cuius partus
Sine culpa fuit unus,
Qui nec traxit origine
Culpam natus ex virgine.

3. Ave, mater, cuius partus
Caelestis patris unicus,
Nobis est voluntarium
Effectus sacrificium.

4. Ave, ex qua Christus ortus
Vespere pascha docuit,
Ad Pilatum mane ductus
Veritatem nuntiavit,

Meridie crucifixus
A patre est exauditus
Et moriens mortem vicit,
Qui de morte resurrexit.

5. Ave, regina virginum,
Laetitia fidelium,
Quae peperisti gaudium
In lumine viventium.

6. Ave, cuius est filius
Super caelos exaltatus,
Et ipsius est gloria
In omnia terrestria.

7. Ave, de qua Deus natus
Utique est iustus fructus
Iudicans eos in terra,
Ut exaltet ad aeterna.

8. Ave, cuius in arcanis
Incarnatum verbum patris
Et cucurrit sine culpa
Et direxit in gloria.

9. Ave, de qua patris verbum
Causa nostri caro factum,
In Idumaeam gentium
Extendit calceamentum.

10. Ave, mater, cuius solus
Deus et homo filius
A finibus terrae clamat,
Dum nos sibi membra sonat.

11. Ave, mater, cuius partum
Semel est Deus locutus,
Dum verbum patris unicum
Tuus vere est filius.

12. Ave, stella caelestium,
Pariens lucem gentium,
Partum cuius adoramus,
Dum de luce vigilamus.

13. Ave, iustorum gaudium,
In cuius sperant filium
Et laudantur recti corde,
Ut laetentur in requie.

14. Ave, Sion illa pacis,
In qua decet hymnus Deum,
Aulam tuae castitatis
Qui sibi fecit thalamum.

15. Ave, de cuius filio
Iubilamus patri Deo,
Psalmos damus et laudamus
Et in psalmis decantamus.

16. Ave, terra, quae dedisti
Fructum Deo confitendi,
Cuius est benedictio
Vera sui cognitio.

17. Ave, templum Ierusalem,
Habens caelestem speciem,
A cuius sanctuario
Processit patris visio.

18. Ave, mater, per quam salva
Fit confitens Sion nostra,
Et, quibus datur gratia,
Inhabitabunt in ea.

19. Ave, per cuius filium
Deus in adiutorium
Pater festinans gentium
Intendit ad adiuvandum.

20. Ave, secretum virginis,
Quo processit lux luminis
Et adiecit super omnem
Iesus Christus patris laudem.

Pater enim potestatis
Cuncta creans innotuit,
Pater vero dulcedinis
In Christo nobis claruit.

21. Ave, vellus puritatis,
In quo Deus maiestatis
Inundans tamquam pluvia
Distillavit in gratia.

22. Ave, cuius est filius
Rectis corde bonus Deus,
Qui in eum convertitur,
Plenos dies consequitur.

23. Ave, terra virginea,
In cuius Deus medio
Salutis est mysteria
Operatus in filio.

24. Ave, potens virtutibus,
Cuius in cruce filius
Exaltans iusti cornua
Peccati fregit vincula.

25. Ave, cuius est filius
Notus in Iudaea Deus,
In Israel nomen eius
Magnum recte credentibus.

26. Ave, mater, ex qua notam
Fecit Deus manum suam
Et populos in brachio
Redemit unigenito.

27. Ave, mater, de qua nobis
Angelorum natus panis
Nos renovat et reficit
Et in seipso perficit.

28. Ave, regina gaudii,
Cuius caelestis filii
Christianus est populus
Et oves pascuae eius.

29. Ave, de qua Deus summus,
In sinu patris unicus,
Qui sedet super Cherubim,
Apparet coram Ephraim.

30. Ave, ex qua Christus ortus
Non est recens nobis Deus,
Qui Deo patri filius
Est aeterno coaeternus.

31. Ave, cuius est filius
Deus deorum dominus,
Solus deos diiudicans
Et in se beatificans.

32. Ave, stella paradisi,
Mater illius filii,
Qui solus est altissimus
Et nomen illi Dominus.

33. Ave, stella virginalis,
Cuius partus, lator legis,
Est in sinu Dei patris
Dator benedictionis.

34. Ave, terra benedicta,
Fructificans mysteria,
Cuius sacra fecunditas
Dei patris est veritas.

35. Ave, mater, cuius partum
Omnes gentes verum Deum
Adorant et glorificant,
Confitentur, magnificant.

36. Ave, caelestis civitas,
Cuius Deus fecunditas,
Ave, Sion, in qua natus
Est fundator ipse tuus.

37. Ave, mater veri Dei,
Qui pro nobis est mortuus,
Portas confregit inferi,
A mortuis liber solus.

38. Ave, caeleste lilium,
Per cuius florem unicum
Fidelibus est aeternum
Testamentum dispositum.

39. Ave, cuius est filius
Refugium nobis factus
Per carnis contubernium,
Quod est vitae remedium.

40. Ave, splendor virginalis,
Cuius virtus singularis
Fecit nobis altissimum
Deum patrem refugium.

41. Ave, bonum virginale,
Quod Dominum confitemur,
Cum virginem peperisse
Deum verum confitemur.

42. Ave, decor virginalis,
Quem verbum patris induit,
Cum de fonte castitatis
Nostra carne se praecinxit.

43. Ave, mater, cuius partus,
Ultionum rex dominus,
Libertatem plene egit,
Cum de morte resurrexit.

44. Ave, mater puerpera,
Cuius regali filio
Iubilamus in gratia,
Deo salutari nostro.

45. Ave, de cuius filio
Cantamus novum canticum,
Cuius carnis commercio
Salus est facta gentium.

46. Ave, mater gloriosa,
Lux solaris, clara stella,
De qua iustis lux est orta,
Rectis corde laetitia.

47. Ave, mater, qua processit,
Qui fecit mirabilia,
Cuius sibi nos salvavit
Sua virtute gratia.

48. Ave, regis sacrarium,
Cuius honor iudicium,
Pedum cuius est scabellum
Sumptae carnis indumentum.

49. Ave, cuius fecunditas
Est divina suavitas,
Cuius misericordia
Est in aeterna saecula.

50. Ave, mater gratiarum,
Quae peperisti Dominum,
Ipsi misericordiam
Cantamus et iudicium.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, per quam Sion nostra
Videbitur in gloria,
Cuius partus sunt opera
Omnis simul creatura.

2. Ave, cuius sacrariis
Ille processit filius,
Cuius est admirabilis
Omni loco dominatus.

3. Ave, de cuius intimis
Decorem Deus induit
Et nostrae veste fidei
Ut lumine se vestivit.

4. Ave, stella paradisi,
Cuius lumen adoramus,
In laudes tui filii
Alleluia dum cantamus.

5. Ave, stella caelestium,
Alleluia fidelium,
Per quam Dei inter gentes
Nuntiantur omnes laudes.

6. Ave, mater, cui redempti
De manibus inimici
Induti stola gemina
Duplex dicunt Alleluia.

7. Ave, mater, ex qua Deus
Deducitur incarnatus
In munitam civitatem
Ecclesiae firmans fidem.

8. Ave, de cuius filio
Pater laudes non tacuit,
Ipsum quia de sepulcro
A mortuis suscitavit.

9. Ave, David tu filia,
Ex qua nostra substantia
Sedet in patris dextera
Iesus Christus in gloria.

10. Ave, regina virginum,
Quae peperisti filium,
Qui factus est redemptio
A patre missa populo.

11. Ave, mater verae lucis,
Ex qua natus in tenebris
Lumen rectis corde Deus
Misericors est et iustus.

12. Ave, mater, cuius partus
Super gentes est excelsus,
Respiciens humilia
Et in caelo et in terra.

13. Ave, mater, cuius partum
Non laudabunt in infernum,
Sed nos ipsi, qui vivimus,
Domino benedicimus.

14. Ave, mater, cuius partus
Deo patri fit acceptus
In vivorum regione,
Quia vivunt eius morte.

15. Ave, mater, cuius partus
Salutari nos calice
Compotavit crucifixus
Aqua simul et sanguine.

16. Ave, per quam confirmata
Dei misericordia
Veritatem prophetiae
Aperuit et gratiae.

17. Ave, mater, ex qua Deus
Illuxit Dei filius,
Conceptus sancto spiritu
Et resurgens ex obitu.

18. Ave, mater, per quam via
Immaculata patuit,
Quia Deo flore novo
Virginitas effloruit.

19. Ave, mater huius partus,
Ad quem fide proclamamus,
Ut sit pius exauditor,
Ne valeat tribulator.

20. Ave, mater, qua processit
Iesus Christus Emmanuel,
Qui non dormit, sed custodit
Verus protector Israel.

21. Ave, mater huius regis,
Cuius sedes iudicantis
Sedebunt in iudicio
Ad confitendum Domino.

22. Ave, mater, cuius partus
Deus in caelis habitat,
In sanctorum dum mentibus
Dulcedine sua regnat.

23. Ave, cuius in filium
Proclamat fides martyrum:
Nisi Deus adiuvisset,
Persecutor deglutisset.

24. Ave, cuius in filio
Qui confidunt ex animo,
Ut mons Sion fiunt Deo,
In quo pacis est visio.

25. Ave, cuius in filio
Facti sumus consolati
Et replemur ex gaudio
Captivitate eruti.

26. Ave, caelestis domina,
Cuius fructus merces sumus,
Eius morte pretiosa
Quia vitam recepimus.

27. Ave, mater singularis,
Cuius partus Emmanuel
Commercio suae carnis
Effectus est rex Israel.

28. Ave, mater summi regis,
Cuius est benedictio
Vitae semper aeternalis
Sempiterna possessio.

29. Ave, cuius in filio
Haec est misericordia,
Ut fiat super populo
Redemptio copiosa.

30. Ave, cuius in filium
Verus iam sperat Israel,
Qui non elatus moribus
De se sentit humiliter.

31. Ave, mater, virgo pura,
Cuius partus homo Deus
Sedet in patris dextera,
Deus David et filius.

32. Ave, cuius in filii
Habitamus sic ovili
Sicut illa germanitas,
Quam regit una caritas.

33. Ave, cuius in filii
Inhabitamus atriis,
In ipsius quando fide
Dilatamur caritate.

34. Ave, mater, in qua Deus
Est ex Sion benedictus,
Qui habitat Hierusalem
Pacis habens visionem.

35. Ave, cuius in filio
Confitemur patri Deo,
Quoniam fit in saecula
Eius misericordia.

36. Ave, terra benedicta,
In qua cantatur canticum,
Quod in terra aliena
Cantari non est licitum.

37. Ave, cuius ad filium
Dei patris verum templum,
Prout decet, adoramus,
Dum credentes confitemur.

38. Ave, mater, cuius partus
In tumulo soporatus
Sicut diem noctem fecit,
Cum de morte resurrexit.

39. Ave, cuius est filii
Pater virtus salutaris,
Habentis desiderium
Iam nostrae redemptionis.

40. Ave, mater, cuius partus
Viam fecit singularis,
Donec peregit transitus,
Quibus vitam dedit nobis.

41. Ave, mater, cuius partum
Exspectabant omnes sancti,
Donec pater genus nostrum
Retribuit eius morti.

42. Ave, mater huius partus,
Cuius nos ducit spiritus
In terram rectitudinis,
Terram resurrectionis.

43. Ave, mater, cuius partus,
Dum virtutes fulguravit,
Infideles principatus
Sua fide dissipavit.

44. Ave, mater, cuius partus
Laudabilis est Dominus,
Et magnitudinis eius
Non est finis nec terminus.

45. Ave, mater, cuius partus
Vere solvit compeditos,
Quia sola fides eius
Illuminat vere caecos.

46. Ave, mater, cuius partus
Illuminat Hierusalem,
Dum clementer nos ad eius
Coadunat visionem.

47. Ave, mater, cuius partum
Laudat illa Hierusalem
Et suspirat in aeternum,
Cuius fines dedit pacem.

48. Ave, mater, cuius partum
Ex debita iustitia
Laudant cives angelorum,
Laudat omnis creatura.

49. Ave, de cuius filio
Sion exsultant filiae,
Cum de eius consortio
Sanctorum gaudent animae.

50. Ave, mater, cuius partum
In tympanis meritorum
Sancti laudant ex gratia
Mortificantes vitia.

Conclusio salutationum.

1. Ave, gemma singularis,
Habens scripta mysteria,
In aeterni pontificis
Rationali posita.

2. Ave, lamina aurea
In te ipsa circumscripta
Nomen propitiabile,
Quod est inedicibile.

3. Ave, sola virginitas,
Cuius Deus fecunditas,
Nostrum superhumerale
Divina fit ex virtute.

Psalt. ms. S. Fusciani saec. 12. Cod. Ambianen. 19. add. saec. 12. A. — Cod. Parisin. 18111. saec. 12. B. — Migne PP. LL. 158, 1038 sqq. C. —

I. 5, 1 Ave mater, cuius nos filius BC, wo mater zu tilgen. — 5, 3 Nos induit propitius BC. — 6, 3 Dignatur C. — 6, 4 convertat A, miserere B, die ganze Zeile fehlt C. — 6, 5 et fehlt C. — 7, 3 Uti A. — 7, 4 iuxta A. — 12, 2 Salutare A. — 14, 3 sancti relinquunt A. — 15, 4 in letis est C. — 18, 3 De tali A. — 20, 1 sqq. fehlen A. — 22, 2 partus mensa BC. — 24, 2 ex sacrario BC. — 26, 4 et protectio BC. — 31, 3 beatis vir A. — 33, 1 voce psallimus A. — 37, 3 Effusa datur framea C. — 39, 3 iustitiae A. — 42, 1 mater castitatis cuius BC. — 42, 3 cibos A. — 43, 1 mater pietatis cuius BC. — 43, 2 patris Dei A. — 44, 4 sit A.

II. 3, 3 est fehlt BC. — 3, 4 Est factus BC. — 6, 3 est fehlt BC. — 15, 1 de fehlt BC. — 15, 2 Deo patri iubilamus A. — 18, 1 mater fehlt C. — 19, 4 ad adiutorium A. — 20, 4 patris fehlt BC. — 21, 1 vellus claritatis A. — 21, 2 Christus maiestatis A. — 26, 2 viam suam A. — 30, 1 ortus fehlt C. — 30, 2 nobis recens BC. — 34, 2 Sanctificans BC. — 37, 1 viri Dei A. — 39, 4 vitae fehlt A. — 40, 1 splendor singularis BC. — 40, 2 virtus virginalis BC. — 44, 1 mater perpetua A.

III. 8, 3 Ipsumque de BC. — 12, 2 est fehlt A. — 14, 4 Qua vivunt C. — 15, 3 Comparavit ABC. — 18, 3 novo fehlt BC. — 19, 1 cuius A. — 27, 4 pax Israel BC. — 37, 1 ad fehlt C. — 38, 1 mater fehlt BC. — 39, 3 Agentis in die belli BC. — 39, 4 Vim nostrae BC. — 40, 4 omnes morti A. — 46, 2 Aedificat BC. — Conclusio. 2, 4 indicibile C.

Dies Psalterium hat einzelne Strophen mehr als Psalmen vorhanden; fünf Psalmen sind durch je zwei Strophen vertreten. Der Abdruck bei Migne l. c. beruht augenscheinlich auf B, begnügt sich aber nicht mit den in der Vorlage wirklich vorhandenen Fehlern.

XVIII. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, de cuius gremio
Exivit vir eximio,
Qui beatus consilio
Nos vocat ab exsilio.

2. Ave tu, quae Gabrielis
Credidisti in loquelis,
Nos tu ei dare velis,
Qui nunc habitat in caelis.

3. Ave, tu mater salutis
Atque Domini virtutis,
Ipsius salutatio
Nostra fuit salvatio.

4. Ave, mater iustitiae,
Per quam nobis laetitiae
Datur in sacrificium
Christus, vita viventium.

5. Ave, templum sanctissimi
Et thalamus altissimi,
Qui nos secum collocavit
Et cum sanctis ordinavit.

6. Ave, virgo praedicata,
In conclavi conturbata,
Ne turbemur in furore
Fac nos spargi caeli rore.

7. Ave, mater altissimi,
Qui dat salutem homini,
In quo speravi iugiter,
Ut me salvet feliciter.

8. Ave, mater mitis agni,
Cuius nomen reges magni
Admirantur et tremiscunt,
Per quem regnum adipiscunt.

9. Ave, mater Dei thorus,
Quam honorat caeli chorus,
Tibi psallam et cantabo,
Quantas possum, laudes dabo.

10. Ave, mater, quam amavit
Orbis factor et beavit,
Qui nos facit transmigrare,
Per te, virgo, secum stare.

11. Ave, mater, tu inopum
Miseratrix et pauperum,
Fac nos uti tuo rore,
Quo salvemur ab errore.

12. Ave, mater, cuius natus
Est ad vitam nobis datus,
Fac, ut illi placeamus,
Ne in morte dormiamus.

13. Ave, virgo, gratulare,
Ex Sion dans salutare,
Per quod Iacob exaltatur,
Israel et collaetatur.

14. Ave, quae sine macula
Intrasti tabernacula,
Per opera iustitiae
Nos colloca in requie.

15. Ave, quae iam restituis
Hereditatem perditis,
Laudaberis assidue
Dans omnibus spem veniae.

16. Ave, quae salvasti reos,
Iam guberna gressus meos
Per semitas electorum
Atque Dei mandatorum.

17. Ave, virgo, dans salutem
Regis nostri per virtutem,
Qui nos per te magnificet,
In David regno collocet.

18. Ave, placens altissimo,
De cuius tabernaculo
Messias venit saeculo
Tamquam sponsus de thalamo.

19. Ave, regina virginum
Et medicina criminum,
Mitte nobis auxilium
Tu de Sion per angelum.

20. Ave, quae Dei nomina
Portasti super omnia
Et coronam in capite
De pretioso lapide.

21. Ave, mater sanctissima,
Cuius laus est dulcissima,
A framea erue me
In medio ecclesiae.

22. Ave, virgo egregia,
De stirpe David genita,
Dic filio, ut pascat me
In loco suae pascuae.

23. Ave, Dei plenitudo,
In te sperat multitudo,
Fac, ut nobis rex virtutum
Per te donet iter tutum.

24. Ave, dulcis, ave, pia
Delinquentibus in via,
Doce mites vias Dei,
Quia nimis sumus rei.

25. Ave, florens gratia,
Pro tua innocentia
A te precor exaudiri,
Quam non laesit tactus viri.

26. Ave, Dei dilectio,
Orbis illuminatio,
In tuo tabernaculo
Nunc psalmum dicam Domino.

27. Ave, paterna pietas,
Ad te clamo, ne sileas,
Per te mens mea floreat,
Ut anima non pereat.

28. Ave, cella trinitatis,
Plena rore pietatis,
Ora Deum maiestatis,
Ut det nobis caelum gratis.

29. Ave, conservans humiles,
Audi clamores flebiles
Et de lacu miseriae
Nos trahe regno gloriae.

30. Ave, lux navigantium,
Salus in te sperantium,
Esto nostrum refugium
Apud Deum altissimum.

31. Ave, nimis beata,
Nostra dele peccata,
Nam tunc erunt bene tecta,
Si per te erunt reiecta.

32. Ave, nostra salvatio,
Te decet collaudatio,
Psallam tibi propterea
Cum cantico et cithara.

33. Ave, mater digna Deo,
Cuius laus in ore meo
Et erit omni tempore,
Dum vixero in corpore.

34. Ave, patris tu unica,
Sta nunc mecum et iudica,
Expugnato expugnantes,
Qui sunt mihi pernocentes.

35. Ave, mater fontis vitae,
Quo vivunt Israelitae,
Fac nos fontem sic potare,
Ut possimus secum stare

36. Ave, salus electorum
Et salvatio eorum,
Da nobis per te salvari
Et cum sanctis coronari.

37. Ave, caeli serenitas,
Tu nobis vera sanitas,
Da pacem nostris ossibus,
Victoriam ab hostibus.

38. Ave, mater, tu dignare
Vias meas conservare,
Ne delinquam ore meo,
Sed dem laudes inde Deo.

39. Ave, pia, purgans reos,
Firmos fige pedes meos,
Ante Deum fac me stare,
Carmen novum decantare.

40. Ave, iustis recta scala,
Salva nos in die mala,
Opem ferens super lectum
Et ostendens iter rectum.

41. Ave, sidus, lumen clarum,
Duc ad fontes nos aquarum,
Et ex illis sic bibamus,
Ut non ultra sitiamus.

42. Ave, sponsa veri Dei,
Salutare vultus mei,
Sic discerne causam meam,
Ut in caelis stare queam.

43. Ave, Christi vera vitis,
Quae diebus in antiquis
Ita Deo placuisti,
Quod per hunc nos redemisti.

44. Ave, sanctitatis norma,
Gignens speciosum forma,
In te diffusa gratia
Det nobis caeli spatia.

45. Ave, nostrum refugium,
Virtus et adiutorium,
Cuius flumen laetificet,
Nobis semper inhabitet.

46. Ave, rosa nata vere,
Omnes gentes fac gaudere,
Corde, voce sic psallamus,
Ut ad Deum pertingamus.

47. Ave, gemma mirabilis
Et a cunctis laudabilis,
Nunc in civitate Dei
Memor esto semper mei.

48. Ave, mater, te clamabo,
Aurem tibi inclinabo,
Si me audis, cur timebo?
In inferno non manebo.

49. Ave, David progenies,
Cuius ex Sion species,
Ad te matrem confugio,
Ut me trahas de Iericho.

50. Ave, mater, cella Dei,
Miserere, precor, mei
Et impetra a filio
Ut me aspergat hysopo.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, odorifera
Oliva fructifera,
In domo Dei iugiter
Fac nos gaudere pariter.

2. Ave, tu mater omnium,
Ora pro nobis Dominum,
Ut super nos respiciat
Et requirentes audiat.

3. Ave, caeleste lilium,
Pro nobis ora filium,
Ut nos in tuo nomine
Salvet ab omni daemone.

4. Ave, sine macula,
Aufer a me iacula,
Nam venerunt super me
Peccatorum tenebrae.

5. Salve, virgo Galilaea,
Tota die verba mea
Exsecratur homo malus,
Nisi per te fiat salus.

6. Ave, stirps florigera,
Tu me semper libera,
Ab his, qui fodiunt foveam,
Ut ipsi cadant in eam.

7. Ave, repleta gaudio,
Gratanter tibi servio,
Nam, tibi qui non serviunt,
Ad nihilum deveniunt.

8. Ave, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Libera me ab omnibus
In me male surgentibus.

9. Ave, spes fidelium,
Salus et remedium,
Da mihi nunc auxilium,
Nam vana salus hominum.

10. Ave, sedens superius,
Audi de terrae finibus
Ad te clamantem hominem
Et fac sanctorum comitem.

11. Ave, salus hominum,
Placa mihi Dominum,
Nam est ipse meus Deus
Et salvator ille meus.

12. Ave, nata de Nazareth
Iuxta stagnum Genesareth,
Ad te de luce vigilo,
Ut me commendes filio.

13. Ave, remota de Segor,
Exaudi me, dum deprecor,
Et placa mihi Deum,
Ne me condemnet reum.

14. Ave, rosa de Iericho,
Te decet hymnus in Sion
Et votum in Ierusalem
Natum Iesum in Bethlehem.

15. Ave, lumen singulare,
Fac nos Deo iubilare
Et ei laudes reddere
Cum supernis in aethere.

16. Ave, per quam nobis datur,
Qui cunctis misereatur
Et nos sic illuminet,
Quod vultu suo satiet.

17. Ave, virgo, da gaudere,
Nunc exsurgat Deus vere,
Puer David nobis detur,
Et Goliath destruetur.

18. Ave, precor nimis reus,
Salvum me fac, Deus meus,
Iam intrant aquae ianuam
Fere usque ad animam.

19. Ave, Dei triclinium,
Esto in adiutorium,
Salus mea semper eris,
Iam festina, ne moreris.

20. Ave, mater, in te spero,
Laudum munus ad te fero,
In te mea cantatio,
Mea tu meditatio.

21. Ave, virgo, cuius tellus
Irrigavit ros novellus,
Nunc te precor, novo more
Ut nos spargas caeli rore.

22. Ave, Ioseph desponsata,
Cui voce propalata
Annuntiavit Gabriel,
Quam bonus Deus Israel.

23. Ave, templum Salomonis,
Tuae congregationis,
Memor esto dans salutem,
Ut peccare sic refutem.

24. Ave, via verae lucis,
In virtute sanctae crucis
Fac nos Deo confiteri
Et ab ipso possideri.

25. Ave, mater, cuius natus
In Iudaea primo datus
Et magnum est in Israel
Nomen, quod est Emmanuel.

26. Ave, virgo Galilaea,
Ad te clamo voce mea,
Fac mihi propitium
Deum, quem deprecatus sum.

27. Ave, quam aedificavit
Et elegit sibi David,
Oro, mihi da mamillam,
Ut lactare possim illam.

28. Ave, servans pias mentes,
Et, quae nunc venerunt gentes
In hereditatem tuam,
Dic, eant in viam suam.

29. Ave, de stirpe Beniamin,
Quae sedes super Cherubim,
Fac, ut ducat nos Michael
Ante dominum Israel.

30. Ave, semper iucundare,
Fac nos Deo exsultare,
Deo Iacob iubilare,
Dignas laudes ei dare.

31. Ave, o mater unica,
Tu pauperes iustifica,
Ut se nunc intellegat,
Qui in tenebris ambulat.

32. Ave, virgo mirabilis,
Quis erit tibi similis?
Tu similis altissimo,
Fac nos placere Domino.

33. Ave, quae sine macula
Dilecta tabernacula
Deo tuo praeparasti,
Quando te humiliasti.

34. Ave, caeli serenitas,
Per quam est orta veritas,
Captivitatem auferas,
Benignitatem tribuas.

35. Ave, mater, iam festina,
Aurem tuam huc inclina,
Propter tuam clementiam
Nostram custodi animam.

36. Ave, porta Sion facta,
Dona nobis fundamenta
Et instrue virtutibus
In tuis sanctis montibus.

37. Ave, placens Deo tuo,
Intret in conspectu suo
Clamor meus, salus mea,
Lumen verum, vita mea.

38. Ave, regina gloriae,
Mater misericordiae,
In aevum tibi cantabo,
Per te Deo laudes dabo.

39. Ave, meum refugium,
A saeculo in saeculum,
Laus tua in me floreat,
Quae nunquam a me transeat.

40. Ave, quae sursum habitas,
Te precor, ut me protegas
De laqueo venantium
Et linguis detrahentium.

41. Ave, sponsa Dei veri,
Cui bonum confiteri
Decachordo psalterio
In cithara cum cantico.

42. Ave, virgo decorata,
Cuius sedes est parata,
Ut valeat illum ferre,
Qui firmavit orbem terrae.

43. Ave, sedens super thronum
Deo placens ultionum,
Da nos sic humiliari,
Ut possimus exaltari.

44. Ave, mater, quam timemus,
Deo simul exsultemus,
Iubilemus mente pari
Deo nostro salutari.

45. Ave, tibi canticum
Decantabo per tympanum
Donando Deo gloriam,
Ut me ducat ad patriam.

46. Ave, in qua regnat Deus,
Deus, inquam, per te meus,
Super omnes altissimus
Sit mihi nunc propitius.

47. Ave, turris Davidica,
Cantabo Deo cantica,
Quae fecit mirabilia,
Sunt nimis laudabilia.

48. Ave, felix, quam beavit,
In qua Deus et regnavit,
Excelsus Deus de Sion
Creans Moysen et Aaron.

49. Ave, casta, gratulare,
Fac nos Deo iubilare
Et in terra sic servire,
Ne permittas nos perire.

50. Ave, mater, tibi psallam
Atque per te intellegam
Dei misericordias,
Ut ei reddam gratias.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, ferens Dei florem,
Audi meum nunc clamorem,
Aurem tuam non avertas,
Praebe mihi vias certas.

2. Ave, Deo fecundata,
Aufer mea nunc peccata,
Ut iuventus vetustata
Per te fiat renovata.

3. Ave, lucens super solem,
Cui Deus dat decorem,
Aufer a me carnis molem
Per veram confessionem.

4. Ave, vera lux diei,
Memor esto semper mei,
Pro me patrem ora semper,
Nam est verus Deus noster.

5. Ave, lumen electorum,
Medicamen peccatorum,
Nunc extende manum tuam
Ad laetandum gentem tuam.

6. Ave, lumen veritatis,
Duc me viam civitatis,
In qua nequit esurire
Ullus intrans nec sitire.

7. Ave, mater portans Deum,
Tu para Deo cor meum,
Ut cantem in gloria
Cum cantico et cithara.

8. Ave, pia, parcens reo,
Laudes meas offer Deo,
Non, ut reor, est decoris
Laus in ore peccatoris.

9. Ave, rigata caelitus,
Cuius iuravit genitus,
Et eum non paenitebit,
Per te me reum salvabit.

10. Ave, cuius consilio
Sanctorum congregatio
Stat semper in iustitia
Et in magnificentia.

11. Ave, dulcis memoria,
Bonorum spes et gloria,
Omnes, qui timent Dominum,
Tecum erunt in saeculum.

12. Ave, in altis habitas,
Humiliatos suscitas,
Nomen tuum mirabile
Sit omnibus laudabile.

13. Ave, per cuius filium
Habemus nunc auxilium,
Tu semper es laudabilis,
Nam tibi non est similis.

14. Ave, mater, quam dilexi,
Ad te precem nunc direxi,
Tu parvulum custodias
Viasque meas dirigas.

15. Ave, quam semper diligam,
Sed tibi quid retribuam?
Nomen Dei invocabo,
Sic per eum te placabo.

16. Ave, o mater saeculi,
Quam laudant omnes populi,
Nos laudemus Dei verbum,
Quod permanet in aeternum.

17. Ave, laus et fortitudo,
Mea spes et certitudo,
Hinc impulsus ad te pergo,
Mea salus tu sis ergo.

18. Ave, per quam sunt beati,
Qui vivunt immaculati
Et qui servant legem Dei,
Ut nec verbis peccent ei.

18b. Ave, mater portans regem,
Qui dat cunctis bonam legem,
Deduc nos in iustitia
Et non in avaritia.

18c. Ave, nunquam quae defecit
Servis suis nec deiecit
Iesu Christo famulantes
Et non male fabulantes.

18d. Ave, quae mirabilia
Deo das testimonia,
Per quae nos illuminat
Et lucrari desiderat.

19. Ave, sole lucidior,
Ad te clamo, cum tribulor,
Custodi me et libera,
Ne cadam in praeterita.

20. Ave, Dei tugurium,
Per te quaero auxilium,
Auxilium a Domino
Datur beato animo.

21. Ave, per quam sum laetatus
Et in Christo iam renatus,
Roga Deum, quae sunt pacis,
Quod, ut credo, semper facis.

22. Ave, videns per cancellos,
Ad te levo nunc ocellos,
Miserere semper nostri,
Ne despiciamur maesti.

23. Ave, Dei dilectio,
Eripe me de laqueo,
De laqueo venantium
Et lingua malignantium.

24. Ave, tibi semper dicunt,
Qui multum in te confidunt,
Declinantes sic a sorde
Boni sunt et recti corde.

25. Ave, mater novi nati,
Per quam sumus consolati,
Facti sumus iam laetati,
Qui eramus captivati.

26. Ave, donum aedificans,
In qua salvator habitans,
Hic det nobis civitatem,
Deum in hereditatem.

27. Ave, fovens in saeculum
Omnes, qui timent Dominum,
Tu novella olivarum,
Spes cunctarum animarum.

28. Ave, per quam confunduntur
Et retrorsum convertuntur
Omnes, qui Sion oderunt,
Sicut foenum aruerunt.

29. Ave, clamo de profundis
Ad te lacrimarum undis,
Exaudi precum carmina
In cordis scripta lamina.

30. Ave, cuius exaltatum
Non est cor neque elatum,
Tua humiliatio
Sit nostra exaltatio.

31. Ave, mei nunc memento,
Non in auro et argento,
Sed in cordis testamento
Et in precum condimento.

32. Ave, o quam bonum, vale,
Quam iucundum fuit tale,
Quod te sursum facit stare,
Fac me tecum habitare.

33. Ave, datur vobis gratis,
Qui in domo Dei statis,
Nocte mentes extollentes
Deum mente sunt laudantes.

34. Ave, dicunt tibi rei,
Collaudantes nomen Dei,
Qui nos ducat in extremis
Consessuros in supremis.

35. Ave, mater, vultu laeto
Praebe mihi, quod nunc peto,
Ut cum eo requiescam,
Omni carni qui dat escam.

36. Ave, mater Salomonis,
Super flumen Babylonis
Fratres tui flent amare,
Quos tu potes liberare.

37. Ave, dicta lux sanctorum,
Miseratrix peccatorum,
Fac astare nostrum chorum
In conspectu angelorum.

38. Ave, virgo mirabilis,
Mater Dei terribilis,
Nostra cognoscens omnia,
Nos salva tua gratia.

39. Ave, quae custodis me,
Nunc precor, eripe me
De manibus peccatoris
Et de semitis erroris.

40. Ave, quam amavero,
Ad te cum clamavero,
Intende tunc voci meae,
Tu es salus vitae meae.

41. Ave in deficiendo,
In conspectu finiendo
Deprecationem meam,
Tu exaudi vocem meam.

42. Ave, mater, ad te reas
Nunc expando manus meas,
Exaudi me velociter,
In te spero veraciter.

43. Ave, per quam refugium
Est, qui docet ad proelium,
Tu protector semper verus,
Benedictus Deus meus.

44. Ave, mea laudatio
Christique generatio,
Tua magnificentia
Est angelorum gloria.

45. Ave, mater pietatis,
Roga Deum maiestatis,
Ut nos solvat compeditos
Et conservet acquisitos.

46. Ave, iucunda lectio
Decoraque laudatio,
Aedificans Ierusalem
Per Iesum, regem nobilem.

47. Ave, tenens Ierusalem
Per Iesum, regem nobilem,
Lauda, Sion, Deum tuum,
Qui dat pacem finem tuum.

48. Ave, mater regis tanti,
Quam collaudant omnes sancti
Laudent cuncta Deum meum,
In excelsis laudent eum.

49. Ave, quam laudent angeli
Et ibi laudent populi,
Laudent Deum sol et luna
Atque omnis creatura.

50. Ave, quam laudent ipsi
Dracones atque abyssi,
Ignis, grando, nix, glacies
Et omnis superficies;

Procellarum genera
Et ligna fructifera,
Colles et omnes montes,
Volucres et serpentes

Et universa pecora
Et bestiae, praeterea
Reges et terrae principes
Et iuvenes et virgines,

Senes atque parvuli
Laudent nomen Domini,
Sancti laudent superius,
Laudet hic omnis spiritus.

Collect. ms. S. Mariae in Pantano saec. 13. Cod. Vatican. 4363. A. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571. B. — Collect. ms. S. Ubaldi Eugubini saec. 14. Cod. Roman. Vict. Em. 477. C.

I. 1, 2 vir ex humo C. — 1, 3 Quod C. — 2, 1 Ave tunc C. — 2, 2 Credidisti alloquelis B; iam loquelis C. — 2, 3 tu fehlt C; Commendare nos digneris B. — 2, 4 nunc fehlt C; Ei qui habitat in caelis B. — 3, 1 mater tu BC. — 3, 2 Atque Dei B. — 3, 3 Cuius salutatio BC. — 3, 4 Nostra sit salvatio C; Adest nostra salvatio A. — 4, 2 iustitiae A. — 5, 1 templum Domini C. — 5, 2 Et fehlt BC. — 5, 3 Qui nos coronavit B; et coronavit C. — 5, 4 cum iustis C — 6, 3 Non turbemur C; turbetur B. — 6, 4 Atque secum collocavit B. — 8, 1 mater fehlt A. — 8, 2 regis A. — 8, 4 Per quam cuncta reviviscunt B. — Str. 11 steht vor 9. B. — 9, 2 Quam adorat C; Quem honorat A. — 9, 3 Psallam tibi B. — 10, 3 Opernos facit A. — 11, 1 tu fehlt BC. — 11, 2 et fehlt BC. — 11, 3 sq. in B:

Fac nos tua gratia
Perfrui in gloria.

11, 4 Perfrui in saecula C. — 12, 2 Nobis est ad vitam BC. — 13, 2 Dans ex Sion BC. — 12, 3 sq. in B:

Cum quo Iacob colluctatur
Israelque collocatur.

16, 1 salvas AC. — 16, 2 Iam fehlt AC. — 16, 3 iustorum A. — 16, 4 Et Dei AC. — 17, 3 nos fehlt B. — 17, 4 Dei in C; Nos David regno B. — 18, 3 sq. umgestellt B. — 18, 3 in saeculo A. — 19, 1 quae fehlt AC. — 19, 4 De Sion per archangelum B. — 20, 2 Portans AC. — 21, 2 Cuius laus dulcissima C: Laus cuius lucidissima A. — 22, 1 virgo regia AB, regina C. — 22, 2 De David stirpe B. — 23, 1 caeli plenitudo B. — 23, 4 Per te fehlt C. — 24, 3 Dei viam A. — 25, 2 Per tua A. — 26, 4 Nunc fehlt A. — 27, 4 Ut anima ne A. — 28, 1 Ave virgo virginum C. — 28, 2 Super omnes clarissima C. — 28, 4 Ut nos mundet a peccatis B. — 29, 4 Trahe nos regi B. — 31, 1 Ave, quae nimis B. — 31, 2 dele facinora B. — 31, 3 Nam fehlt AC; erunt benefacta B; bene recta C. — 31, 4 per te sunt A; erunt deiecta C, directa B — 32, 3 tibi fehlt A. — 33, 4 Cum B. — 34, 1 mater tu B, tu fehlt AC. — 34, 3 Expugna A; Expugna me C. — 34, 4 nocentes C; mihi iam potentes B. — 35, 1 fortis vitae A; fons vitae C. — 35, 3 funte A. — 35, 4 tecum BC. — 36, 1 iustorum A. — 36, 2 salvatrix AC. — 36, 3 Dona nobis A; Da nos per te C. — 37, 3 meis ossibus A. — 37, 4 Et victoriam AB. — 38, 3 delinquem C. — 38, 4 inde laudes B: Ut dem laudes in Deo C. — 39, 1 purgans pia C. — 39, 2 fige gressus B; finge pedes A; Firmas C. — 41, 2 Duc nos ad funtes A; in fontem C. — 43, 4 Quod per eum nos B; Quod per illum nos salvasti AC. — 44, 1 sanctitas C. — 45, 3 Citius flumen C. — 45, 4 Nos semper et in habitet BC. — 48, 1 ad quam clamo B. — 48, 2 Aurem cordis inclinabo B; Urem tibi C. — 48, 3 non timebo B. — 49, 1 Deo progenies A. — 50, 1 Ave, cella Dei mei AC. — 50, 2 Miserere semper mei B. — 50, 4 me spargat A.

II. B in der ganzen Quinquagene das Grufswort Salve. — 1, 1 tu odorifera A. — 1, 2 non fructifera A. — 1, 4 regere A. — 2, 1 tu fehlt B. — 2, 1 mater hominum C. — 2, 2 Ora de caelo Dominum C. — 3, 3 nos fehlt C. — 3, 4 Salvet nos a daemone AC. — Str. 4 lautet in B:

Salve, virga deaurata,
Super nos es exaltata,
Nunc exaudi vocem meam,
Ut per te salvari queam.

6, 3 fodunt C, foderunt A; A fodientibus foveam B. — 6, 4 Ut non incidam in eam B. — 7, 2 Quo tantum tibi B. — 7, 3 qui tibi B. — 11, 3 sq. fehlen A. — 11, 3 est vere Deus meus B. — 11, 4 Et salvator vere meus B. —

12, 1 sq. fehlen A. — 12, 2 stagnum de Nazareth C. — 13, 2 cum B. — 13, 3 Tu placa C. — 13, 4 Ut me A; 13, 3 u. 4 in B:

Et fac Deum placabilem,
Ne condemnet peccatorem.

14, 1 Ierichon B. — 14, 3 Et natum B. — 15, 3 Eique B. — 15, 4 In sempiterno aethere B; In superno aethere A. — 16, 2 Quae cunctis C. — 16, 4 suo sanet A. — 17, 1 virgo dei gaudere C. — 18, 3 Aquae intraverunt meam B. — 18, 4 ad fehlt C. — Str. 19 fehlt A. — 20, 4 Tu mea C. — 21, 4 Nos infunde caeli rore C. — 22, 4 Deus fehlt C. — 23, 4 Et peccare C. — 24, 1 vere laus C. — 24, 3 deos A. — 25, 2 Notus in Iudaea A; In Iudaea totus notus B. — 25, 3 est fehlt B. — 26, 3 tu fehlt C. — 27, 1 quem C. — 27, 3 des mamillam C. — 28, 2 Ut quae C. — 29, 3 Fac nos ducat Michael C. — 29, 4 Ante Deum Israel C. — 31, 3 Ut se nunc intellegant C. — 31, 4 Qui in tenebris ambulant C. — 32, 4 placere Deo C. — 33, 1 quae fehlt C. — 33, 1 Te Deo praeparasti C. — 34, 2 orta est B. — 34, 4 Et libertatem conferas B. — 35, 3 sq. fehlen A. — 35, 3 Pauper sum et inops nimis C. — 35, 4 Trahe sursum me ab imis C. — 36, 1 Sion sancta C. — 36, 3 insere C. — 36, 4 moribus C. — 37, 3 et salus A. — 37, 4 Lumen vera B; Stat in morte vita mea A. — 38, 3 Et in aeternum C; te cantabo AC. — 38, 4 laudes Deo B; Deo laudes C. — 39, 4 nunquam in te A. — 39, 4 in te transeat C. — Str. 41 fehlt A. — 42, 2 Cuius fides B. — 42, 3 Ut illum valeat deferre C. — 43, 3 humiliare C. — 43, 4 Ut nos velit exaltare C. — 44, 1 quam C. — 45, 1 Ave sic tibi C. — 45, 2 Cantabo C. — 46, 1 Dominus A. — 46, 2 Vivus, inquam A. — 47, 1 Avis turris C. — 47, 2 tibi cantica B. — 47, 3 Quae fecit B; Qui fecit C. — 47, 4 Quae sunt nunc B. — 48, 2 et Deus B. — 48, 3 Qui praecelsus Deus in Sion B. — 48, 4 Moyses C; Creas A. — 49, 2 Deo fehlt C. — 50, 2 Et per te B; die Str. fehlt A.

III. Das Grufswort dieses Teiles ist in B stets Vale; die Quinquagene enthält einige Strophen über die Zahl, indem Ps. 118 mit vier, Ps. 150 ebenfalls mit vier Strophen vertreten ist. — 1, 1 nunc fehlt C. — 1, 4 Praebens mihi vias rectas B. — 2, 1 Ave virgo fecundata C. — 2, 2 Audi mea B; peccata C. — 2, 3 Ave, iuventutis vetustata A. — 3, 1 lumen super C. — 4, 3 Per me A. — 4, 4 Ipse qui est Deus A; Quia ipse Deus noster C. — 6, 3 qua valet C. — 6, 4 Nullus intus nec A; intrans nec C. — Str. 7 bis 19 incl. fehlen A. — 7, 2 Para Deo tu cor C. — 7, 4 in cithara B. — 8, 3 Nunc ut reor B. — 12, 1 Vale quae in altis A. — 12, 3 laudabile C. — 12, 4 Et omnibus amabile C. — 13, 2 refugium C. — 16, 3 laudamus C. — 18c, 1 quae nunquam deficis C. — 18c, 2 Servis tuis et reficis C. — 18c, 4 male servientes C. — 18d, 3 Per illa nos illumina C. — 18d, 4 desidera C. — 20, 2 Per te venit C; Per te ueam A. — Str. 22 fehlt A. — 22, 2 Levo ad te C. — 22, 4 despiciantur nostri C. — 23, 2 a laqueo C. — 23, 4 De via malignantium C. — 24, 1 Vale dico, quod et dicunt B. — 24, 4 Boni rectique corde A. — 25, 3 sq. fehlen A; laetantes C. — 25, 4 captivantes C. — 26, 3 Da tu nobis civitatem C. — 26, 4 Caeli in hereditatem C. — Str. 26 bis 29 incl. fehlen A. — 28, 2 introrsum C. — 29, 2 Et de B. — 30, 2 nec elevatum B. — Str. 31 bis 35 incl. fehlen A. — 31, 1 mei et memento B. — 32, 1 bonum ave B. — 32, 2 fuit ave B. — 32, 3 Nam te B. — 33, 4 mente sic plaudentes C. — 34, 4 Consensuris ipsi praeis C. — 36, 1 mater salvatoris A. — 36, 2 flumina B. — 36, 3 Frons tui A. — 37, 3 Fac altare nostrum A. — Str. 38 bis 42 incl. fehlen A. — 38, 2 laudabilis C. — 39, 2 Te deprecor B. — 39, 4 Et de laqueo C. — 40, 2 te conclamavero B. — 40, 3 tunc fehlt C. — 40, 4 es fehlt C. — 42, 1 meas B. — 43, 1 Ave meum refugium AC. — 43, 2 Qui doces me ad A. — 43, 3 sq. fehlen A. — 44, 4 gratia C. — Str. 46 ff. fehlen A. — 46, 4 Per natum in te Bethlehem C. — 47, 4 bis 48, 3 fehlen C. — 49, 1 Laudent eum angeli C. — 49, 2 Et hinc collaudent populi C. — 49, 3 sq. fehlen C. — 50, 1 Laudem dicant ipsi C. — 50, 2 et C. — 50, 3 nix fehlt B. — 50, 10 bestiae

per tempora C. — 50, 11 et fehlt C. — 50, 12 Iuvenes et C. — 50, 15 Quam sancti B. — 50, 15 Quem sic laudant C.

B hat vor jeder Quinquagene einen Prologus; der zur ersten gehörige lautet:

Ave, serena, pia, gaude, generosa Maria,
Lapsorum venia, gaude lux, vita, Maria,
Gaude, quae regem caeli virgo genuisti,
Gaude, quae digna Dominum portare fuisti;
Gaude, visceribus pietatis plena Maria,
Gaude, post Christum protectio nostra, Maria,
Gaude, cunctorum felix regina polorum
Nostrique cordis amor, gaude, stirps Iesse, Maria,
Gaude cum Christo nostrique memento, Maria.

Vor der zweiten Quinquagene befinden sich folgende drei Strophen:

Rex virtutum, fac devotum
Me in tuae laudibus
Genetricis, quae pudoris
Gessit te visceribus.
Eius laudes contra fraudes
Inimici faciant
Nos invictos et adflictos
A malis eripiant.
Sit Messiae, sit Mariae
Omni die gratia,
Patri, proli et amori,
Soli Deo gloria.

Vor der dritten Quadragene ist als Prolog die letzte Halb-Strophe aus der Sequenz Adams von St. Victor „Salve mater salvatoris" vorhergeschickt. Cfr. Léon Gautier, Œuvres Poétiques d'Adam de St. Victor (3. Aufl.) S. 190.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

		Seite
1.	Psalterium sanctae Crucis	11
2.	Psalterium de Passione Domini	26
3.	Psalterium Iesu Anonymi Cisterciensis	44
4.	Psalterium de D. N. Iesu Christo	53
5.	Psalterium de D. N. Iesu Christo Hieronymi de Werdea	64
6.	Psalterium de D. N. Iesu Christo Engelberti Admontensis	79
7.	Psalterium de D. N. Iesu Christo	91
8.	Psalterium de D. N. Iesu Christo	107
9.	Psalterium beatae Mariae V. Engelberti Admontensis	123
10.	Psalterium beatae Mariae V. Edmundi Cantuariensis	137
11.	Psalterium beatae Mariae V. Stephani Cantuariensis	153
12.	Psalterium beatae Mariae V. s. Bonaventurae tributum	172
13.	Psalterium beatae Mariae V.	189
14.	Psalterium beatae Mariae V.	200
15.	Psalterium beatae Mariae V.	218
16.	Psalterium beatae Mariae V.	239
17.	Psalterium beatae Mariae V. Anselmi Cantuariensis	254
18.	Psalterium beatae Mariae V.	263

II. Verbal-Index.

	Seite
Ave de cuius gremio Exivit vir eximio	263
Ave Iesu beatorum Spes et salus miserorum	44
Ave Iesu Iesu ave Lumen vivum lumen suave	79
Ave Iesu lignum mite Lignum inquam vitis vitae	53
Ave mater advocati Qui beatus consilio	254
Ave matris almae fructus semper dulcis	91
Ave porta paradisi Lignum vitae quod amisi	189
Ave rosa flos aestive. O Maria lucis vivae	123
Ave virgo cathedra Summae maiestatis	237
Ave virgo lignum mite Quae dedisti fructum vitae	139
Ave virgo virginum Ave via morum	200
Ave virgo virginum Parens absque pari	153
Ave virgo virginum Per quam vir beatus	218
Ave virgo vitae lignum Quod perenni laude dignum	172
Da nobis ut ad instar ligni fructus	107
Digni regis digna militia	11
Iesu da quod canimus In psalmis ut sequamur	64
Te ut in memoriam Revocem salvator	26

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido Maria Dreves.**

XXXVI.

PSALTERIA RHYTHMICA.

Gereimte Psalterien

des

Mittelalters.

Zweite Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1901.

PSALTERIA RHYTHMICA.

Gereimte Psalterien

des

Mittelalters.

Zweite Folge.

Nebst

einem Anhange von Rosarien

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1901.

VORWORT.

Der ersten Reihe s. g. Psalterien schliefst sich hiemit die zweite an. Alle diese Dichtungen sind, soviel ich weifs, mit Ausnahme einer einzigen noch ungedruckt. Die beiden letzten Psalterien dieser Sammlung weichen von dem Wesen der übrigen, jedes in anderer Weise, nicht unerheblich ab. Die Abweichung ist aber so zu Tage liegend, dafs es überflüssig sein dürfte, näher darauf einzugehen.

Völlig verschieden von den uns beschäftigenden Psalterien ist ein kurzes Gedicht des Heinrich Egher von Kalkar (geboren 1328), welchem der Verfasser gleichfalls den Namen Psalterium beilegt. Dasselbe besteht aber nicht aus 150 Strophen, sondern nur aus sechs, die sich aber genau aus 150 Worten aufbauen [1]), weshalb am Schlusse des Gedichtes beigefügt wird:

Offero verba tibi ter quinquaginta, Maria;
Hoc breve psalterium suscipe, virgo pia.

Ich füge den Text des Gedichtes, das auch als Nr. XLII unter den Gedichten des Joannes Justus Lanspergius steht, hier an u. z. nach dem Hortulus devotionis, Coloniae 1541, fol. 74. Es hat dort die Aufschrift: „Psalterium D. Henrici Kalcar, Carthusiani, in laudem christiferae virginis Mariae."

1. Ave, virgo virginum,
laus et lux iustorum,
Ad te clamat iugiter
turba populorum,
Nos a malis eripe,
quos in via morum
Detorquere satagit
tractus vitiorum.

2. Ave, torrens gratiae,
torrens fontis vivi,
Torrens, de quo profluunt
ubertatis rivi,
Fac, ut Deum sitiam
magis quam sitivi,
Qui per mundi scelera
currens circumivi.

[1]) Jede Strophe hat 25 Worte, nur Str. 3 hat 24, Str. 4 deren 26; in letzterer Strophe ist aber Zeile 6 eine Silbe (ein Wort) überzählig und leicht zu entfernen. Vielleicht ist in Str. 4 etwas geändert. Angehängtes que zählt als Wort.

3. Ave, nostrum gaudium,
nostra spes et vita
Per quam sunt remedia
aegris impertita,
Generalem generis
sortem non oblita
Ad aeternae pabulum
vitae nos invita.

4. Ave, fons clementiae
veniaeque vena,
Per quam nobis redditur
vitae cantilena,
A peccato libera
nos et ab eius poena,
Ad aeternae patriae
perduc nos amoena.

5. Ave, nostri generis
parens et patrona,
Supra cunctos possidens
gratiarum bona,
Tuis sanctis precibus
meritisque dona,
Ne mens nostra solito
sit in malum prona.

6. Ave, virgo, suscipe
mentis in conclavi
Verba, quibus veniam
totiens rogavi,
Et audito saepius
Ave tam suavi
Fac me, quaeso, domina,
procul a vae gravi.

In Hartzheims Bibliotheca Coloniensis werden S. 118 die Werke Eghers angeführt, unter ihnen an dritter Stelle: „Psalterium BMV. geminum MS.“ Ein anderes Psalterium als das mitgeteilte ist mir indes nicht bekannt geworden.

Ein längeres Gedicht von 96 Strophen, welches Mone I, 343 ff. mitteilt, bezeichnet derselbe nach Vorgang seiner Quelle, des Cod. Augien. 36. als „Psalterium abbreviatum de Nomine Iesu“. Diese Angabe ist augenscheinlich ein Irrtum. In keiner der Handschriften, in welchen das Gedicht sonst vorkommt, wird dasselbe als Psalterium bezeichnet oder erreicht dasselbe die Zahl von 150 Strophen. Zudem trägt es auch inhaltlich durchaus nicht die Merkmale eines Psalteriums. Dasselbe ist schlechthin als Reimgebet zu bezeichnen und daher hier übergangen worden.

Den Psalterien füge ich anhangsweise eine Anzahl von Rosarien bei, da diese mit jenen nahe verwandt sind. Ein Rosarium (auch corona oder sertum genannt) ist nämlich der dritte Teil eines Psalters, besteht somit aus 50 Strophen, die aber auf die Psalmen keinen Bezug nehmen.

Rosarien finden sich an anderen Stellen der Analecta bereits die folgenden, auf welche hier aufmerksam gemacht sei: Unter den Dichtungen des Konrad von Gaming, Band III, 22 Nr. 2; unter denen des Ulrich Stöcklin, Band VII, 31, Nr. 5; S. 152—202, Nr. 48—58 [1]).

[1]) Über ein aus diesen Rosarien gebildetes Psalterium vgl. Anal. III, 202 in den Noten.

Unter den hier mitgeteilten Rosarien befinden sich zwei, Nr. X und XI, welche den gewöhnlichen Umfang der Rosarien beträchtlich überschreiten, und zwar letzteres um die Hälfte, während ersteres mit 170 Strophen sogar die Psalterien hinter sich läfst.

Vielleicht ist auch der bekannte, fälschlich dem hl. Bernhard zugeschriebene Jubilus Dulcis Iesu memoria zu den Rosarien zu rechnen. Bei Mabillon zählt derselbe in der That 50 Strophen, von denen indes eine ersichtlich unecht ist. In den Handschriften schwankt die Anzahl der Strophen unter und über die Normalzahl. Da die Sache noch zweifelhaft scheint, ist davon abgesehen worden, den Text schon hier aufzunehmen.

Weit verbreitet war ein in Reimprosa abgefafstes und aus diesem Grunde hier übergangenes Rosarium, das sich u. a. in den Münchener Hss. 695 und 11922 findet. Es beginnt:

Quem concepisti de spiritu sancto non per carnis opera,
Ipse nos fecundet timoris sui gratia.

Quo concepto ascendisti ad montana,
Ipse nos despicere faciat cuncta vana.

Quem genuisti sine dolore puerpera,
Ipse oriatur nobis sol iustitiae in gratiae et pacis abundantia.

Qui in praesepium fuit per te reclinatus,
Ipse maneat in cordibus nostris semper desideratus et optatus.

Die zweite der beiden erwähnten Quellen weifs von diesem Rosarium folgende Legende zu erzählen:

„Rosarius beatae Mariae virginis per quendam devotissimum Carthusiensem compilatus. Quem quicumque rosarium devote dixerit atque continuaverit, notabilem vitae suae sentiet emendationem atque profectum, sicut hoc clare patet in quodam devotissimo Carthusiensi, de quo sic legitur: Erat quidam Carthusiensis, beatae Mariae virgini sedulus ac devotissimus, in Carthusia Trevirensi, qui se in eodem rosario exercere devotissime consuevit. Hic quodam tempore raptus fuit in spiritu et usque ad empyreum caelum deductus, ubi et multa arcana vidit et audivit, quae non licet homini loqui. Vidit etiam pro tunc idem Carthusiensis, quod idem rosarius praesentabatur conspectui altissimi, et qualiter beata virgo Maria et omnes angeli cum omnibus sanctis Deo gratias egerunt et Deum instantissime pro omnibus huiusmodi rosarium devote dicentibus interpellaverunt,

ut gratia et pax eis detur in terra et gloria adcrescat in caelis. Dictumque fuit eidem Carthusiensi clara et aperta voce, quod, quotiens quis dictum rosarium dixerit devote cum suis meditationibus adiunctis, totiens plenariam omnium peccatorum remissionem percipiet.“ Ähnlich auch die andere Quelle:

„Sequitur rosarium devotissimum, quod aureum nuncupatur et in se totam Christi vitam et passionem et resurrectionem includit, et in quolibet articulo unum fructum continens; in quo qui se exercuerit notabilem vitae suae sentiet profectum, et totiens una corona sibi reservabitur in caelis, quotiens illud rosarium aureum dixerit. Sic revelatum fuit cuidam devotissimo presbytero, qui se in eo exercuerat, qualiter sanctissimae trinitati per manus sanctorum angelorum praesentatum fuit ad laudes et praeconia superbenedictae virginis Dei genetricis Mariae.“

Reichenfeld, den 27. Juli 1900.

Guido Maria Dreves.

PSALTERIA RHYTHMICA.

SERIES ALTERA.

I. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, lignum,
quod suo tempore
Fructum dedit
sine dedecore,
Cum ex tuo
processit pectore,
Qui corruptum
prima sub arbore
Suscitaret
tollens de stercore
Peccatorem.

2. Ave, monti
Sion praeposita,
In quo regnans
digne per merita
Gentes regis
et laxas debita,
Ne in die
irae reposita
Confringantur
in vase perdita
Per ardorem.

3. Ave, virgo,
susceptrix pauperum,
Quos exaltans
de fundo scelerum
Salvos facis,
ne ruant iterum,
Ergo tuum
admitte puerum
In medio
tuorum uberum,
Ne formidet.

4. Ave, caeli
splendor et gloria,
Per quam mundo
redit laetitia,
Lumen vultus
patris et gratia
Signata sunt
in te per omnia,
In te pater
certa vestigia
Sui videt.

5. Ave, templum
veri pacifici,
Domus placens
summo artifici,
Sic ornata
cultu multiplici,
Ne qua labe
posses iam infici,
Ex quo doni
virtute mystici
Es afflata.

6. Ave, virgo,
quae nobis prospicis,
Tu furorem
et iram iudicis,
Quam meremur,
sedare sufficis,
Ne arguti
cum apostaticis
Puniamur
poena maleficis
Praeparata.

7. Ave, virgo,
caelorum gaudium,
Synagoga
cincta caelestium,
Dum in alta
ducta per filium
Conscendisti
paternum solium,
In quo tandem
fiet iudicium
Populorum.

8. Ave, virgo,
regina siderum,
Luna, mortis
depellens Hesperum
Matutinum
ad mundi vesperum
Produxisti,
stella, luciferum,
Cum per tuum
nos visit uterum
Rex caelorum.

9. Ave, virgo,
praevisa caelitus,
Ab aeterno
thronus dispositus,
Quem ornavit
intus paraclitus,
Non invenit
praeter te penitus,
In qua patris
se unigenitus
Collocaret.

10. Ave, templum
caelestis curiae,
Sedes apta
regi iustitiae
Per te venit
de throno gloriae
Inclinato
monte potentiae,
Ut ad nostrae
vallem miseriae
Transmigraret.

11. Ave, in qua
regi complacuit,
Cum te terra
virtus evanuit,
Nam rex David
postquam refriguit
Sola senem
fovere meruit,
Quae prae cunctis
decens apparuit,
Sunamitis.

12. Ave, terra,
cui sputum miscuit
Pater, unde
lumen restituit
His, quos umbra
mortis detinuit,
Per te lassis
salutem tribuit
Is, qui moestis
olim condoluit
Ninivitis.

13. Ave, per quam
lux novi sideris
Lapsum nostri
respexit generis,
Visitando
clausos in inferis
Et eductos
de domo carceris
Secum victor
ad cives aetheris
Revocavit.

14. Ave, virgo,
Christi cenaculum,
In quo stratum
pudoris lectulum
Vir invenit
intrans ad parvulum
Sicque suum
in tabernaculum
Suscitatum
ad vitam populum
Reportavit.

15. Ave, per quam
redit haereditas,
Quae coronas
restaurat perditas,
Per te via,
vita et veritas
Vitae nobis
monstravit semitas,
In qua quies,
pax et securitas
Sunt paratae.

16. Ave, per quam
iudex clementiam
Mirificat
tenens iustitiam,
Dum offensus
reis dat veniam,
Iustis confert
et auget gratiam
Et conversos
transfert ad gloriam
Indilate.

17. Ave, per quam
terrena superis
Iunxit auctor
antiqui foederis
Inclinavit
caelos, ut veteris
Adae culpam
tollat a posteris,
Et descendit
per te, quae diceris
Iacob scala.

18. Ave, virgo,
lucerna Domini,
Suo pridem
dicata nomini,
Lampas apta
nostrae caligini,
Per quam dragmam
datam discrimini
Renovavit
remittens homini
Gesta mala.

19. Ave, mater,
in cuius gremio
Gabrielis
epithalamio
Caro nupsit
excelsi filio,
In quo novo
facto solstitio
Fulsit mundus
ex plenilunio
Ventris tui.

20. Ave, per quam
misit auxilium
Rex virtutum,
dux salutarium,
Hic sacerdos,
hic sacrificium
Patris in se
complens consilium,
Semetipsum
dedit in pretium
Gregis sui.

21. Ave, cunctis
praelata feminis,
Nomen tenens
matris et virginis,
Quam praeventam
dono dulcedinis
Coronavit
rex magni nominis
Super caelos,
unde non desinis
Nos tueri.

22. Ave, virgo
proles Davidica,
Laus Israel,
patrum spes unica,
Iam habitans
in aula caelica
Laudum audis
de caelis cantica,
In quam phalanx
cupit angelica
Intueri.

23. Ave, virga,
de caelo germinans,
Virga iugum
Aegypti terminans,
Sola mortis
virus eliminans,
Sola, quam rex
in altis dominans
Solus novit,
te solam nominans
Dignam flore.

24. Ave, terra
culturae nescia,
Sola caeli
compluta pluvia,
Iam pro spinis
producit lilia
Terra quondam
serpenti pervia,
Ex quo tua
perfudit labia
Man cum rore.

25. Ave, per quam
pactum cum homine
Firmat Deus
in suo sanguine,
Ut iam currat
sub tuo nomine
Exsul pacis
aperto limine,
Cum timenti
sis in discrimine
Turris fortis.

26. Ave, domus
decore praedita,
Dei sedes
ad austrum posita
In qua caeli
dragma recondita
Apud patrem
est interposita,
Ut evadat
gens dudum perdita
Poenas mortis.

27. Ave, salus
totius saeculi,
Dicant ergo,
dicant nunc singuli:
Ave, per quam
in ortu parvuli
De squalore
progressa stabuli
Nostri fines
intrat oraculi
Lux caelorum.

28. Ave, per quam
refloret spiritus,
Carni patet
ad regnum reditus,
Oleaster
olivae insitus
Per te fructum
fecit ut primitus,
Cum surrexit
flos primogenitus
Mortuorum.

29. Ave, dignum
Deo sacrarium,
In qua sedit
rex post diluvium,
Quo te lavit
ad refrigerium,
Tu desertum
siccum et invium,
Per quam suum
reduxit devium
Rex virtutum.

30. Ave, mater,
quae nostrum vespere
Tuo mane
mutasti prospere,
Nox praecessit
et, ecce, libere
Novae luci
se valet credere,
Qui se fructu
gaudet puerperae
Restitutum.

31. Ave, cuius
sol horologium
Intrans novum
facit solstitium,
Ut per carnis
electuarium,
Morbum curet
in nobis regium,
Quem induxit
in caput hostium
Ultor legis.

32. Ave virgo,
quae tuos eripis,
Dum in throno
locata principis,
Quem de caelo
transmissum concipis,
Regem oras
et nato praecipis
Et gravatam
super nos excipis
Manum regis.

33. Ave, caelum,
factum divinitus,
Quod depingit
excelsi digitus,
Firmat pater,
ornat paraclitus,
Ex tunc pluit
collatum caelitus
Man cum rore,
dies est redditus
Orto sole.

34. Ave, legis
clausa sub modio,
Lux refulgens
de rubi medio,
Rege servum
sub tuo radio,
Ne me mortis
turbet confusio,
Ad te curro,
qui solam sitio
Te cum prole.

35. Ave, virgo,
dux nostri cunei,
Turris, in qua
dependent clipei,
Quibus hostis
cedunt aculei,
Sume scutum
et arma fidei,
Ut possimus
ad castra revehi
Cum tropaeo.

36. Ave, domus
praeclara titulis,
De qua prodit
promissus saeculis,
Fons diversis
apertus rivulis,
Qui sedabit
sitim in singulis,
Cum iustorum
in tabernaculis
Psallent Deo.

37. Ave, lumen
post aequinoctium
Matris ortum
intra praesepium,
Novae lucis
educens radium,
Quam a primo
dierum omnium
Lux signavit
ad lucem gentium
Nascituram.

38. Ave, vestis
regalis fimbria,
Cuius tactu
stat immunditia
Sicut dudum
in sanguinaria,
Incurvatus
miser per vitia
Nescit viam
nisi te praevia
Post iacturam.

39. Ave, cuius
ventris in loculo
Nomen patris
inscriptum calculo
Formam reddit
antiquam saeculo,
Nec iam homo
sub mortis titulo
Transit, ex quo
novus de stabulo
Sol illuxit.

40. Ave, per quam
sub veste pauperis
Regis proles
admixta miseris
Lacum subit
et faecem carceris,
In quo nostri
livorem vulneris
Sui tersit
unguento lateris
Et obduxit.

41. Ave, cuius
intra cubiculum
Parvo redit
vitae spiraculum,
Dum accedens
Iesus ad loculum
Nostri tulit
doloris lectulum,
In te sibi
iungens corpusculum
Nostrae mortis.

42. Ave, vitae
fons indeficiens,
Fons de domo
Dei progrediens,
Ad te curro
te solam gestiens,
Fons in porta
Bethlem scaturiens,
Quem in bello
petebat sitiens
Manu fortis.

43. Ave, stella,
quae lumen pauperum
De secreto
producis viscerum,
Lux emittens
vitae luciferum,
Cuius splendor
ortus ad vesperum
Suo mane
fugavit Hesperum
Primae matris.

44. Ave, virgo,
per quam rex siderum
Patrum complet
promissa veterum,
Rerum signa
solvens et operum
Dum recurrit
vita per puerum,
Quem in tuum
transfudit uterum
Sinus patris.

45. Ave, caeli
digna palatio,
Nostri regis
apta coniugio,
Ut in Vasthi
locata solio
Tuam salves
gentem a gladio,
Sola vultus
ex privilegio
Regi grata.

46. Ave, sancto
fecunda spiritu,
Urbs beata,
quam in circuitu
Vallat torrens,
ne carnis strepitu
Frangi possis,
in regis transitu
Regi clauso
pudoris aditu
Reserata.

47. Ave, per quam
sub carnis trabea
Clausos solvit
iudex de fovea,
Ut sit heres
lucis ut antea,
Quem delusum
fraude viperea
Sub fornace
tenebat ferrea
Dux peccati.

48. Ave, porta
per quam sol radium
Nostrum fudit
in sanctuarium,
Dum rex suum
per ventris ostium
Templum intrans
pacis fert nuntium,
Ne iam ultra
formident gladium
Desperati.

49. Ave, de qua
procedit victima,
Qua redempta
consurgit anima
Per te dragma
recurrit decima,
Per te redit
ovis centesima,
Ubi tuta
depascit azyma
Veritatis.

50. Ave, Sion,
de cuius solio
Surgit infans
decore regio,
Tu vas novum
plenum mysterio,
Quod cum sale
mersum in fluvio
Gustum primae
tulit de medio
Vetustatis.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, per quam
spero restitui,
Cum ad vitam
resurgent mortui,
Quod in Eva
male distribui,
Tunc gaudium
dabis auditui,
Ut te possim
et tuo perfrui
Fructu tecum.

2. Ave, mitis
oliva gloriae,
Fructum ferens,
cuius deliciae
Gustum habent
plenum esurie,
Cum descrescens
crescat cotidie,
Ubi fratres
pascit meridie
Ioseph secum.

3. Ave, virgo,
salutis baiula,
Sicut vetus
signavit tabula,
Dum ascendens
ut fumi virgula
Florem defers
de caeli specula,
Cuius odor
detersa macula
Reddit vitam.

4. Ave, digna
Deo iuvencula,
Per quam prima
recurrunt saecula.
Sua Samson
arat in vitula,
Dum ad nostra
solvenda vincula
Caeli profers
de ventris cellula
Margaritam.

5. Ave, pacis
columba redditae,
Felle carens,
dum sine fomite
Mersis defers
sub mortis gurgite
Ramum pacis
et vitae perditae,
Quem de tuo
produxit stipite
Radix Iesse.

6. Ave, virga
fecunda nucleo,
Qui devicto
mortis aculeo
Suos solvit
de nervo ferreo,
Nec iam lapsum
ut prius timeo,
Quem virtutis
obumbras clipeo
Indefesse.

7. Ave, cuius
ingressus vasculum
Orbis factor
per crucis baculum
De caverna
propulsat regulum,
Novi regis
effecta ferculum,
In quo suum
nunc regit populum
In salute.

8. Ave, per quam
succurri misero,
Sperat miser
errans ab utero,
Qui ad mortem
gressu praepostero
Currens nomen
regale peiero,
Sub Heliae
iacens iunipero
Dissolute.

9. Ave, mater sanctae spei,
Regis sponsa, cella Dei,
Tibi psallam, scala rei,
Per quam mihi memor mei
Dux caelestis aciei
Misit adiutorium.

10. Ave, porta regi grata,
Per quam transit calceata
Virtus patris ex te nata,
Ut resurgat innovata
Idumaea desolata
In figura gentium.

11. Ave, petra praeelecta,
Per quam dudum plebs deiecta
Exaltatur fide recta,
Nulla viri manu secta,
In quam templi sarta tecta
Princeps pacis terminat.

12. Ave, parens sine pari,
Valde te nos venerari
Laude decet singulari,
Per quam caelo, terrae, mari
Ex superno salutari
Laudem Deus germinat.

13. Ave, caeli margarita,
Terra sulco non attrita,
Per quam nobis vera vita,
Diu votis expetita,
Christus datur custodita
Ventris pudicitia.

14. Hic natura sic procedit,
Perscrutando victa redit,
Ius naturae caelo cedit,
Dum stirps sancta florem edit,
Dicat ergo, qui sic credit:
Ave, plena gratia.

15. Ave, parens contra morem,
Terra caeli bibens rorem,
Germinasti salvatorem,
Virgo Deum, virga florem,
Sic bos suum possessorem
Parit intra stabulum.

16. Ave, decus puellare,
Stella maris absque mare
Caeli ferens luminare,
Maris iter singulare,
Per quod facit transmeare
Legislator populum.

17. Ave, terra benedicta,
Ne vocetur derelicta
Terra dudum maledicta,
Porta patet interdicta,
Ex quo cessit mors devicta
Crucis beneficio.

18. Ave, in qua sub momento
Pallet aurum ex argento,
Satum celans sub fermento,
Dum relicto firmamento
Sol se carnis indumento
Tuo vestit gremio.

19. Ave, per quam urbs superna
Ventris fulget ex lucerna,
In lege, qua sempiterna
Sede regnant in paterna,
Quos lex mortis ad inferna
Ab antiquo traxerat.

20. Ave, per quam lapsum genus
Surgit, dives fit egenus,
Venter tuus ager plenus,
Ex quo prodit flos amoenus,
Sub quo perdit alienus
Praedo, quod invaserat.

21. Ave, virgo, cuius pectus
Caeli replet architectus,
Ne desperet iam proiectus,
Cum in ligno sit erectus
Legis serpens, ut senectus
Renovetur saeculi.

22. Ave, vellus Deo notum,
Rore caeli madens totum,
Nil committens contra votum,
Nullum carnis passa motum,
Aquae vivae hauris potum
In salutem populi.

23. Ave, per quam est renata
Pax cum nato, pacis nata,
Dum terrenus fide data
Terra caelo coaptata
Fit caelestis relegata
Veteri discordia.

24. Ave, per quam plebs adiuta
Te tuente currit tuta
Nec iam morti dat tributa,
Rosa nata de cicuta,
Cuius morte distributa
Sunt armati spolia.

25. Ave, virgo, virga zeli,
Viam pandens Israeli,
Mons ostensus Danieli,
In quo templum regi caeli
Fit legato sub fideli
Ornante paraclito.

26. Ave, sacro vernans flatu,
Nardus, cuius odoratu
Tractus redit minor natu,
Primo mota sub reatu
Confirmatur terra statu
Libertatis reddito.

27. Ave, cella grata Deo,
Locus aptus Elisaeo,
Ut restringat se sub eo
Et devicto Philistaeo
Pacem nobis cum tropaeo
David noster referat.

28. Ave, mitis, ave, pia,
In qua mare cum Maria
Dulci sonat harmonia,
Praeparata regi via,
Qua de mundi phantasia
Nos ad vitam transferat.

29. Ave, petra singularis,
Quae intacta salutaris
Aquae fontem illis paris,
Quos post cursum huius maris
Sublimabit in praeclaris
Superna promissio.

30. Ave, per quam rex salutem
Fecit crucis per virtutem,
Luce creans iuventutem,
Nec est ultra, cur me putem
Ob antiquam servitutem
Destinatum gladio.

31. Ave, vitis, arbor vitae,
Vitae botrus, de te vite
Prodit agnus sine lite,
Cuius nobis corpus mite
Potum mittit, quem nunc rite
De altari sumimus.

32. Ave, verbi vas arcanum,
Mundo ferens caeli granum,
Cuius odor reddit sanum,
Cuius sapor ius profanum
Prorsus tollit, quod per manum
Primae matris hausimus.

33. Ave, per quam rex egeno
Iudicavit, cum in foeno
Se coniunxit gemma caeno,
Ut reddatur iure pleno
Servitutis rupto fraeno
Liber servus Domini.

34. Ave, de qua lex naturae
Satis stupet, quae iuncturae,
Quis sit ordo geniturae,
Quod pudoris salvo iure
Se creator creaturae
Unit, Deus homini.

35. Ave, virgo quam privatis
Sede primae dignitatis
Dux praefecit bonitatis,
Ut te duce cum beatis
Hortum intret voluptatis
Amota custodia.

36. Ave, virga, grata flori,
In qua contra legem thori
Man descendit iunctum rori,
Dum pax lege meliori
Reum negat dignum mori
Favente iustitia.

37. Ave, cella plena favi,
Cuius prodit ex conclavi,
Ad quem pressus carne gravi
Per te meum cor levavi,
Ad te clamo, quam amavi
A primaevo tempore.

38. Ave, dudum concupita,
Urbs in monte sancto sita,
In quam contra legis scita
Legislator intrat ita,
Quod post fructum insignita
Manes floris decore.

39. Ave, per quam vita mortem,
Morte vicit fortis fortem,
Cum deplorans nostram sortem
Nostrae sortis se consortem
In te facit, ut exsortem
Primae sorti redderet.

40. Ave, virgo, quam elegit
Rex in thronum, qui nos regit,
Opus tale nullus egit,
Cum sic in te se collegit,
Quod pudoris non effregit
Ebur, cum ascenderet.

41. Ave, per quam salus crevit,
Cum ros caeli te replevit,
Hic est ille, qui non sprevit
Nostrum genus, sed complevit
In te sola, quae decrevit
Ab aeterno fieri.

42. Ave, per quam in fornacem
Rex descendit ferens pacem,
Novam stella parit facem,
Rorem lucis efficacem,
Qui conturbat contumacem
Exactorem inferi.

43. Ave, cuius in factura
Stupet omnis creatura,
Tota pulchra, tota pura,
Quae cum rege paritura
Iure tenes regni iura,
Cui nil in te displicet.

44. Ave, virgo, cuius natus
Est ex servo rex creatus,
Cum post mortem est renatus
Illi regni principatus,
In quo dudum iudicatus
Novus iudex iudicet.

45. Ave, virgo tangens caelum,
Fructum ferens intra velum,
Qui Iudaeae passus zelum
Fert iniuste mortis telum,
Ut transducat sic camelum
Per foramen lateris.

46. Ave, per quam delinquenti
Parcit virga testamenti,
Dum ardori venienti
Rorem infers, in quo genti
Regnum pandit revertenti
Auctor novi foederis.

47. Gaude, terra, caelum, plaude,
Venit iudex dignus laude,
Cui delusum caeca fraude
Reum solvit, ergo gaude,
Felix homo, dic et aude,
Dic: ave, laus virginum.

48. Ave, per quam lux illuxit,
Quam superna lux reduxit,
O quam felix, de qua suxit
Potum lactis, qui destruxit
Claustra mortis, ubi luxit
Diu genus hominum.

49. Ave, lignum incombustum,
Visu pulchrum et venustum,
Lignum mortis pellens gustum,
Dum dilectus suum iustum
Revelavit per angustum
Tui ventris aditum.

50. Ave, thronus novi regis,
Tu columna novae legis,
Quae sub nube solem tegis,
De te ductor sui gregis
Vocem suis nunc collegis
Dat per unigenitum.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, lucis iter rectum,
Iter ducens ad dilectum,
Porta caeli, quae proiectum
Regis ducis ad conspectum,
Quem Aegyptus hic infectum
Sua tenet palea.

2. Ave, via Deo nota,
Tota decens, pulchra tota,
Ut columba lacte lota,
Per quam currit plebs devota,
Per quam intrat iam amota
Paradisi romphea.

3. Ave, per quam misereri
Sion via venit veri,
Ut iam possit ovis quaeri,
Dragma reddi mulieri
Et in nata removeri
Parentis opprobrium.

4. Ave, terra caelum facta,
In qua caeli lux contracta
Sedem fecit te intacta,
Per te mortis lege fracta,
Porta vitae patefacta
Introducit devium.

5. Ave, luna sole plena,
Per quam fulsit lux serena,
Quae devicta mortis poena
Reos solvit de catena,
Quos in domo aliena
Princeps mortis clauserat.

6. Ave, nubes verae lucis,
Digna mater digni ducis,
Sub quo tuos hinc transducis
Per columnam suae crucis
Fracta testa novae nucis,
Quam stirps Iesse fuderat.

7. Ave, per quam destitutum
Visitavit rex virtutum
Ventrem intrans impollutum,
Ne iam frangant restitutum
Mundi later, carnis lutum,
Palea superbiae.

8. Ave, sponsa regi cara,
Princeps gentis nostrae Sara,
Cuius proles hic in ara
Crucis passa tot amara
Suos pascit ex praeclara
Mensa carnis propriae.

9. Ave, terra, cuius fructus
Sursum caelis est inductus,
Fugit dolor, cedit luctus,
Cum caelestis aquaeductus
Fontem profert, cuius ructus
Mundum replet gloria.

10. Ave, mater salvatoris,
Te laus decet nostri oris,
Quae mendicum stantem foris
Sursum infers caeli choris,
Cum in ortu novi floris
Nova facis omnia.

11. Ave, virgo, quae sanctorum
Iubar paris viri thorum
In delicto nesciens,
Fons signatus, fons hortorum,
De quo bibit angelorum
Chorus semper sitiens,
De caelo suscipiens,
Quem profudit sinus patris,
Virgo tenes nomen matris,
Matris opus nesciens.

12. Ave, via puritatis,
Per quam venit desperatis
Promissa redemptio,
Fracta quidem Evae ratis
Nos in huius tempestatis
Demersit naufragio,
Sed sub stellae radio
Mare transit gens novella,
Pharaonis duce stella
Subtracta imperio.

13. Ave, per quam est exortum
Lumen rectis, cuius ortum
Petebant in tenebris
Hic, qui per te lucis portum
Sunt ingressi post absorptum
Virus culpae funebris,
Nec carnis illecebris
Florem tibi scis extortum,
Cum intravit ventris hortum
Virga caelo celebris.

14. Ave, per quam gemma limum,
Factor opus, summus imum
Erexit de stercore,
Ut iam regnet sicut primum
Dragma squalens intra fimum,
Corrupta sub arbore
Pleno gestans pectore
Verbum vitae breviatum
Ceu prophetam incurvatum
Pro defuncti corpore.

15. Ave, cuius ope freta
Servitute iam completa
Nova generatio
Munda transit mundi freta,
Quam decursa vitae meta
Lucis capit regio,
Sub Heliae pallio
Per Iordanem it propheta,
Cum te duce mundum laeta
Nostra transit contio.

16. Ave, per quam ex inferno
Meam missus de superno
Liberavit animam,
Quam praevidit ab aeterno,
Qui praecepto se paterno
Patri fecit victimam.
Dragmam quaerens decimam
Se sub testa lux includit,
Sic inclusa lux excludit
Mortem, lapsum, lacrimam.

17. Ave, per quam retributa
Vita redit, cum induta
Virtute altissimi
Natum paris impolluta,
Per quem possit destituta

Gens a morte redimi,
Primi et purissimi
Fructus eius, qui post letum
Novum secum refert coetum
De manu nequissimi.

18. Ave, per quam vitae pactum
Verbum in te caro factum
Transgressori statuit,
Ne iam mortis sciat actum
Regnum videns patefactum
His, quos umbra tenuit,
Baculum deposuit
Helisaeus iam confractum,
Dum per carnis rex contactum
Pietatem induit.

19. Ave, de qua virtus exit,
Cuius dextra nos erexit,
Virtus unigeniti,
Qui super nos intellexit
Illos salvans, quos illexit
Amor ligni vetiti;
Per te vitae redditi
Victo mortis rege gaudent,
Ergo restat, ut te laudent
Quasi modo geniti.

20. Ave, per quam nova frui
Coepi luce fructus tui
Mediante uteri,
Ne sim ultra, sicut fui,
Cum offensa matris sui
Mancipatus carceri,
Nam in ortu pueri
Memor pater verbi sui
Me reduxit, unde rui
Sub parente veteri.

21. Ave, virgo, quae per natum
Dignitatis primae statum
Prima vestis specie,
Ne iam plangat prolongatum
Suum exsul incolatum,
Dum largitor veniae
Immemor iniuriae
Bovem mactat saginatum,
Ut reducat exturbatum
Post damna substantiae.

22. Ave, virgo post ingressum
Verbi, virgo post egressum
Nulli patens homini,
Sic et olim per accessum
Flammae rubum nil perpessum
In figura memini,
Verbo parans Domini
Locum viris inaccessum,
Nec sic carnis est depressum
Decus aptum virgini.

23. Ave, vitae via certa,
Per quam dudum gens deserta
Laeta currit hodie,
Cum iam dragma sit reperta,
Ovi lapsae sit aperta,
Porta domus regiae,
Dum sub carnis specie
Patris virtus adoperta
Nostrae statum est experta
Sortis et miseriae.

24. Ave, per quam requirendi
Vultum patris, quem offendi,
Mihi datur copia,
In quam solam me suspendi,
Per quam lignum apprehendi,
In quo fit iustitia;
Sub Iudith Bethulia
Liberatur cum tropaeo,
Sub te, sola grata Deo,
Consurgit ecclesia.

25. Ave, virgo, munda mente,
Carne decens, a potente
In cantu angelico
Mundi rapta de torrente
Velut arca prosequente
Sacerdotum cantico,
Sub qua ruit Iericho,
Primo lapsus in parente,
Ne demergat me repente
Torrens mortis, supplico.

26. Ave, Sion, mons insignis,
Sion, in qua fervet ignis
Caritatis unicae,
Quae lapillum de te gignis,
Figurarum dudum signis,

Provisum prophetice,
Servo tuo prospice,
Ne divisus a benignis
Digne ruat cum indignis
Sub extremo iudice.

27. Ave, cuius mane laetum
Nostrae noctis tersit fletum
Orto lucis radio,
Sub quo crucis per secretum
Scriptum mortis est deletum
In virtutis brachio,
Ex tunc novo gaudio
Nostrum fuit cor repletum,
Cum dedisti mundo fetum
Sub caelesti nuntio.

28. Ave, per quam lucis aedes
Novi Christi coheredes
Intrant ab exsilio,
Ut stent ibi nostri pedes,
Ubi regi iuncta sedes
In stellato solio,
Sic proscripto filio
Stolam reddit, fructus alvi
Merces redditur, qua salvi
Fiunt digni bravio.

29. Ave, decus mulierum,
Noctis decor, lux dierum,
Per quam mundi fabrica,
Per quam constat ordo rerum,
Vitis vitae fundens merum,
Vitis Ioseph mystica;
Sponsa sponsi unica,
Novi regis nova nupta,
Regem paris incorrupta
In voce angelica.

30. Ave, per quam post expletam,
In qua currit, vitae metam
Exsul intrat patriam,
Ergo vitam da quietam,
Pro qua peto, pro qua petam,
Da gerendi gratiam,
Ut ad regis curiam
Manum feram sic repletam,
Ne pro vitae fructu metam
Mortis ignominiam.

31. Ave, munda, grata mundo,
Qui te mundam in hoc mundo
Invenit prae ceteris,
Ad te clamo de profundo,
Vocem audi, quam effundo
De profundo carceris,
Nam dux nostri generis
Me reclusit in hoc fundo
Pactum mortis ineundo
Cum auctore sceleris.

32. Ave, cuius exaltatum
Cor non fuit nec ingratum,
Cum intra cubiculum
Ad te verbum est delatum,
Sed permansit illibatum
Pudoris signaculum,
Dum ad nostrum parvulum
Ventris tui grande stratum
Novus auctor sanitatum
Intravit cenaculum.

33. Ave, dudum praesignata,
Legis arca deaurata,
De hoc nequam saeculo
Intra velum transportata
Et in regis collocata
Digne tabernaculo,
Lignum sine scrupulo,
Auro caeli copulatum,
In te dicta complet vatum
Ventris clausum vasculo.

34. Ave, sacri vas unguenti,
Quod in oram vestimenti,
Descendit a capite,
Dans medelam laesae menti,
Dum refundit paenitenti
Spem salutis perditae,
Cultu nitens divite,
Ora nostrae facta vestis
Regem caeli carne vestis
Pudore superstite.

35. Ave, per quam interdictum
Primae matris ob delictum
Regis patet atrium,
Qui reducens derelictum
Fit pro nobis maledictum

Et plebis opprobrium,
Tibi dent obsequium,
Quibus mundi post conflictum
Ventris tui benedictum
Fructum das in pretium.

36. Ave, nubes grata soli,
In qua sola sibi soli
Solium sol repperit,
Ab extremo tracta soli,
In supremo sita poli
Nec tamen sol deserit
Lucem, cum se conserit
Nostrae carni, nostrae moli,
Nec acceptus novae proli
Flos pudoris deperit.

37. Ave, virgo, quae complesti
Luctum nostrum, dum caelesti
Credidisti nuntio,
Per quam modo plaudunt
maesti,
Dum recurrunt dies festi,
Dies pleni gaudio,
Quibus ab exsilio
Gaudent Sion restituti,
Quos nec opus gravat luti
Nec vetus confusio.

38. Ave, per quam ius antiquum
Revocatur, dum iniquum
Sternit Dei dextera,
Quae confregit inimicum,
Ex tunc novum per amicum,
Via patet libera;
Praedux maris altera,
Tuis pandis maris siccum,
Ne declinent in obliquum
Per Aegypti opera.

39. Ave, virgo, splendor mundi,
In qua nocti sic infundi
Lux superna voluit,
Quod ex nocte nil immundi
Lux contraxit nec confundi
Lux sub nocte potuit,
Nova lux emicuit
Nostrae noctis in profundo,
Cum exortum regem mundo
Vox caelestis innuit.

40. Ave, cuius intra tectum
Nostrum facit ad profectum
Sol illustrans sidera
Umbram carnis per obiectum
Nec ex umbra scit defectum;
Tu, lucis puerpera,
Nova carnis hedera
Novum Ionam gestas tectum,
Quem de mari hoc eiectum
Remittis ad aethera.

41. Ave, cuius intra sinum
Clausum sidus matutinum
Patri sacrificium
De se facit vespertinum,
Opus agens peregrinum,
Ut reformet proprium
Lex leprae contagium,
Lignum purgat per cedrinum,
Dum crux virus serpentinum
Expellit per filium.

42. Ave, cuius sic honestas
Regem movit, quod maiestas
In te venit regia,
Tu post matrem sola restas,
Sola nobis sedes praestas,
Ubi de custodia
Eductus plenaria
Ligni datur iam potestas,
Cuius esum non egestas
Sequitur sed gloria.

43. Ave, quam sic introivit
Fructus vitae, per quem vivit
Pauper in exsilio,
Quod iacturam flos nescivit,
Cum intra te se univit
Rosa caeli lolio,
Meditatur ratio
Et inquirit, quae audivit,
Quod ad servos rex exivit
Clauso ventris ostio.

44. Ave, per quam nos revisit,
Qui de alto manum misit
In cavernam reguli,
Quem delusit et derisit,
Quem devicit et elisit

Per virtutem parvuli,
Hic ab ortu saeculi
Regnum patris, quod promisit,
Benedictis iam divisit
In sorte funiculi.

45. Ave, per quam derelicto
Trinitatis ex condicto
Subvenitur pauperi,
Nec se patris pro delicto
Primo laesam maledicto
Terra potest conqueri,
Dum respirant inferi
Morte mortis rege victo,
Et de fructu benedicto
Saginantur superi.

46. Ave, per quam compediti
Duce nato se dimitti
Gaudent pace reddita,
Iam subiecti iugo miti,
Iam cum pullo verae viti
Connexi per merita,
Patet lucis semita,
Per quam currunt nunc in siti,
Donec regni concupiti
Lux recurrat perdita.

47. Ave, per quam medicina
Fraude laesis serpentina
Venit ex oraculo,
Cum sub nube matutina
Nostrae nocti lux divina
Mixta fulsit saeculo
De pudoris lectulo;
Plane felix officina,
De qua fluxit haec resina
Eroganda populo!

48. Ave, virgo, grata nuci,
Stella suae placens luci,
Regis alti ianua,
Porta soli patens duci,
Per quam vitae dux reduci
Vult oves ad pascua,
Perit virgo fatua
Per hanc portam introduci,
Ne proiecta flammae truci
Tradar lampas vacua.

49. Ave, virgo, cuius fetus
In te complet, quidquid vetus
De se spondet litera,
In te vatum silet coetus,
Postquam agnus hic mansuetus
Nostra lavit scelera,
Transierunt vetera,
Non est dolor, non est fletus,
Cum iam sugat servus laetus
Novae matris ubera.

50. Ave, splendor angelorum,
Cuius odor unguentorum
Ascendens de Libano
Sedes transit seniorum,
Dulcem sponso sonans chorum
In chordis et organo,
Tu cum carnis tympano
Introgressa caeli chorum,
Micas mensae dominorum
Mitte foras orphano.

51. Ave, decus saeculorum,
Caelisplendor, laus sanctorum,
Dulce melos hominum
Fons salutis, hortus florum,
Porta vitae, via morum,
Virgo gemma virginum,
In te laudent Dominum,
Quibus iudex meritorum
Per te sedes beatorum
Dat post vitae terminum.

Cod. Duacen. (ol. Marchianen.) 49. saec. 13. in. — III 16, 8 inclusit. — 17, 5 quam. — 48, 9 proiectam. — Eigentümlich ist dem Psalter, dafs der Wechsel der Rhythmen nicht mit der Quinquagene, sondern etwas später eintritt. Die Handschrift, der er entnommen, enthält Werke von Alanus Insulensis und Nicolaus Tornacensis. Der Psalter wäre des erstern nicht unwert; er erinnert mehrfach nach Inhalt und Form an das Weihnachtslied desselben Autors.

II. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, lignum
excelsum gloriae,
Secus aquas
plantatum gratiae,
Cuius nunquam
defluxit folium,
Quia virgo
gessisti filium.

2. Ave, regis
aeterni civitas,
Cuius virtus,
cuius auctoritas
Regit gentes
in virga ferrea
Et confringit
ut vasa testea.

3. Ave, causa
salutis hominum,
Cuius clamor
factus ad Dominum
Exaudiri
de monte meruit,
In te carnem
cum verbum induit.

4. Ave, virgo,
quae de caelestibus
Ostendisti
bona hominibus
Quos frumento,
vino et oleo
Satiasti
partu virgineo.

5. Ave, mater
aeterni principis,
Verba nostra
quae pie percipis,
Tuae scuto
benevolentiae
Coronemur
in regno gloriae.

6. Ave, salus
infirmi hominis,
Tui, quaeso,
vim medicaminis,
Quod medetur
cunctis languoribus,
Conturbatis
infundas ossibus.

7. Ave, mater
virgo concipiens,
Fac, ne iudex
iustus et patiens
Mentis nostrae
perscrutans angulos
Irascatur
per dies singulos.

8. Ave, cuius
magnificentia
Supercrescit
et transit omnia,
Tua, virgo,
nam suxit ubera,
Qui fundavit
lunam et sidera.

9. Ave, thronus,
et sedes gratiae,
Thronum enim
iudex iustitiae
Tuum sibi
paravit uterum,
Non oblitus
clamorem pauperum.

10. Ave, templum
virtutis caelicae,
Pia mater,
egenos respice,
Ne nos hora
supremi exitus
Procellarum
involvat spiritus.

11. Ave, de qua
surgens rex gloriae
Nostrae dedit
finem miseriae,
Cuius casta
narrant eloquia,
Castae matris
quanta sint gaudia.

12. Ave, mater
eius, qui tribuit
Nobis bona,
cum in te latuit,
Psalle, virgo,
illius nomini,
Per te vitam
qui dedit homini.

13. Ave, pia,
viam te credimus,
Quam invenit
bonam altissimus,
Cum non esset,
bona qui faceret
Vel qui Deum
corde requireret.

14. Ave cuius
in tabernaculo
Habitavit,
qui pacem saeculo
Nuntiavit,
quem sine macula
Protulisti
de ventris cellula.

15. Ave, Christi
pars et hereditas
Notas nobis
fac vitae semitas,
Ut in tua,
felix puerpera,
Delectemur
in fine dextera.

16. Ave, potens
caelorum domina,
Nostras igne
mentes examina
Ne nos male
pro malis meritis
Leo saevus
voret in abditis.

17. Ave, mater
aeterni luminis,
Firmamentum
et virtus hominis
Tui fructu
salvemur uteri
Ne nos premant
dolores inferi.

18. Ave, cuius
de tabernaculo
Sol et dies
procedens saeculo
Inclinavit
nocti scientiam
Lucis novae
dans caecis gratiam.

19. Ave, mater
exorans filium,
Ut de sancto
mittat auxilium,
Ne sub nostris
cadamus hostibus,
Qui in equis
instant et curribus.

20. Ave, mundi
totius gaudium,
Cordis nostri
quae desiderium
Tribuisti
in tuo filio,
Non fraudasti
vitae solacio.

21. Ave, mater
intacta filii,
Cuius membra
foderunt impii,
Cuius carnem
pro vita saeculi
Obsederunt
cum tauris vituli.

22. Ave, mundum
vas et virgineum,
Fundens nobis
impinguens oleum,
Cuius nos sic
impinguet gratia,
Ut sequatur
misericordia.

23. Ave, orbis
terrarum domina,
Super mare
potens et flumina,
Cuius mira
virtute gratiae
Introivit,
ventrem rex gloriae.

24. Ave, pia,
in qua spem posui
Et quam tota
die sustinui,
Intra tuam
misericordiam
Meam, quaeso,
dele malitiam.

25. Ave, virgo
munda prae omnibus,
Inter mundos
quae lotis manibus
Introisti
ad aram Domini,
Summo templum
effecta numini.

26. Ave, orbis
illuminatio,
Salus nostra,
vitae protectio,
Tuum nobis
confer auxilium,
Si exsurgat
contra nos proelium.

26 b. Ave, pia,
reducens exsules,
Pro me unam
a Christo postules,
Ut in domo
eius inhabitem
Et te templum
illius visitem.

27. Ave, cuius
caro refloruit,
Florens florem,
quae nunquam aruit
Placa tuis
auctorem precibus,
Ne nos tradat
cum peccatoribus.

28. Ave, domus
Dei et atrium,
Super aquas
ad cuius filium
Maiestatis
Deus intonuit,
In quo sibi
bene complacuit.

29. Ave, virgo,
cuius solacium
Planctum mundi
vertit in gaudium,
Saccum, quaeso,
concide veterem
Veste nova
decorans pauperem.

30. Ave, quae nos
de mortis laqueo
Eduxisti
partu virgineo,
Quandocunque
ducar ad exitum,
Meum tibi
commendo spiritum.

31. Ave, cuius
me sanet unctio,
Notum tibi
delictum facio,
In quo diu
ossa inveterant,
Carnis motus
menti dum imperant.

32. Ave, virgo,
felix puerpera,
Cuius cuncta
in fide opera,
Nam tu mater
misericordiae
Germinasti
fructum iustitiae.

33. Ave, salus
in omni tempore,
Casto Christum
circumdans corpore,
Qui suorum
intendens lacrimas
Nostras pie
redemit animas.

34. Ave, cuius
caro virginea
Scutum nobis
fuit et framea,
Qua nos Christus,
cum eam induit,
Fortiorum
de manu eruit.

35. Ave, de qua
fons vitae defluit,
Peccatorum
qui sordes abluit,
Cuius lumen
videmus lumine,
Sub alarum
nos serva tegmine.

36. Ave, cuius
ducatu hominum
Diriguntur
gressus ad Dominum,
Manum nobis
supponas, petimus,
Ne laedamur,
cum ceciderimus.

37. Ave, cuius
nos sanet puritas,
Quia non est
in nobis sanitas,
Ut sanatis
constet, quod gemitus
Noster a te
non est absconditus.

38. Ave, munda
verbo et opere,
Ne in lingua
delinquam temere,
Ori meo
pone custodiam,
Ut novica
loqui fastidiam.

39. Ave, mater
regis iustitiae,
Nos de lacu
educ miseriae
Et ad Christum
recto duc tramite,
Qui scriptus est
in libri capite.

40. Ave, mater,
intende pauperi,
Qui sub veste
mendicat veteri,
Et in die
mala nos libera,
Nostra iudex
ne libret scelera.

41. Ave, vitae
fons, quem desidero,
Cuius rivus
ex tuo utero
Nos emundat
a sorde maxima;
Quare ergo
tristis es, anima?

42. Ave, templum
lucis perpetuae,
Nos a gente
dolosa erue,
Quae, ut vitam
orares homini,
Introisti
ad aram Domini.

43. Ave, potens
in cuius nomine
Malignorum
spreto molimine
Triumphamus
devictis hostibus
Et salvamur
de affligentibus.

44. Ave, regis
domus eburnea,
Foris candens
et intus aurea,
Quam virtutum
varietatibus
Rex decoram
fecit prae omnibus.

45. Ave, cuius
Deus refugium,
Iuncta virtus
est adiutorium,
Quae virtutum
tenens fastigia
Super terram
ponis prodigia.

46. Ave, virgo,
quae plaudis manibus
Subiectisque
gaudes de gentibus,
Tuam nobis
ostende faciem,
Cuius Deus
dilexit speciem.

47. Ave, Dei
mons sive civitas,
Ad te nostras,
converte semitas
Ut in tuis
cognosci domibus
Mereamur
cum caeli civibus.

48. Ave, virgo,
per cuius meritum
Evaserunt
mortis interitum,
Quos redemit
de manu inferi
Tui germen
et fructus uteri.

49. Ave, cuius
ex Sion species,
Cuius ut sol
decora facies,
Unde venit
deorum dominus,
Ut humanum
deleret facinus.

50. Ave, mater
misericordiae,
Miserere
nostrae miseriae,
Miserere,
quia peccavimus,
Quia malum
coram te fecimus.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, cuius
me regat gratia,
Ne sim potens
in iniustitia,
Adiutricem
meam te posui,
Ne me sinas
in fine destrui.

2. Ave, celsa
virtutum apice,
Tu de caelo
super nos aspice,
Fac ad bonum
promptos et habiles,
Quia facti
sumus inutiles.

3. Ave, sancto
fecunda germine,
Salvum me fac
in tuo nomine
Opem, quaeso,
praesta celerrimam,
Meam fortes
ne quaerant animam.

4. Ave, cuius
quaero subsidium
Conturbatus
a voce hostium,
Qui in ira
turbati rugiunt,
Sed te matre
iubente fugiunt.

5. Ave, mundi
lumen et oculus,
Senescentis
naturae baculus,
Miserere
mei, spes veniae,
Quem conculcant
hostes cotidie.

6. Ave, potens,
casta, mitissima,
Mea in te
confidit anima,
Tu de caelo
mitte solacium,
Calcantes me
da in opprobrium

7. Ave, mater,
et servos libera,
Quorum manus
concinnant scelera,
Ea per te
salvator deleat,
Ne nos ira
vivos absorbeat.

8. Ave, regnans
cum caeli principe,
Inimicis
meis me eripe,
Preme fortes,
qui in me irruunt
Et furorem
suum exacuunt.

9. Ave, mater,
cuius in filio
Sanata est
nostra contritio
Opem praesta,
tui muniminis
Vana enim
est salus hominis.

10. Ave, felix
in mulieribus,
Ad quam clamo
de terrae finibus,
Fac, ut regis
intrans cubiculum
Psalmum tibi
dicam in saeculum.

11. Ave, cuius
susceptor Dominus,
Mihi, mater,
adesto comminus,
Quando iudex
in die aspera
Reddet cuique
secundum opera.

12. Ave, cuius
misericordia
Super vitas
est necessaria,
Spem de tua
gerens dulcedine
Levo manus
in tuo nomine.

13. Ave, virgo,
quam laude prosequor,
Exaudi me,
pia, cum deprecor,
Quae triumphas
de mortis principe,
Me ab eius
timore eripe.

14. Ave, mater,
per te propitius
Tuus nobis
reddatur filius,
Cum in fine
ad eum veniet
Omnis caro,
ne tunc nos cruciet.

15. Ave, potens
in domo Domini,
Psalmum
tuo dicamus nomini,
Per quam
fecit opus mirabile
Verbum in te
factum visibile.

16. Ave, quae in
terra nos dirigis,
Rationi
dum sensum subigis,
Suum terra
tunc fructum tribuit,
In te carnem
cum verbum induit.

17. Ave, tellus,
cui voluntariam
Segregavit
Dominus pluviam,
Quam super nos
doctores gratiae
Stillaverunt
a Dei facie.

18. Ave, de qua
carnis cilicium
Christus sumens
in sterquilinium
Huius vitae
venire voluit
Et de luto
mundum eripuit.

19. Ave, regis
reclinatorium,
Meum veni
in adiutorium,
Ne moreris,
sed cito libera,
Ne malorum
me premant opera.

20. Ave, felix
Christi solacio,
In te semper
mea cantatio,
Quae facta es
tamquam prodigium,
Absque pari
cum paris filium.

21. Ave, caelis
fluens iustitia,
Vellus, in quo
descendit pluvia,
Cuius tamen
imber virgineam
Non rigavit
humanus aream.

22. Ave, plena
virtutum gratia,
Quam suscepit
Christus in gloria,
Bonum mihi,
in te spem ponere,
Per quam habeo
de vitae munere.

23. Ave, casta,
potens et inclita,
Quae fregisti
draconis capita,
Nam tumoris
calcasti vitium,
Quod peccati
fuit initium.

24. Ave, mater,
virgo perpetua,
Peccatorum
confringe cornua,
Qui non cessant
inique agere
Et in altum
cornu extollere.

25. Ave, mundi
sordes eliminans,
In te lumen
mundum illuminans
Ab aeternis
descendit montibus,
Ut in nostris
luceret vallibus.

26. Ave, per quam
fit nota populis
Dei virtus
manens in saeculis,
In qua pater
extendit brachium
Salvans Iacob
et Ioseph filium.

27. Ave, terra,
quae manna caelicum
Suscepisti,
panem angelicum,
Ut in terris
homo comederet,
Ne in via
vitae deficeret.

28. Ave, felix
inter mulieres,
Nimis facti
sumus ut pauperes,
Sed tu, dives,
a morte animae
Propter nomen
tuum nos redime.

29. Ave, radix
vitae, quae palmites
Ad terrarum
extendit limites,
Quam humani
cultoris opera
Non plantavit,
sed Dei dextera.

30. Ave, pia,
quae nostrum gravibus
Sublevasti
dorsum oneribus,
Ne iam nostrae
manus in cophino
Sint serviles
Aegypti domino.

31. Ave, mater
magni consilii,
Per quam
sumus effecti filii
Et deorum
effecti similes,
Qui eramus
servi odibiles.

32. Ave, virgo
prudens et humilis,
Cui nullus est
aut erit similis,
Hostes fuga,
qui fraude nimia
Malignantur
in nos consilia.

33. Ave, nidus
et domus passeris,
Qui ad ritum
praecepti veteris
Immolari
pro illis voluit,
Peccatorum
quos lepra polluit.

34. Ave, de qua
orta est veritas,
Veritatis
quae nobis semitas
Et caeleste
regnum aperuit,
Cum peccata
nostra operuit.

35. Ave, mater,
finis miseriae,
Ad te clamo,
mater, cotidie,
Fac, ut carnis
hostes interimam,
Quia ad te
levavi animam.

36. Ave, Sion
decora civitas,
Quam fundavit
eius auctoritas,
Qui vocatur
et est altissimus,
In qua tamen
factus est minimus.

37. Ave, mater
felix in filio,
Qui ut homo
sine auxilio
Aestimatus
cum peccatoribus
Nos peccati
solvit doloribus.

38. Ave, mater,
illum parturiens,
Qui superbum
in cruce moriens
Vulneravit,
cuius imperio
Nos in suo
redemit brachio.

39. Ave, pia
et exaudibilis,
Super servos
sis deprecabilis
Et super nos
virtutis remige
Actus nostros
tu semper dirige.

40. Ave, cuius
quaero suffragium,
Ut evadam
rete venantium
Et malorum
secernar numero,
Qui timebunt
a verbo aspero.

41. Ave, sonus
caelestis organi,
Quae ut palma
vel cedrus Libani
Pulchra flores
in Dei atriis
Circumsaepta
rosis et liliis.

42. Ave, decor,
qui nunquam marcuit,
In qua Christus
decorem induit
Et praecinxit
se fortitudine
De redempto
triumphans homine.

43. Ave, fulgor
et lumen luminum,
Cogitatus scis
varios hominum,
Sed beatus,
quem erudieris
Et de lege
tua docueris.

44. Ave, virgo
mentis innocuae,
Per quam oves
electae pascuae
Facti sumus
et Dei populus,
Quos pastoris
salvavit baculus.

45. Ave, dies
diem annuntians
Et diei
noctem concilians,
Nocti enim
datus est terminus,
Quia in te
regnavit Dominus.

46. Ave, Dei
sedes et gloria,
Per quam rectis
corde laetitia
Et lux orta
iustis apparuit,
Tuae carnis
quae nube latuit.

47. Ave, cuius
salvavit dextera,
Quos premebat
potestas extera,
Per quam gentes
et terrae termini
Salutare
viderunt Domini.

48. Ave, cuius
nomen mirabile,
Bonis sanctum,
malis terribile,
Ergo tanto
cantemus nomini,
Per quod salus
accessit homini.

49. Ave, cuius
portam et atrium
Introivit
salvator omnium,
Ut per novae
salutis ianuam
Intraremus
ad caeli pascuam.

50. Ave, cuius
misericordia
Me conservet
in innocentia,
Ne sim corde
insatiabilis
Vel superbus,
sed simplex humilis.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, cuius
solamen sitio,
Quia sicut
fumus deficio,
Et cor meum
ut foenum aruit,
Quia rore
salutis caruit.

2. Ave, sancta,
quae plena spiritu
Paris illum,
qui ab interitu
Nos redemit
et desiderium
Nostrum replet
in spe caelestium.

3. Ave, fontem
mittens in vallibus,
Qui de suis
superioribus
Rigans montes
de fructu operum
Satiavit
deserta pauperum.

4. Ave, casta,
potens, egregia,
In qua Deus
fecit prodigia,
Quando verbum
mundo exhibuit,
Ad Abraham
quod quondam habuit.

5. Ave, mater,
per cuius filium
Patres nostri
iugum Aegyptium
Evaserunt,
cum terribilia
In Aegypto
fecit magnalia.

6. Ave, quae nos
de mortis tenebris
Eduxisti
et carnis latebris,
Suscepisti
de sancto spiritu
Verbum sanans
nos de interitu.

7. Ave, sanctis
praecellens omnibus,
Tibi psallam
in nationibus,
Cuius usque
ad nubem veritas,
Cuius mundum
purgavit puritas.

8. Ave, mater
eius, quem aemulus
Impugnavit
gratis discipulus,
Qui pro eo,
ut hunc diligeret,
Satagebat,
ut eum traderet.

9. Ave, virga
virtutis Domini,
Primam reddens
virtutem homini,
Quando natus
ante luciferum
In te fecit
novum mysterium.

10. Ave, data
nobis hereditas,
Gloriosa
cuius fecunditas
Escam dedit
Deum timentibus,
Vitae panem
esurientibus.

11. Ave, domus,
in qua divitiae
Latuerunt
caelestis gratiae,
Unde lumen
lucernae celebris
Rectis corde
luxit in tenebris.

12. Ave, mater,
laetaris filio,
Qui de suo
descendens solio
Resuscitat
de terra pauperes
Et hos facit
in caelo proceres.

13. Ave, vita
vel salus hominum,
In qua sperant,
qui timent Dominum,
Et nos, mater,
te benedicimus,
Per quam vere
salvati vivimus.

14. Ave, tollens
de morte animas,
Oculorum
detergens lacrimas,
Per te mortis
actus sic caveam,
Ut in terra
vivorum placeam.

15. Ave, mundi
tollens piacula,
Mea rumpe,
Maria, vincula,
Et Domino
cordis laetitiam
Immolabo
et laudis hostiam.

16. Ave, virgo,
regina saeculi,
Te collaudant
gentes et populi,
Quos illius
salvavit caritas,
Cuius manet
in aevum veritas.

17. Ave, Sion,
urbs fortitudinis,
Cuius portas
creator hominis,
Per quas nulli
transire licuit,
Introire
protinus voluit.

18. Ave, Dei
edocta legibus,
Legem pone
meis operibus,
Ut in verbo
tuo spem habeam,
Ne ut ovis
errando peream.

19. Ave, summis
excelsa sedibus,
Ad quam tendo
virtutum gradibus,
Sed, ut via
mihi sit libera,
Ab iniquis
linguis me libera.

20. Ave, caelum,
ave, mons montium,
Unde venit
mihi auxilium,
Ne dormites,
quaeso, nec dormias,
Sed me semper
vigil custodias.

21. Ave, virgo
sancta ut civitas,
Ubi mansit
et sedit deitas,
Cuius pacem
fecit in omnibus,
Quam virtutum
munivit fructibus.

22. Ave, fracti
paxillus saeculi,
Ecce, sicut
servorum oculi
Suum semper
haerent in dominum,
Sic nos in te,
spes sola hominum.

23. Ave, per quam
de mortis laqueo
Sicut passer
ereptus gaudeo,
Nam contritus
est per te laqueus,
Quem caelestis
contrivit malleus.

24. Ave, Sion,
urbs nostri foederis,
In aeternum
non commoveberis,
Nam in illo
secure habitas,
Cuius nescit
motum stabilitas.

25. Ave, cuius
in puerperio
Repletum est
os nostrum gaudio,
Semen enim,
quod flentes misimus,
Iam ubertim
gaudentes metimus.

26. Ave, domus
et aedificium,
Cuius opus
aedificantium
Et laborem
hostis non mutilat,
Deus enim
ibidem vigilat.

27. Ave, caeli
lumen perpetuum,
Ut manducem
laborem manuum,
Fac, ut bonis
fruar caelestibus
Vitae meae
diebus omnibus.

28. Ave, mater,
et me in actibus
Planta bonis,
de quorum fructibus
Manum eius,
qui metit, impleam,
Quando mundi
purgabit aream.

29. Ave, sancti
vas mundum spiritus,
De profundis
exaudi gemitus,
Assis mihi
propitiatio
Apud Deum
atque redemptio.

30. Ave, simplex
corde et oculis,
Quae in partus
tui miraculis
Nil sensisti
nisi humiliter,
Quae provecta
eras sublimiter.

31. Ave, cuius
dedit virginitas
Fructum, de quo
iuravit veritas,
Ut in sede
David hunc poneret,
In virtute
qui gentes regeret.

32. Ave, fundens
unguenti gaudium,
Quod in barbam
et oram vestium
Deitatis
fluxit de capite,
Ut nos suo
sanaret fomite.

33. Ave, sanctum,
ad quod extollimus
Manus nostras,
quod benedicimus,
Singulari
nam tibi gratia
Benedixit,
qui fecit omnia.

34. Ave, quae stas
in domo Domini,
Cuius psallo
devote nomini,
Nam te sibi
elegit Dominus,
Ut humanum
deleret facinus.

35. Ave, cuius
processit abditis,
Qui Aegyptum
cum primogenitis
In excelso
percussit brachio,
Illos mergens
maris in medio.

36. Ave, mater,
et super flumina
Babylonis
tuos illumina,
Ut cum choris
cantemus caelicis
Hymnum tibi
de Sion canticis.

37. Ave, per quam
in bonis provehor,
Toto tibi
corde confiteor,
Confitentis
vocem exaudias
Et oranti
aurem aperias.

38. Ave, venter,
quem eius sessio
Decoravit
et resurrectio,
Qui sedentes
in mortis carcere
Novam fecit
ad lucem surgere.

39. Ave, virtus
et salus animae,
Superborum
furorem reprime,
Qui extendunt
funem in laqueum,
Ut me mergant
mortis in puteum.

40. Ave, mater
pone custodiam
Ori meo
et circumstantiam,
Ne in verba
cadam malitiae
Excusando,
quod gessi impie.

41. Ave, cuius
iuvamen postulo.
Nam in via
ista, quam ambulo,
Hostes multi
abscondunt retia,
Ne ad vitae
curram stipendia.

42. Ave, virgo
vivens feliciter,
Exaudi me,
quaeso, velociter,
Et, ne diu
in vanis ambulem,
Monstra mihi
viam, quam ambulem.

43. Ave, per quam
mundo innotuit,
Inclinare
caelos qui voluit
Et ad terram
descendit humilis,
Vanitati
ne essem similis.

44. Ave, virgo,
regina saeculi,
In te sperant
omnium oculi,
Quibus escam
de mundo corpore
Opportuno
dedisti tempore.

45. Ave, mundi
princeps et domina,
Vinctos solve,
caecos illumina,
Quae clementer
elisos erigis,
Iustos autem
foves et dirigis.

46. Ave, nubes
caelum aperiens,
Unde terra
suscepit sitiens
Imbrem novum,
foenum in montibus
Qui producit,
vitam hominibus.

47. Ave, Sion
et pacis civitas,
Cuius portas
ingressa deitas
Confortavit
earum pessulum,
Unde clausae
manent in saeculum.

47 b. Ave, mundi
dotata principe
Quae frumenti
caelestis adipe
Satiasti
mundum famelicum
Panem ei
praebens angelicum.

48. Ave, virgo
potens in gloria,
In excelsis
quam laudant omnia,
Et in terris
ut matrem saeculi
Reges terrae
et omnes populi.

49. Ave, mater
regis iustitiae,
In quo Sion
exsultant filiae,
Qui potentes
reges cum gentibus
Legis suae
ligat compedibus.

50. Ave, virgo,
quam voce, tympano,
Sono tubae,
chordis et organo
Omnis laudet
devote spiritus,
Per quam victus
obit interitus.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. A. — Cod. Taurinen. K V 31. saec. 14. B.

I. 1, 6 folia B. — 1, 8 gesisti B. — 5, 5 Tuo B. — 6, 5 Quos medetur AB. — 6, 7 Cum turbatis A. — 7, 7 Irascitur A. — 9, 3 Thronum eius iudex A. — 9, 5 Suum sibi A. — 12, 3 Nobis fehlt A. — 12, 5 Psallere virgo AB. — 13, 6 faceret fehlt B. — 15, 3 sq. fac nobis AB. — 16, 3 igne fehlt B. — 16, 7 saevus fehlt AB. — 20, 3 sq. Cordis nostrique AB. — 20, 6 tuo fehlt AB. — 22, 2 et fehlt A. — 23, 8 ventrem fehlt AB. — 25, 2 munda fehlt AB. — 26, 7 In te templum B. — 27, 7 Ne tradat nos AB. — 28, 6 Dei AB. — 29, 4 consertit in gaudium B. — 30, 1 nos fehlt AB. — 33, 6 intendit A. — 35, 5 sq. Cuius lumine videmus lumen B. — 36, 5 Manus A. — 37, 2 nos salvet B. — 38, 7 sq. loqui nociva AB. — 39, 7 sq. fehlen B. — 41, 2 quam desidero A. — 41, 4 tuo fehlt AB. — 41, 5 mundat B. — 44, 7 decorem AB. — 45, 1 refugium fehlt AB; vgl. Ps. 45, 1 bis 45, 8 ponens B. — 50, 4 meae miseriae A.

II. 3, 2 me regat caritas B. — 8, 2 castissima, mitissima B. — 11, 3 sq. est nostra fehlen AB. — 17, 6 opus terribile B. — 19, 4 Deus pluviam AB. — 19, 6 doctores gentium B. — 20, 1 Ave, de cuius carnis AB. — 24, 7 habeo fehlt A. — 30, 4 sum eis pauperes A, sumus pauperes B. — 31, 3 Dimersisti dorsum B. — 36, 5 sqq. Construe: Fuga consilia, quae hostes fraude nimia in nos malignantur. — 35, 8 palluit B. — 39, 2 in filio felix B. — 39, 5 Extimatus B. — 43, 5 florens B. — 45, 3 Cogitatus sis B. — 48, 3 Et die AB. — 50, 8 et humilis B.

III. 2, 7 Nostrum fehlt A. — 6, 4 cum de carnis latebris B. — 7, 3 Sibi psallam A. — 9, 8 novum puerum B. — 10, 6 Deus A. — 12, 2 laetans B. — 12, 5 Resuscitans B. — 15, 3 sq. Maria rupisse vincula A, Maria rupisa vincula B. — 15, 5 Ut tibi cordis B. — 19, 1 Ave, summa B. — 20, 6 quaeso neque dormias A, quaeso et neque dormias B. — 21, 2 et civitas A. — 22, 4 servorum saeculi A. — 22, 5 Suos A. — 22, 6 haberet in dominum A. — 24, 4 commovebis B. — 25, 6 flentes fehlt AB. — 26, 3 Ubi opus A. — 29, 2 mundi AB. — 29, 5 mihi fehlt B. — 35, 7 Suos salvans B. — 36, 7 tibi fehlt AB. — 38, 4 et eius resurrectio AB. — 41, 5 multi fehlt AB. — 42, 6 das doppelte ambulem haben beide Quellen. — 44, 1 Ave, virga B. — 47b, 1 sq. dotata mundi AB.

Dem Psalterium vorauf geht in beiden Hss.: Suscipe, regina caeli, quae mente benigna etc. — Das Psalterium enthält 152 Strophen, also zwei über die Normalzahl; dies rührt daher, dafs zwei Psalmen durch je zwei Strophen vertreten sind, nämlich Ps. 26 durch Str. I, 26 (= Ps. 26, 1 sq.) und 26b (= Ps. 26, 4), Ps. 147 durch Str. III, 48 (= Ps. 147, 2) und 48b (= Ps. 147, 3). — B schliesst mit folgender Rubrik: Explicit psalterium in honorem intemeratae virginis, gloriosissimae Mariae, de singulorum psalmorum contextu rhythmice ac devotissime exaratum.

III. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, decus
omnium virginum,
Mediatrix
Dei et hominum,
Quae sprevisti
nequam consilium,
Coniunge nos
choris caelestium.

2. Ave, decor
et decus saeculi,
Christiani
spes vera populi,
Meditatae sunt
plebes inania
Fac, ut salvemur
Dei gratia.

3. Ave, templum
caelestis luminis,
Alma Dei
mater et hominis,
Multiplices
nos tribulantium
Preme minas
et insurgentium.

4. Ave, sedes
aeterni luminis,
Demonstratrix
perennis sideris,
Invocantes
audi propitia,
Tribulatos
ne spernas, domina.

5. Ave, verbi
Dei triclinium
Et spiritus
sancti sacrarium,
Pietatis
auribus percipe,
Verba nostri
clamoris suscipe.

6. Ave, virgo,
candor virgineus,
De qua nasci
dignatus Dominus,
Ne nos furor
divinus arguat,
Oratio nos
tua praemuniat.

7. Ave, mater
Dei et Domini.
Per quam Deus
subvenit homini,
Salvos nos fac
clemens ab omnibus
Et libera a
persecutoribus.

8. Ave, parens
illius Domini,
Cuius subest
orbis regimini,
Fac per tua,
virgo, suffragia,
Ut tecum simus
in eius gloria.

9. Ave, virgo,
quae sine termino
Confiteris
ex corde Domino,
Audi clemens
atque propitia
Nostri cordis
ad te suspiria.

10. Ave, mater,
de Dei filio
Quae confidis
sicut de proprio,
Fac, ne nostra
transmigrent animae
Abs illius
cibi dulcedine.

11. Ave, mater
Deum parturiens,
Dulcedine
tota scaturiens,
Quae verax es
prae natis hominum,
Redde nobis
placatum Dominum.

12. Ave, legis
et umbrae terminus,
Per quam mundo
subvenit Dominus,
Oblivisci
ne velis pauperum,
Sed munda nos
amore scelerum.

13. Ave, virgo,
quae Dei filium
Tenuisti,
lumen fidelium,
Aufer a nobis
insipientiam
Conferendo
veram scientiam.

14. Ave, Dei
reclinatorium,
In qua fixit
suum tentorium,
Fac, ut illum
fideles habitent,
Et quieti
in monte pausitent.

15. Ave, sancta
salvatrix hominum,
Quae lactasti
caelorum dominum,
Conserva nos
in omni tempore,
In anima
simul et corpore.

16. Ave, sedes
solis iustitiae,
Per te datur
nobis spes veniae,
Sic exaudi
nostra precamina,
Ut deleas
nostra peccamina.

17. Ave, cuius
sancta dilectio
Nimis ardens
adhaesit filio,
Libera nos
a malis omnibus
Tuis sanctis
orationibus.

18. Ave, cuius
narratur gloria,
In caelesti
sanctorum curia,
Ne cadamus
cum infidelibus,
Confirma nos
in bonis actibus.

19. Ave, plebis
Israel inclita,
Angelorum
transcendens merita,
Exaudi nos,
ne tribulatio
Comprehendat
nos in iudicio.

20. Ave, fulgur
divini sideris,
In virtute
cuius laetaberis,
Et quoniam
in te speravimus,
Consequamur,
quod de te poscimus.

21. Ave, virgo,
splendor virgineus,
Quam respexit
omnipotens Deus,
A delictis
nostris emunda nos
Et in bonis
tuis confirma nos.

22. Ave, David
regis egregia
Proles, Dei
mater eximia,
Colloca nos
in monte pascuis
Et reple nos
virtutibus tuis.

23. Ave, mater
terrarum domini,
Universae
qui plenitudini
Orbis praees
per ipsum filium,
Nos ad terram
perduc viventium.

24. Ave, regis
Ididae ferculum,
Maiestatis
divinae speculum,
Ne perpetim
ruborem sufferas,
Confidentes
in te non deseras.

25. Ave, mater
illius, omnium
Cui pater
dedit iudicium,
Iudica nos
in innocentia,
Etsi non sit
in conscientia.

26. Ave, virgo,
lumen fidelium,
Illuminans
mentes credentium,
Esto salus
fidelis populi,
Ne timeam
furorem zabuli.

27. Ave, vitae
caelestis ianua,
In conspectu
regis assidua,
Ad te clamat
omnis ecclesia,
Deprecata
sis ei venia.

28. Ave, lucis
aeternae radius,
In quam Dei
descendit filius,
Arietum
nos quasi filios
Affer Deo
peccati nescios.

29. Ave, virgo,
quae Dei filium
Exsultando
facis propitium,
Suscipe nos
in ulnis gratiae,
Ne laetentur
hostes ecclesiae.

30. Ave, per quam
remisit omnium
Deus tergens
culpas fidelium,
Culpas nostras
remitti obtine
Et munda nos
ab omni crimine.

31. Ave, pacis
aeternae visio,
Laus sanctorum
et exsultatio,
Quam merito
decet laudatio,
Repraesenta
nos tuo filio.

32. Ave, per quam
filii hominum
Benedicunt
aeternum Dominum,
Cuius semper
laus in ore tuo
Ab omni nos
munda superfluo.

33. Ave, per quam
Deus iudicium
Mitigavit
culpis fidelium,
Nocere nobis
volentes iudica
Et impugnantes
pie pacifica.

34. Ave, mundi
propitiatio,
Peccatorum
spes et salvatio,
Delinquere
volentes reprime
Et timore
Dei nos imprime.

35. Ave, Dei
sermonum conscia,
Secretorum
eius non inscia,
Aufer a nobis
venenum aemuli,
Ne zelemus
maligna saeculi.

36. Ave, placans
furorem Domini,
Iram Dei
mitigans homini,
Ne iratus
Deus nos arguat,
Protectio
tua nos eruat.

37. Ave, manna
caeleste pariens,
Vias nostras
esto custodiens,
Conserva nos
a malo opere,
Ne peccemus
in lingua temere.

38. Ave, vera
propitiatio
Peccatorum
et exspectatio,
Ut intendat
filiis hominum,
Tu adiutrix
esto fidelium.

39. Ave, Christi
genetrix pauperis,
Sed egeni
pro nobis miseris,
Edoce nos
illius opera
Et in die
mala nos libera.

40. Ave, fontem
divinum sitiens,
Quasi cervus
ardorem patiens,
Fac, ut tui
Deum desiderent
Et in regno
tuo considerent.

41. Ave, mater
eius, qui iudicat,
Qui credentes
in se iustificat
Discerne nos
a nequam gentibus,
Ab earum
nos servans fraudibus.

42. Ave, virgo,
vatum progenies,
Quam praevidit
eorum series,
Fac consequi,
quod de te credimus,
Ut auribus
nostris audivimus.

43. Ave, verbi,
quod eructat pater,
Sanctissima
nutrix atque mater,
Dic opera
bona, quae fecimus,
Et regi tege,
quod deliquimus.

44. Ave, summi
regis palatium,
Nostra virtus
atque refugium,
Adiuva nos
in hoc exsilio,
Ne occupet
nos tribulatio.

45. Ave, virgo
cuius profectibus
Omnes gentes
plaudunt manibus,
Cui caelica
iubilant agmina.
Ut exsultemus,
facito, domina.

46. Ave, mater
tonantis inclita,
Cuius magna
laudantur merita,
Fac nos cives
urbis uranicae
Et in monte
sancto constitue.

47. Ave, cuius
filium audiunt
Omnes gentes,
quaecunque sapiunt,
Fac nos cordis
aure percipere,
Quidquid de te
debemus sapere.

48. Ave, mater
deorum domini,
Ope nobis
succurre celeri,
Nos devotos
de terris evocans
Et in regno
superno collocans.

49. Ave, iubar
divini sideris,
Miseratrix
effecta miseris,
Iuxta tuam
misericordiam
Posce nostris
peccatis veniam.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, cui
nec vana gloria
Dominatur
neque malitia,
Da, ut prosit
plus tua aequitas,
Quam nocere
possit iniquitas.

2. Ave, quae non
sicut increduli
Deum negas
factorem saeculi,
Segrega nos
ab infidelibus,
Quae hoc fingunt
de suis cordibus.

3. Ave, mater
Dei almifica,
In nomine
cuius salvifica
Confidentes
in tuis viribus
Et statue
cum iudicantibus.

4. Ave, mortis
Evae destructio
Vitaeque spes
et restitutio,
Audi preces,
quibus te petimus
Neque spernas,
qui te deposcimus.

5. Ave, larga
donatrix veniae,
Miserere
filiis gratiae,
Quos conculcat
pestis superbiae,
Et impugnant
hostes tota die.

6. Ave, virgo,
quae nobis miseris
Subveniens
semper misereris,
Miserere
nobis, te poscimus,
Qui iugiter
in te confidimus.

7. Ave, virgo,
quae verum iudicem
Peperisti,
criminum vindicem,
Fac, ut eius
vindicta [anxia]
In nos praeponderet
misericordia.

8. Ave, porta
patens iustitiae,
Sed principi
clausa malitiae,
Libera nos
clemens ab hostibus,
Eripiens
ab insurgentibus.

9. Ave, virgo
sacro spiramine
Fecundata,
non viri semine,
Nos divina
ira non destruat,
Sed rebelles tua
caritas eruat.

10. Ave, mater
salvantis saeculum,
Caritatis
renidens speculum,
Audi preces
te deprecantium
Annuendo
votis orantium.

11. Ave, hostis
impudicitiae,
Regi parens
omnis munditiae,
Fac nos eius
mandatis subici
Salutari
placendo iudici.

12. Ave, splendens
lucerna saeculi,
Christiani
spes vera populi,
Fac, ut simus
ad Deum vigiles
Nec filii
lucis dissimiles.

13. Ave, iustos
semper exaudiens,
Mater pura
et virgo pariens,
Coniunge nos
Deum timentibus,
Eripiens
ab eius hostibus.

14. Ave, Sion
caelestis specula,
Quam per cuncta
laus decet saecula,
Fac, ut pacis
effecti visio
Vota Dei
reddamus filio.

15. Ave, cunctis
praecellens filia,
Orbis terrae
totius domina,
Iubilare,
psallere Domino,
Et laudes dare
fac sine termino.

16. Ave, cunctis
regibus imperans,
Miserorum
reatus miserans,
Vultum tuum
super nos irradia
Et miserando
remove vitia.

17. Ave, vincens
ortum diluculi,
Illuminans
tenebras saeculi,
Effugatur
a tua facie,
Qui adversum
nos stat in acie.

18. Ave, salus
humani generis,
Virgo, proles
non Adae veteris,
Salvos nos fac
a tempestatibus
Ad animam
pervenientibus.

19. Ave, per quam
creator omnium
Venit nobis
in adiutorium,
Et, quod nostra non
merentur opera,
Auxilium
Dei inpropera.

20. Ave, virgo,
in te sperantium
Vera salus,
verum refugium,
Libera nos
tua iustitia
Et eripe
magna miseria.

21. Ave, cuius
nato iudicium
Dedit Deus
omnium gentium,
Confer nobis
clemens auxilium
Apud regis
commendans filium.

22. Ave, bonis
quoque virginibus
Et maior es
feminis omnibus,
Praesta nosse
tuis fidelibus,
Quam sit bonus
Israel Dominus.

23. Ave, virgo,
quam rite praetulit
Omni mundo
nec Deus reppulit,
Iram eius
a nobis remove
Et compescens
furorem nos fove.

24. Ave, Christi
mater dignissima,
Advocata
nostra purissima,
Fac, ut nominis
eius confessio
Nobis prosit
et invocatio.

25. Ave, de qua
tonantis filius
Dignatus est
nasci, non alius,
Fac nos scire,
quod sit Emmanuel,
Cuius magnum
nomen in Israel.

26. Ave, virgo,
doctarum virginum
Doctissima,
perfer ad Dominum
Sic clamores
nostros cum vocibus,
Ut intendat nostris
orationibus.

27. Ave, virgo,
plebis Iudaicae
Flos et finis
legis Mosaicae,
Fac nos legem
Dei attendere
Et auribus
verba percipere.

28. Ave, summi
regis oraculum,
Doce Christi
fidelem populum,
Ut se Dei
templum custodiat
Et de gentibus
hereditas fiat.

29. Ave, decus
virginum omnium,
Quam figuravit
rubi incendium,
Exora, nos regat
qui regit Israel,
Qui eduxit
velut ovem Ioseph.

30. Ave, luce
transcendens meritum,
Quam figuravit
velum umbriferum,
Fac carentes
peccati nubilo
Et exultare
Deo in iubilo.

31. Ave, Dei
mater egregia,
Synagogae
carnalis filia,
Subtrahe me
eius iudicio,
Ut gaudere
possim in Domino.

32. Ave, Christi
parens mirabilis,
Cui non est
alia similis,
Adversum nos
compesce filium,
Ut taceat
culpis fidelium.

33. Ave, mater
virtutum Domini,
Qui peccanti
pepercit homini,
Fac nos eius
atria cupere
Et a pravis
votis deficere.

34. Ave, terra,
quam sancti spiritus
Fecundavit
fructus divinitus,
Captivatos
remitte liberos,
Casus a nobis
averte asperos.

35. Ave, gazis
terrenis indigens,
Omnibus sanctis
virtute praeminens,
Aures nostris
porrige precibus,
Exaudiens, quae
fideliter rogant.

36. Ave, cunctis
plena virtutibus
Et in sanctis
fundata montibus,
Duc in tua
nos tabernacula,
Ut vivamus
tecum per saecula

37. Ave, quam dilexit
Deus plus aliis
Filiorum
Iacob tentoriis,
In diebus
simul et noctibus
Subveniat
ad te clamantibus.

38. Ave, mater,
clara [ut aurora]
Nimis pulchra
et [nimis] decora
Fac nos [virgo]
per [cuncta] saecula
Cantare Domini
misericordiam.

39. Ave, virgo,
cuius refugium
Nobis satis
est necessarium,
Christiana,
fac. generatio
Tuta tuo
fiat auxilio.

40. Ave, bonae
tu germen arboris,
In hieme
non iacens frigoris,
Habitare
cum tuo filio
Nos ipsius
fac adiutorio.

41. Ave, virgo,
cuius confessio
Et bonitas
placuit Domino,
Fac nos eius
nomini psallere
Et devotos
amodo vivere.

42. Ave, cuius
regnator filius
Indutus est
fortitudinibus,
Praecinge nos
virtutum cingulo,
Ne vivamus
amplius saeculo.

43. Ave, princeps
et hera virginum,
Quae portasti
virginum dominum,
De hostibus
nostris ulciscere
Et doce nos
libere agere.

44. Ave, sancta,
repleta gaudio
Exsultantes
cum tuo filio
Fac nescire
peccati nubilum,
Ut congaudeant
tecum in aevum.

45. Ave, cui nova
decent cantica,
Nos cantantes
tibi laetifica,
Ut cum omni
caeli collegio
Laudabiliter
cantemus Domino.

46. Ave, parens
regnantis unica,
Nos in ipsius
regnum sanctifica,
Ut tu nostra
sis exsultatio,
Et insulae
redundent gaudio.

47. Ave, mater,
sola digna Deo,
Cui decet
laus cum tripudio,
Fac, ut nostra
superet vitia,
Mirabilia
qui fecit omnia.

48. Ave, cuius
regnavit filius,
Velit, nolit
populus impius,
In Cherubim
sedens nos foveat,
Ne nos turbo
terrae commoveat.

49. Ave, virgo,
cuius filio
Debetur laus
et exsultatio,
Fac nos servire
cum laetitia
Dominanti,
qui regit omnia.

50. Ave, mater
misericordiae,
De qua ortus
est sol iustitiae,
Fac, ut cantemus
Dei iudicia
Praecedente
misericordia.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, caeli,
terraeque domina,
Mentes nostras
[caecas] illumina,
Ad te clamor
noster sic veniat,
Ut orantes
Deus exaudiat.

2. Ave, mater
Dei sanctissima,
Benedicit
quam omnis anima,
Compescere
fac tuus filius
Extra pugnantes
nos et interius.

3. Ave, Dei
mater magnifica,
Corda nostra
pie pacifica,
Ut animae
nostrae in gloria
Benedicant
Deum per saecula.

4. Ave, quae Deo
confitentibus
Invocata
praesto es omnibus,
Fac, nos eius,
qui fecit sidera,
Inter gentes
narrare opera.

5. Ave, mater,
Deo confitentium
Es et vera
mater credentium,
Fac nos omni
mundatos macula
Confiteri
Deo per saecula.

6. Ave, cuius
et Dei filio
Cor paratum
psallit ex animo,
Fac nos ei
devote agere
In gloria
et laudem canere.

7. Ave, cuius
laudes altissimus
Non taceri
iussit nos Dominus,
Eripe nos
a peccatoribus
Et a fraudulentis
operatoribus.

8. Ave, virgo
virtutem retinens,
Toto corde
Domino confitens,
Suscipiat
nos congregatio
Beatorum
tuo auxilio.

9. Ave, virgo,
quae times Dominum
Et diligis
prae natis hominum,
Fac nos eius
mandata cupere
Et secundum
eadem vivere.

10. Ave, virgo,
quam laudant pueri,
Non Evae
malitia teneri
Et omnino
mundatos criminum
Fac nos caeli
laudare Dominum.

11. Ave, virgo,
cuius antiquitas
Ex Israel
fuit paternitas,
Ab homine
malo nos libera
Et eripe
de plebe barbara.

12. Ave, virgo
diligens Dominum,
Plus omnibus
filiis hominum,
Et in Deum
tua dilectio
Nostrae vocis
est exauditio.

13. Ave, virgo,
et cum pepereris
Deum, de quo
credis, quod loqueris,
Spiritus nostros
semper humilia
Et pauperes
duc ad sublimia.

14. Ave, virgo,
quae laudas Dominum,
Cuius laudes
non habent terminum,
Confirmet nos eius
misericordia,
Pius qui est
vere per saecula.

15. Ave, virgo,
cuius ecclesia
Confitetur
misericordia,
Infidelem
retunde populum,
Custodi nos
usque in saeculum.

16. Ave, carens
peccati macula
Et beata
per cuncta saecula,
Fac, ut in lege
Dei et in via
Ambulemus
et non per vitia.

17. Ave, virgo, quae
semper ad Dominum
Vociferas
pro culpis hominum,
Libera nos a
tribulationibus,
Quae parcere
nosti peccantibus.

18. Ave, virgo,
nitens plus quam rosa,
Sole, luna
quae plus speciosa,
Eleva nos
ad summum montium,
Unde nobis
venit auxilium.

19. Ave, de qua
laetantur angeli
Et fideles
quicunque populi,
Introduc nos
in domum Domini,
Uti eius
psallamus nomini.

20. Ave, virgo
caelo inhabitans
Et pro nobis
ad Deum clamitans,
Fac, ut laetati
fideles populi
Ad superna
tendant mentis oculi.

21. Ave, in quam
descendit Emmanuel,
Quem propago
praevidit Israel
Nasciturum
de suo semine,
Libera nos
ab omni crimine.

22. Ave, virgo
fortis ut mons Sion
Et confidens
in Dei filio,
Fac, ut pacis
aeternae visio
Nobis perpes
sit habitatio.

23. Ave, mater
Deum parturiens
Et ad eum
captivos convertens,
Pete, mitis,
a tuo filio,
Fiat nobis
ut consolatio.

24. Ave, virgo,
cuius muros domus
Dominator
instruxit Dominus,
Vane laborant
hominum filii,
Si non habent
manus auxilii.

25. Ave, plena
timoris Domini,
Quae nullius
timuisti crimini,
Quos peccata
non vis committere,
Fac in viis
Dei incedere.

26. Ave, virgo,
quam nullus hostium
Expugnatam
traxit ad vitium,
Nosque serva
ab impugnantibus
Et eripe
tuis virtutibus.

27. Ave, virgo,
quae supercilia
Habuisti
semper humilia,
Neque erexit
cor exaltatio,
Sanctifica
nos tuo filio.

28. Ave, virgo,
mansuetudinis
Heres David
et fortitudinis,
Obsecramus,
nostri memineris,
Qui volvimur
in luto sceleris.

29. Ave, cuius
iucunda bonitas
Est et semper
bona iucunditas
Deprecare,
ut fraternitas
Sit inter nos
et sancta caritas.

30. Ave, virgo,
quam servi Domini
Benedicunt
magni et minimi,
Fac, ut Dei
benedictio
Emundet nos
ab omni vitio.

31. Ave, virgo,
quam laudant omnia,
Homo, pecus
et volatilia,
Fac, quicunque
sunt servi Domini,
Laudem eius
tribuant nomini.

32. Ave, virgo,
quae Dei mirabilia
Confiteris
et nosti omnia,
Fac, ut omnes
filii hominum
Confitentes
laudemus Dominum.

33. Ave, Sion
caelestis filia,
Nihil habens
de Babylonia
Fac nos flere
mala, quae fecimus,
Quibus cantus
nostros amisimus.

34. Ave, caeli
praepotens domina,
Quae virtutum
transscendis culmina,
Fac, Deo con-
fitemur cordibus,
Et audiri
da nostris vocibus.

35. Ave, virgo
probata meritis,
Praesentibus
atque praeteritis
A peccatis
fac nos resurgere
Et in bonis
fac semper vivere.

36. Ave, virgo,
quae bonos eripis,
Et malignos
et pravos diripis,
Eripe nos
a malo homine
Et ab omni
libera crimine.

37. Ave, mater
ad te clamantium,
Exaudiens
voces fidelium,
Intendere
digneris vocibus
Nostris, ad te
dum clamaverimus.

38. Ave, virgo,
pro culpis hominum
Vociferans
semper ad Dominum,
Fac, intendat
nobis orantibus,
Si non nostris
vel tuis precibus.

39. Ave, Dei
dicata filio,
Fac, ut semper
nostra oratio
Audiatur
ab ipso Domino,
Qui iustus est
et verax omnino.

40. Ave, virgo
docens ad proelium
Contra hostes
manus fidelium,
Doce meos
semper digitos
Contra motus
carnis illicitos.

41. Ave, virgo,
quam Dei filius
Exaltavit prae
ceteris amplius,
Benedicas
fidelem populum
Amodo et
usque in saeculum.

42. Ave, virgo,
speculum virginum,
Cuius laudat
anima Dominum
Fac, ut omnes
qui modo vivimus,
Eum laudemus,
donec fuerimus.

43. Ave, virgo,
cuius laudatio
Iucunda est
et placens Domino,
Fac nos ei
placentes vivere,
Cui soli
bonum est psallere.

44. Ave, virgo
praecellentissima,
Deum laudans
cum Ierosolyma,
Fac, ut in Sion
caelestis specula
Collaudemus
eum per saecula.

45. Ave, virgo
caelis excelsior,
Virginibus
cunctis humilior,
Fac, in caeli
sublimitatibus
Ut laudetur
a nobis Dominus.

46. Ave, virgo,
cui nova cantica
Plebs decantat
omnis uranica,
Fac, ut sancto-
rum in ecclesia
Collaudetur
Dei potentia.

47. Ave, sanctis
ceteris sanctior
Virgo atque
mater potentior,
Per te, mater
et decus virginum,
Laudet omnis
spiritus Dominum.

48. Tibi, Deus
pater, sit gloria
Cum filio
nato de filia
Et spiritu
sancto per omnia;
Gloria sit
etiam virgini,
Quae praelata
est omni homini,
Per saeculum
nesciens termini.

Orat. ms. S. Iohannis in Toggio saec. 13. Cod. Sangallen. 469. — I. 2, 8 Dei fehlt. — 3, 2 caelesti. — 3, 8 et fehlt. — 6, 4 Dominus fehlt. — 6, 7 sq. nos tua. — 8, 6 virgo fehlt. — 10, 7 Ab. — 10, 8 cibi ergänzt. — 12, 1 et legis. — 13, 1 virgo fehlt. — 13, 6 insapientiam. — 14, 7 quietos. — 14, 8 paustent. — 17, 3 ardet. — 19, 1 plebs. — 19, 3 Angelos. — 19, 8 nos fehlt. — 20, 4 cuius semper laetaris. — 21, 6 munda nos. — 23, 3 Unise. — 23, 5 praeest. — 30, 2 sq. Deus remisit omnes tergens. — 32, 5 sq. Et eius semper laus in ore tuo. — 32, 7 Fac, ut ab omni nos. — 33, 4 culpas. — 34, 7 timori. — 35, 6 venenis. — 36, 8 nos arguat. — 38, 1 Ave, virgo, vera. — 38, 6 filius. — 38, 7 sq. Esto adiutrix fidelium; eine Silbe fehlt und schlechter Reim. — 42, 2 sacrarum progenies. — 45, 2 provectibus. —

II. 2, 2 negas sicut increduli. — 2, 3 negas fehlt. — 2, 4 factorem esse. — 3, 2 Dei fehlt. — 3, 3 sq. cuius nomine. — 3, 5 Et confidentes. — 3, 7 Et fehlt. — 4, 8 fehlt eine Silbe. — 6, 1 virgo fehlt. — 6, 5 Miseris. — 7, 6 fehlen drei Silben. — 9, 7 sq. Sed repellentes tua caritatis eruat. — 10, 8 vocis. — 12, 5 scimus. — 13, 3 pura ergänzt. — 20, 8 misericordia. — 22, 3 es ergänzt. — 22, 4 feminis ergänzt. — 22, 7 sit ergänzt. — 27, 6 Dei fehlt. — 28, 3 Christi ergänzt. — 29, 2 omnium ergänzt. — 29, 4 rubum ignium. — 29, 5 Exora. ut nos. — 30, 4 velis. — 30, 7 exaltare. — 31, 1 Ave, virgo Dei. — 31, 5 nos. — 31, 7 Ut semper gandere. — 31, 8 possimus. — 35, 1 Ave, virgo gazis. — 35, 3 Et omnibus. — 35, 4 virtutibus. — 35, 6 percipe (durchstrichen). — 35, 8 Lies fideles? der Reim fehlt hier. — 36, 5 sq. Duc nos in tua. — 37, 1 zwei Silben zu viel. — 38, 2 fehlen vier Silben. — 38, 4 fehlen zwei Silben. — 38, 5 fehlen zwei Silben. — 38, 6 fehlen zwei Silben. — 39, 8 fiat ergänzt. — 40, 2 fehlt eine Silbe; tu ergänzt. — 40, 4 iacent. — 41, 3 bonitatis. — 42, 1 Ave, virgo, cuius. — 42, 6 virtutibus. — 44, 3 Et exultantes. — 44, 6 nubilo. — 45, 6 fehlen zwei Silben; caeli ergänzt. — 46, 5 fehlt eine Silbe; tu ergänzt. — 47, 1 mater fehlt. — 48, 7 nos fehlt. — 50, 6 Deo.

III. 1, 5 Et ad clamor. — 1, 6 noster fehlt. — 2, 5 Lies Ut compescat? — 6, 7 Et psallere in gloria. — 7, 4 nos fehlt. — 8, 1 virgo fehlt. — 9, 6 mandatis; lies in mandatis. (Ps. 111, 1)? — 9, 8 eisdem. — 10, 7 nos fehlt. — 11, 5 Ab omni. — 13, 3 Deum fehlt. — 13, 5 noster. — 15, 1 virgo fehlt. — 15, 2 in ecclesia. — 17, 3 vociferans. — 18, 3 luna ergänzt. — 19, 7 Ut eius. — 19, 8 psallimus. — 24, 1 virgo fehlt. — 24, 6 hominum ergänzt. — 24, 8 tui auxilii. — 26, 5 serva ergänzt. — 26, 7 Et ergänzt. — 29, 1 sq. Ave, virgo cuius bonitas. — 29, 6 Lies uti? — 30, 6 fehlt eine Silbe. — 32, 8 laudemus eum. — 34, 5 sq. confitemus totis cordibus. — 35, 4 atque futuris. — 35, 8 fac nos vivere. — 38, 2 quae pro culpis. — 38, 5 Fac ut intendat. — 41, 5 Benedic. — 43, 5 ei ergänzt. — 46, 1 virgo fehlt. — 46, 4 omnis ergänzt. — 46, 5 sq. Lies Fac sanctorum ut? — 46, 7 Laudetur. — 47, 4 mater ergänzt. — 47, 5 sq. mater et ergänzt. — 48, 1 decus. — 48, 8 beatae virgini. — 48, 11 saecula.

Der Text ist in der Handschrift äufserst fehlerhaft überliefert; dazu fehlen in der ersten Quinquagene eine, in den beiden andern zusammen noch drei Strophen, da III 48 Doxologie ist, III 47 sich auf Ps. 150 bezieht. Dies veranlafst die Hs., die nach jeder Strophe den Psalmenanfang notiert, zu einigen Strophen zwei Psalmen hinzuzusetzen. Dem Psalter geht in der Hs. das folgende Prooemium vorauf:

Suscipe, sancta Dei genetrix virgo[que] Maria,
  Quas tibi de psalmis offero mente pia
Cantica nec versu spernas de paupere donum,
  Sed magis offer ea iudicis ante thronum,
Cumque salutata fueris, laudata, rogata,
  Quaeso, memento mei pauperis exigui
Et pleni vitiis, virtutis et omnis egeni,
  Respiciens inopem des pietatis opem,
Des regnum caeli vivo cuicumque fideli,
  Defunctis requiem prosperitatis. Amen.

IV. Psalterium beatae Mariae V.

auctore Theophilo monacho.

Prima Quinquagena.

1. Gaude, virgo, mater Christi,
Quae in via non stetisti
Peccatis obnoxia,
Sed in lege Dei docte
Die meditans et nocte
Vixisti innoxia.

2. Gaude, virgo, labe carens,
Miro modo regis parens,
Qui gubernat omnia,
In quem frustra saevientes
Olim fremuerunt gentes
Sectantes inania.

3. Gaude, stella, dux aurorae,
Quam sequentes in splendore
Verae lucis ambulant,
Te praesente se absentent
Nec se nobis repraesentent
Hostes, qui nos tribulant.

4. Gaude, quae divinae laudi
Mancipata nunquam fraudi
Dedisti introitum,
Invocantem me exaudi
Nec permittas mihi claudi
Paradisi aditum.

5. Gaude, virgo, quae per Deum
Dei mater, vides eum
In perenni gloria,
Percipe clamorem meum
Et perduc me ad tropaeum
Et triumphi gaudia.

6. Gaude, dulce sonans lira,
Per te summi regis ira
Delira corripiens
Ita nobis mitigetur,
Ut infirmis confirmetur
Sanitas conveniens.

7. Gaude, Deo semper haerens
Et iam nil hostile verens,
Pro me obsta hostibus,
Per diversa temptamenta
De radice virulenta
Mundum persequentibus.

8. Gaude, virgo, eius mater,
Cuius Dei Deus pater,
Cuius admirabile
Est in orbe nomen toto,
Omni praeponendum voto,
Prae cunctis amabile.

9. Gaude, cuius altitudo,
Mira cuius pulchritudo
Viget sine termino,
Fac, eiecto Cananaeo
Ut in toto corde meo
Confitear Domino.

10. Gaude, cuius indefessae
Caritati nil obesse
Inimicus potuit,
Is in nullo confortetur,
Sed et per te pessumdetur
Ab his, quibus obfuit.

11. Gaude, gemma, quae praeferris
Universis aeque terris
Et terrenis omnibus.
Arcum fraudis intendentes
Et sagittas pestilentis
Aufer a fidelibus.

12. Gaude, consolatrix pia,
Mundi salus, vitae via,
Tuum roga filium,
Ne a nobis se avertat,
Sed dolorem nostrum vertat
In salubre gaudium.

13. Gaude, per quam liberatur
Ab errore et salvatur
Populus insipiens,
Et in lingua et in corde
Me ab omni munda sorde,
Per te fiam sapiens.

14. Gaude, nostri consors limi,
Quae habitas in sublimi
Dei tabernaculo,
Quae in monte requiescis,
Ubi vernas et nitescis
Solari amiculo.

15. Gaude, mater, proles tua
Tibi supplicantes sua
Nos conservet gratia,
Deus est nostrisque bonis
Non eget, nos eius donis
Et eo per omnia.

16. Gaude, virgo, iubar morum,
Te moveat adflictorum
Supplex deprecatio,
Ne de rebus otiosis
Et de labiis dolosis
Nostra sit oratio.

17. Gaude, cuius munimentum,
Fortitudo, firmamentum
Deus Dei filius
Exstans omne per momentum,
Nulli de protoparentum
Stirpe dedit amplius.

18. Gaude, sanctitatis forma,
Sanctitate nos informa,
Ne peccati onere
Cum perversis pervertamur,
Sed ad Deum gradiamur
Directo itinere.

19. Gaude, caelebs et intacta,
Sine viro parens facta
Regis, cuius gloriam
Ipsi enarrantes caeli,
Turbae nuntiant fideli
Fidei constantia.

20. Gaude, virgo singularis,
Dei parens expers paris,
Nos in hac miseria
Protege per nomen sanctum
Dei Iacob, tolle planctum,
Tolle quaeque tristia.

21. Gaude, virgo, de virtute
Sancta cuius et salute
Rex laetatur superum,
Cuius facit salutare
Vehementer exsultare
Sunamitis puerum.

22. Gaude, virgo de respectu
Dei felix in effectu,
Fac, ut nos respiciat
Et emundet a nostrorum
Pravitate delictorum,
Felices efficiat.

23. Gaude, quam Dominus regit
Et quam ala Cherub tegit,
Quae in loco pascuae
Uranicae collocaris
Et caelorum contemplaris
Arcana perspicue.

24. Gaude, parens regis regum,
Cuius clientelas legum
Minae non sollicitant,
Cuius est orbis terrarum
Et plenitudo earum
Et, quae in his habitant.

25. Gaude, domina sceptrorum,
Quae Domino dominorum
Recte potes psallere,
Ad te, domina, levavi
Cor meum nec declinavi
A recto itinere.

26. Gaude, virgo gloriosa,
Christi aula pretiosa,
Templum innocentiae,
Cuius spes in Deo rata
Nunquam fuit infirmata
Fermento malitiae.

27. Gaude, stella matutina,
Cuius ipsa lux divina
Est illuminatio,
Esto mihi supplicanti
Pro reatu trepidanti
Salus et protectio.

28. Gaude, virgo Deo cara,
Locum nobis sursum para,
Ne insipientibus
Assimilemur, opacum
Descendentibus in lacum,
Sed serenis civibus.

29. Gaude, virgo, cuius flori
Virginalis flores chori
Ultro sese offerunt
Et per floridum nitorem
Tibi pariter honorem
Et gloriam adferunt.

30. Gaude, virgo, Deo grata,
Super caelos exaltata,
Tua exaltatio
Nos provehat et iniquos
Christi crucis inimicos
Reprimat confessio.

31. Gaude, manens in conclavi,
Ubi nihil latet pravi,
Te adesse sentiam,
Ne confundar in aeternum,
Sed evadens ad supernum
Decorem perveniam.

32. Gaude, parens gaudiorum
His, iniquitates quorum
Remissae sunt penitus,
Quorum tecta sunt peccata
Affluente per te data
Gratia divinitus.

33. Gaude, virgo, et exsulta,
Gemma Dei manu sculpta,
Quam decet laudatio,
Nostram, precor, audi precem
In cithara et in decem
Chordarum psalterio.

34. Gaude, virgo benedicta,
Semper victrix, nunquam victa,
Dans in omni tempore
Laudem Deo triumphanti
Et in tuo habitanti
Praepudico pectore.

35. Gaude, triumphatrix alma,
Ex antiquo hoste palma
Comparata strenue,
Impugnantes me impugna
Et languentem gravi pugna
Quieti restitue.

36. Gaude, per quam mens iniusta,
Mens immitis, mens onusta
Vitiorum pondere
In plerisque est adepta
Sanitatem spe recepta
Regnandi in aethere.

37. Gaude, virgo laude digna,
Gaude, mitis et benigna,
Quae in malignantibus
Aemulari noluisti,
Sed immunis exstitisti
A malignis actibus.

38. [Gaude, quae in mundi salo
Ab archipirata malo
Aliena penitus,
Bonum iugiter fecisti
Et ad pacem pervenisti
Caelestis exercitus.]

39. Gaude, summi regis templum,
Cuius instar et exemplum
Non est ultra mansio,
Protege nos tuo more,
Ne nos caedat in furore
Divina correptio.

40. Gaude, virgo Deo placens,
Aequa sicut lingua tacens,
Me clementer expia,
Ut in lingua non offendam,
Sed cor et os comprehendam
Sub iugi custodia.

41. Gaude, virgo condelectans
Legi Dei, en, exspectans
Exspectavi Dominum,
Ora, mihi nunc intendat
Atque per te me defendat
A charybdi criminum.

42. Gaude, virgo, bonis dives,
Quibus caeli gaudent cives,
Ope ditans pauperem,
Fac me in virtutum scala
Sic protegi, quod in mala
Die malis imperem.

43. Gaude, gemma puellarum,
Sicut cervus ad aquarum
Fontes currens sitiens,
Sic ad Deum, fontem vivum,
Curram, quidquid est nocivum,
Te duce pertransiens.

44. Gaude, quae vicisti fortem,
Te tuente me consortem
Non habeant impii,
Sed de gente digna sperni
Causam meam fac discerni
In die iudicii.

45. Gaude, virgo, et gaudentes
Tibi redde innocentes,
Potes absque dubio,
In auribus nostris sonat,
Quantis malis finem ponat
Tua miseratio.

46. Gaude, porta paradisi,
Domus eboris excisi
Ipso Dei digito,
Quae caelitus accepisti
Verbum bonum mundo isti
Sine mundi merito.

47. Gaude, virgo cor tranquille
Semper habens, cuius ille
Virtus et refugium,
Per quem transferentur montes
In cor mare atque fontes
Super alta montium.

48. Gaude, cuius menti purae
Omnes gentes plaudunt iure,
Mundum munda transiit,
Terribilis, en, rex magnus
De te mitis sicut agnus
Miro modo prodiit.

49. Gaude, quam sic praeelegit
Rex, qui regna cuncta regit,
Ut regnis praemineas
Et in summa civitate
Throno, dono, dignitate
Similem non habeas.

50. Gaude, virgo, quam laudantes
Omnes orbem habitantes,
Quotquot sunt catholici,
Dives atque pauper una
Caecitatis de lacuna
Per te gaudent eici.

51. Gaude, virgo, via vitae,
Genetrix archimandritae,
Quam decore Dominus
Ad supernam terram vocat
Et in altis eam locat
Sibi sitam comminus.

52. Gaude, matrem cuius Annam
Magnificans Deus magnam
Per misericordiam,
Tuo illustratur ortu,
In tranquillo vitae portu
Ducas nos ad gloriam.

Secunda Quinquagena.

1. Gaude, generosum stemma
Davidicae stirpis gemma,
Dignare ab impia
Potestate nos tutari
Nec permittas gloriari
Malos in malitia.

2. Gaude, mater incorrupta,
Sola parens et innupta,
Innuptae et nubiles
Te docente Deum sciant
Revereri, ne qua fiant
Re abominabiles.

3. Gaude, virgo, cuius alvum
Servans, sibi, per quem salvum
Genus est mortalium,
Dignatus est de te nasci
Et de tuo lacte pasci,
Iudex tamen omnium.

4. Gaude, quam in summo statu
Summo vigens potentatu
Christus sibi sociat,
Solus mentem solvens ream
Deprecationem meam,
Quaeso, ne despiciat.

5. Gaude, mentem cuius aequam
Non persuasit hostis nequam,
Qui per duras acies
Rectae impugnator viae
Nos impugnans tota die
Tribulavit pluries.

6. Gaude, verax, amans veri,
Miserorum misereri
Pie semper solita,
Anima in te confidens
Et se culpa non elidens
Vere Deo reddita.

7. Gaude, mater imperantis,
Mater iuste iudicantis,
Quam filii hominum
Actu, voce, fide pari
Debent omnes venerari
Ut Deum et Dominum.

8. Gaude, virgo, quam de priscis
Malis massae peccatricis
Et de viris sanguinum
Eripuit rex caelorum,
Cunctis choris supernorum
Te praeponens agminum.

9. Gaude, quae sic evasisti
Et tam probe reppulisti
Draconis astutiam,
Quod moribus usa probis
Viam reparasti nobis
Ad caelestem patriam.

10. Gaude, pro infirmis orans
Firma semper et perorans,
Hostem nostrum reprime
Cum peccati nube taetra
Et exalta nos in petra
Firmitatis optime.

11. Gaude, caelibatus schola,
Me talari ornans stola
Tuus per te filius
Suum levet ad conspectum,
Ubi felix ad perfectum
Non movebor amplius.

12. Gaude, virgo, quam de luce
Lux illustrans Deo luce
Vigilantem reddidit
Atque sursum sitientem,
Tuam quando piam mentem
Lucis templum condidit.

13. Gaude, virgo, spei certae
Fructu fruens mihi per te
Hoc concedi deprecor,
Ut placere Deo possim,
Voti quoque ut compos sim,
Quod affectu prosequor.

14. Gaude, mater, habens pignus,
Quod praecunctis decet hymnus
Ei votum reddere,
Sicut decet et optamus,
Ope sua valeamus
Et ipsius munere.

15. Gaude, mater, matrum decus,
Cuius actus omnis aequus,
Gaude, mater Domini,
A quo omne, quod est almum,
Dicat omnis terra psalmum
Sancto eius nomini.

16. Gaude, mater benedicti,
A quo nunquam derelicti
Sunt boni et humiles,
Qui superbos eradicat,
Ipse nobis benedicat
Confortetque debiles.

17. Gaude, mater habens prolem,
Cuius regnum supra solem
Et sub sole solidum,
Dissipentur hostes eius,
Agmen omni peste peius,
Agmen almis invidum.

18. Gaude, mentis spes oppressae,
Virga de radice Iesse
Generosa prodiens,
Cuius benedicto flore
Prosperatur in fervore
Cor ad Deum rediens.

19. Gaude, mater salvatoris,
Qui nos salvet et a loris
Absolvat peccaminum,
Ne nos trahat in profundi
Limum pondus huius mundi
Et moles gravaminum.

20. [Gaude, nitens margarita,
In supremi stabilita
Regis diademate,
Per te quaero exaudiri
Et ab eo stabiliri
In caelesti climate.

21. Gaude, mater adiutoris,
Qui sanctorum praecst choris,
Cuius adiutorium
Mihi precor nunc adesse,
Sicut semper est necesse,
Contra omne noxium.]

22. Gaude, mater, esto prope
Mihi tua servet ope
In hostili acie,
In aeternum ne confundar,
Sed emender et abscondar
In aeterna requie.

23. Gaude, mater, cuius proli
Terrae, maris atque poli
Est omne iudicium
Dante Deo patre datum,
Ut in cunctis rebus ratum
Sit eius arbitrium.

24. Gaude, virgo, cuius gressum
Stabilivit indefessum
In via iustitiae
Rectis corde rector bonus,
Dulcis pater et patronus,
Rex aeternae gloriae.

25. Gaude, splendor honestatis,
Ornamentum castitatis,
Virginalis puritas,
Pastor summus te orante
Lupo servet ab instante
Oves tibi creditas.

26. Gaude, sancti sancta parens,
Cuius sanctus omnis parens
Ut actori omnium,
Cuius invocare nomen
Et amare felix omen
Populo fidelium.

27. Gaude, mater tam prudenti
Quam praeclaro, tam potenti
Declarata filio,
Qui non in Iudaea solum,
Sed per omne regnat solum
Solus absque socio.

28. Gaude, virgo, cuius voci
Levitatis atque ioci
Nulla haesit vanitas,
Te orante et intente
Tibi Deo intendente
Nos illustret veritas

29. Gaude, virgo, quae attendens
Legem Dei nec descendens
Infra legis monita,
Verba Dei exaudisti
Et ex voto implevisti
Etiam non indita.

30. Gaude, ethicae magistra,
Parens, nutrix et ministra
Conditoris siderum,
A quo longe sunt mendaces,
Fraudulenti, contumaces,
Intentores scelerum.

31. Gaude, templum sanctum Dei,
Quod nec gentes nec Iudaei,
Quantumcunque fremerent,
Potuerunt expugnare,
Licet eius luminare
Ad tempus exstinguerent.

32. Gaude, virgo, tua prece
Nos ab omni mundet faece
Deferente gratia,
Super Cherubim qui sedet,
Qui componat atque sedet
Omnium consilia.

33. Gaude, adiutori nostro
In virtutum placens ostro,
Gaude, tympanistria,
Psalterii melodiam
Et citharae symphoniam
Tenens in concordia.

34. Gaude, nullum de caducis
Casum timens, mater ducis,
Cuius eminentiae
Subest omnis synagoga,
Tu pro nobis eum roga,
Ne nos caedat anxie.

35. Gaude, mater regis magni,
Protectoris non tyranni,
Regis admirabilis,
Nullus maior vel aequalis,
Inter omnes nullus talis,
Nullus ei similis.

36. Gaude, quam divinis odis
Prophetarum multis modis
Extollunt oracula,
Protege nos et directa
Via perduc ad dilecta
Dei tabernacula.

37. Gaude, verax, nunquam ficta,
Gaude, terra benedicta,
Praedium refugii,
Cuius pretioso fructu
A primaevae matris luctu
Liberantur filii.

38. [Gaude, virgo, iure gaudes,
Iure cantas Dei laudes
Et misericordias,
Qui te matrem Dei fecit,
Omnes tibi qui subiecit
Saeculi potentias.]

39. Gaude, virgo, quae divinas
Flectis aures et declinas
Ad clamorem pauperum,
Nos in sancta paupertate
Tua servans bonitate,
Redde choris superum.

40. Gaude, quae in Sion portis
Persistendo portis mortis
Impugnasti fortiter,
Civitatis Dei demum
Pervenisti ad supremum
Triumphans sollenniter.

41. Gaude, virgo, quam salutis
Dator Deus in virtutis
Extulit fastigio,
Sive nocte sive die
Ad te clament theoriae,
Me illustra radio.

42. Gaude, mundi imperatrix,
Plebis tuae conservatrix,
Ad quam sapientia
Se non sola visione,
Sed convictu et personae
Contulit praesentia.

43. Gaude, virgo, cuius nusquam
Dux non fuit, qui priusquam
Montes essent, exstitit,
Qui formavit orbem terrae
Et formatum circumferre
Cura nunquam destitit.

44. Gaude, mater, a qua longe
Omnes mali, nos adiunge
Bonorum consortio,
Qui habere Deum caeli
Protectorem de fideli
Merentur obsequio.

45. Gaude, virgo confitendi
Deo semper et psallendi
Singulare specimen
Et exemplar sine pari,
Dignum digne conservari
Per divinum regimen.

46. Gaude, et hunc pro me ora,
Qui in omni praesens hora
Cunctis mundi terminis
Se praecinxit in decore
Ad regnandum cum vigore
Summae fortitudinis.

47. Gaude, cui et in cuius
Cura mundi factor huius
Apparuit humilis,
In non diligentes bonum
Vere Deus ultionum
Et iudex terribilis.

48. Gaude, mater, invocantes
Nomen tuum et amantes
Tuis redde precibus
In spiritu exultantes
Atque Deo iubilantes
Mundi cordis plausibus.

49. Gaude, virgo, per te mundus
Reflorescit laetabundus,
Audi preces supplicum,
Da, ne hostis nos supplantet,
Sed et omnis terra cantet
Novum Deo canticum.

50. Gaude, virgo, regno Dei
Clarescente plaudat ei
Omnis terra sedule,
Propulsetur hostis taeter,
Plaudat pontus, laudet aether,
Collaetentur insulae.

51. Gaude, virgo, Deo canta,
Qui te per tot atque tanta
Extulit magnalia,
Qui hominem redimendo
Et a morte resurgendo
Fecit mirabilia.

52. Gaude, gregem Dei pascens,
Nulli minans vel irascens,
Tuos serva servulos
Et ancillas, quas dat tibi
Rex, qui regnum servat sibi
Super omnes populos.

53. Gaude, mitis, expers irae,
Docta Deo deservire
Semper in laetitia,
Ne moreris expedire,
Quos innectunt anguis spirae
Spirantis letalia.

54. Gaude, semper laeta manens,
Iudicium laete canens
Cum misericordia,
Regi, qui te praefert cunctis,
Vivis aeque ut defunctis,
Cordis innocentia.

Tertia Quinquagena.

1. Gaude, virgo, tui mores
Pro me clament, ut clamores
Mei Deo placeant,
Ut se non avertat a me,
Sed respectu suo squammae
Peccati dispareant.

2. Gaude, verae lampas lucis,
Benedicti mater ducis,
Quam coetus fidelium
Nunquam debet oblivisci,
Sed instanter proficisci
Ad eius imperium.

3. Gaude, laudem regis dicens,
Qui benignos benedicens
Stat in regni culmine,
Nullo egens adiumento,
Undique ut vestimento
Sic amictus lumine.

4. [Gaude, lucis stella clarae,
Illuminans nostrum mare,
Quod ipsa exprimitur
Nominis eüphonia,
Nam Syriace Maria
Maris stella dicitur.]

5. Gaude, videns tot credentes
Proli tuae confidentes
Mente, voce libera,
Tibi quoque servientes,
Dum illius inter gentes
Annuntiant opera.

6. [Gaude, populi adiutrix,
Sedula sanctorum nutrix,
Magni regis regia,
Caelos multum qui adauxit,
Cum de Orco secum traxit
Suos ad caelestia.]

7. Gaude, domina caelorum,
Laus et honor angelorum
Et sanctorum omnium,
Tui prolem revereri
Et eidem confiteri
Salus est credentium.

8. [Gaude, cuius puram mentem,
Deo pure adhaerentem,
Nulla contradictio
Affectuum irritavit,
Postquam tibi obumbravit
Divina conceptio.]

9. Gaude, verbum tecum habens,
Quod perdurat non elabens,
Dulce confitentibus,
Quos probatos in adversis
Vocat ad se de diversis
Mundi regionibus.

10. [Gaude, hominum tutela,
Spes, solamen et medela,
Mundi seda strepitus
Et sic mala nostra pelle,
Ut nullius nos procellae
Inquietet spiritus].

11. Gaude, regum diadema,
Cuius praeparavit schema
Princeps, qui diluculo
Ex paterna voluntate
Et propria potestate
Surrexit de tumulo.

12. Gaude, paradisi clavis,
A dolosis et ignavis
Nos clementer separa,
Qui compotes noxae gravis
Moribus utendo pravis
Descendunt in tartara.

13. Gaude, maris huius extra
Fluctus manens et a dextra
Tui sedens filii,
Pedum cuius sunt scabellum,
Velint, nolint, ad flagellum
Rebelles et impii.

14. Gaude, actu, verbo, mente
Deo placens, te favente
Sit nostra confessio
Tam salubris, ut rectorum,
De salute iam certorum
Iungamur consortio.

15. Gaude, Deum pure colens,
Solum velle Dei volens,
Rectis nos associa,
Quibus Deus benedixit,
Quorum coetus pie vixit
Atque vicit impia.

16. Gaude, summae laudis honor,
Pro modulo meo conor
Laudes tuas canere,
Adiuva me per divinum
Nomen ad habendum sinum,
Quod possim pertingere.

17. Gaude, virgo, quam sacravit,
Qui Hebraeos liberavit
De populo barbaro,
Qui sanctorum regit vitas,
Qui veros Israelitas
Eripit de tartaro.

18. Gaude, virgo, quam dilexit
Tantum Deus et direxit,
Ut affectum mutuo
Tuum velle apud ipsum
Stabile sit atque fixum
Fiatque continuo.

19. Gaude, ad profectum tuta,
Digna semper obsecuta
Deo Dei filio,
Tuo serva intercessu
A noxio nos excessu
Et omni mendacio.

20. Gaude, quam praeesse caelis
Gaudent caeli et fidelis
Populi sedulitas,
Hunc implora, ut nos sanet
A pressuris huius maris
In aeternum meritas.

21. Gaude, decus atque decor
Domus Israel, te precor,
Ut meam exhilares
Mentem fructu spei bonae
Et in sancta regione
Locum mihi praepares.

22. Gaude, virgo sancta vere,
Semper te decet gaudere,
Sanctarum sanctissima,
Quae te Dei matrem noscis,
Qui dat tibi, quidquid poscis,
Mater beatissima.

23. [Gaude, cuius actiones,
Cogitatus et sermones
Sic munivit caritas,
Ut vel in his arguendum
Nil videret arguendum
Mundi curiositas.]

24. Gaude, virgo, quam cunctorum
Sicut arcem meritorum
Merito constituit
Rector, qui non deest usquam,
Qui meritis bene plus quam
Merita retribuit.

25. Gaude, dulcis super mella
Virgo, Dei verbi cella,
Quam mala temptatio
In aliquo nusquam laesit,
Cuius menti non adhaesit
Vana cogitatio.

26. Gaude, medicamen orbis,
Cordis nostri quaeso morbis
Mederi ne differas
Et in legis actione
Istam mihi legem pone,
Ut me nunquam deseras.

27. Gaude, per quam vitae limen
Reseratur, quod per crimen
Evae clausum fuerat,
Per te beatorum turbae
Summa Deus nos in urbe,
Miseratrix, inserat.

28. Gaude, virgo, quae portasti
Verum Deum intra casti
Uteri muninima,
Nostri memor nos custodi,
Nostra omnium custodi
Praesentans precamina.

29. Gaude, virgo, Deo dulcis,
Quae nos tua prece fulcis,
Virgo prudentissima,
Virgo manens expers noxae,
Nationis orthodoxae
Portio purissima.

30. Gaude, mundi medicina,
Verax morum disciplina,
Bonitatis speculum,
Da, ne noxa me denigrem,
Sed immunis hinc emigrem
Ad perenne saeculum.

31. Gaude, sanctum Dei plasma,
Cuius statum non phantasma,
Non error malitiae
Movit unquam de humano
Plasmate in statu sano
Spem complecti veniae.

32. Gaude, humilium parma,
Per quam devitantur arma
Superborum principis,
Per te Dei salutare
Nos dignetur sociare
His, quos sursum recipis.

33. Gaude, quae in celsa sede
Caeli sedes, intercede
Pro fideli populo,
Ne zabulus nos fatiget
Neve corda nostra liget
Pravitatis vinculo.

34. Gaude, luminosum sidus,
Impiorum grex infidus
Populo fidelium
Te micante resipiscat
Et sectator esse discat
Legem diligentium.

35. Gaude, virginum lucerna,
Mundi salus sempiterna,
Lumen indeficiens,
Lingua mea mihi sonet
Te canendo, quod non donet
Paraclitus veniens.

36. Gaude, in qua nil enorme,
Cuius decus multiforme,
Cuius felix anima
Mundum vicit, nil iniquae
Partis habens, sed ubique
Stans in parte dextera.

37. Gaude, virgo, quod de massa
Zyma vetustatis passa
Defaecatam edidit
Iustus iudex, qui effringens
Superborum chaos ingens
Suis lucem reddidit.

38. Gaude, semper vernans rosa
Liliique generosa
Atque mira species,
Cuius florem non aestatis,
Non hibernae tempestatis
Laedit intemperies.

39. Gaude, de qua natus fuit
Iustus, quo iudice ruit
Zabulus ad infima,
Victa languet vis illius,
Qui fuerat fortis prius
In sede clarissima.

40. Gaude, virgo, quam sic amant,
Ad quam toto corde clamant
Tot per orbem supplices,
Nostri piam curam habe,
Sic nos munda, ut a labe
Peccati purifices.

41. Gaude, consolatrix bona,
Virginum laus et corona
Exhilarans flebiles,
Vitis sacra, dulcis uva,
Nos dulcore tuo iuva
Et fac vere humiles.

42. Gaude, vim draconis terens
Princeps, principatum gerens
Super omnes principes,
Vivo, quo frueris, pane
Unitatis christianae
Recrea participes.

43. [Gaude, virgo, quae aspersum
Mundum vides universum
Christi beneficio,
Quo mens freta non delinquat,
Fac, ut ei adpropinquat
Nostra deprecatio.]

44. Gaude, mater tribulatis
Dans solamen pietatis
Et misericordiae,
Per te dolos iniquorum
Devitemus et errorum
Careamus carie.

45. Gaude, mater, atque sursum
Vitae nostrae leva cursum
Ad montes aethereos,
Assit nobis inde salus,
Unde ruit princeps malus
In fines tartareos.

46. Gaude, quae in lucis domo
Sic eluces, ut et homo
Et angelus pariter
Gaudeat te praeminere
In atriis lucis vere
Laetantem perenniter.

47. Gaude, quam super se gaudent
Principari, qui non audent
Res optare meritas,
Qui se super se levantes
Cernunt ad te suspirantes,
Quae in caelis habitas.

48. Gaude, mater reverenda,
Tuae proli nos commenda,
Ut in nobis maneat,
Ne nos queat irretire,
Qui Iordanem circuire
Solet, ut absorbeat.

49. Gaude, custos sanctae gentis,
Civitas omnipotentis,
Spes opem quaerentium,
A qua longe omnis labes,
Quae antemurale habes
Ipsum montem montium.

50. Gaude, splendor firmamenti,
Cordis curas turbulenti
Convertens in gaudium
Exsultatione plena
Et perenni, nos serena
Perducens ad bravium.

51. Gaude, cella pigmentorum,
Paracliti unguentorum
Redundans fragrantiam,
Domus supra petram fixa,
Quam aedificavit ipsa
Sibi sapientia.

52. Gaude, celebranda piis,
Te ducente qui in viis
Ambulant caelestibus
Et exercent opus clarum,
Reficiendi suarum
Manuum laboribus.

53. Gaude, virgo, quae in arce
Caeli regnas, hostes arce,
Ne pios impediant,
Quos impugnant, absint modo,
Quos artare noxae nodo
Cupiunt, ut capiant.

54. Gaude, blanda verecundis,
Ad te clamat de profundis
Conventus fidelium,
Audi cum favore vocem
Clamitantis et ferocem
Sterne adversarium.

55. Gaude, per haec mundi freta
Transiens non obsoleta
Vitiorum maculis
Et in statu tam beato
Corde carens exaltato
Et elatis oculis.

56. Gaude, mitis et quieta,
Mire semper mansueta
Vivendo pacifice,
Tui memorum memento
Et caelesti supplemento
Pia vota perfice.

57. Gaude, cuius est fomentum
Sicut Aaron unguentum
Piis inter impios,
A draconis vi proterva
Simul habitantes serva,
Serva solitarios.

58. Gaude, quae sic expiasti
Mundum noxa protoplasti,
Ut in Dei filio,
Per te facto nostro fratre,
Detur natis Eva matre
Regni benedictio.

59. Gaude, virgo, quam decorus
Beatorum colit chorus.
Atque semper recolet,
Dominica stas in domo,
Quae caelesti cinnamomo
Balsamoque redolet.

60. Gaude, regnans in aeternum,
Rectis corde per internum
Favorem mitissima,
Quae domino dominorum,
Deo utique deorum,
Stas in caelis proxima.

61. Gaude, decus virginale,
De medio nostri male
Hortantes extermina,
Ne insulae nationis
Instar intra Babilonis
Nos demergant flumina.

62. Gaude, mater, interventu
Tuo fiat et obtentu,
Ut cum sanctis omnibus
In conspectu angelorum
Psallam Domino caelorum
Gaudens in caelestibus.

63. Gaude, virgo, quam probavit
Et probatam adornavit
Honore angelico,
Qui de longe cuncta cernens
Cor, ut decet, mundi spernens
Dono ditat caelico.

64. [Gaude, sella salutaris,
Caeli splendor, lux solaris,
Animos illuminans,
De latebris temptatoris,
Vanitatis et erroris
Tenebras eliminans.]

65. Gaude, cuius paci merae
Nequit improba nocere
Malorum malitia,
Qui per cordis pravitatem
Cogitant iniquitatem
Concitantque proelia.

66. Gaude, prolis reverendae
Mater, miseris intende,
Nostri vox precaminis
Tuum expetit assensum,
Dirige hanc ut incensum
In conspectu numinis.

67. Gaude, virgo, quod prophetae
Praedixerunt olim de te,
Iam factum considerans,
Nos moribus orna sanctis,
De laqueo tribulantis
Te precantes liberans.

68. Gaude, summo fruens fructu,
Tuo prosperetur ductu
Nostra obsecratio,
Ut rex nos iudicaturus
Iudicandis non sit durus
Nimis in iudicio.

69. Gaude, victrix inimici,
Cunctis digna benedici
Benedictionibus,
Quae angelo credidisti
Et gaudium peperisti
Creaturis omnibus.

70. Gaude, dulcis lyra meli,
Decor Saron et Carmeli,
Diadema regium,
Te laudet in decachordo,
Psalterio omnis ordo
Deo servientium.

71. Gaude, virgo, flos regalis,
Gloria sacerdotalis,
Tribus gemma geminae,
In saeculi huius freto
Corde vigens semper freto
Numinis solamine.

72. [Gaude, decus Dei florum,
Caeli scala, fons hortorum,
Nubes absque nubilo,
Regni gloria caelestis,
Virtus, victrix dirae pestis,
Cuius sedes aquilo.]

73. Gaude, atque protonanti
Assis mihi te laudanti,
Regina laudabilis,
Te laudabo, dum subsistam,
Quoad supportabo istam
Carnis molem fragilis.

74. Gaude, castitas fecunda,
Cuius dulcis et iucunda
Nobis est laudatio,
Cuius laus est, per quam caelis
Novissimi Israelis
Reddetur dispersio.

75. Gaude, cuius excellenter
Laus est ille, qui potenter
Iudicans de impiis
Per omnem dat nationem
Suam benedictionem
Sanctae Sion filiis.

76. Gaude, claritas amoena,
Laus caelestis, laus terrena,
Laus regentis omnia,
Supernorum laus virtutum,
Iter nobis para tutum
Ad superna gaudia.

77. Gaude, virgo, laus vivorum,
Pax et quies defunctorum,
Sanctae laus ecclesiae,
Te laudent Palestini,
Laudent Graeci et Latini,
Laudent Sion filiae.

78. Gaude, virgo digna laude,
Laude digna virgo, gaude,
Tibi laus divinitus,
Laus in terra, laus in caelo,
Te devotionis zelo
Laudat omnis spiritus.

Cod. Cantabrigen. Ff VI 14. saec. 13.

I. 25, 4 te fehlt, domine. — 26, 1 virgo fehlt. — 40, 2 lingua fehlt. — 47, 1 Gaude quae tranquille.

II. 12, 2 lies Deo duce? — 33, 2 placans. — 36, 4 fehlt eine Silbe; et ergänzt. — 50, 5 laudat.

III. 5, 3 voto. — 6, 4 Caelis. — 17, 4 Cui prolem. — 20, 4 sq. fehlt der Reim. — 22, 1 virgo fehlt. — 23, 5 lies videret vel monendum oder Ähnliches. — 26, 2 nostra. — 42, 2 principatum tenens. — 43, 4 delinquit. — 47, 4 elevantes. — 53, 4 absit. — 54, 3 Connectus fidelium. — 71, 1 virgo fehlt. — 77, 4 fehlt eine Silbe.

Diesem Psalterium geht in der Hs. eine prosaische Vorrede sowie die Bemerkung voraus: „Psalterium de sacris psalmis sumptum, editum a quodam religioso viro de monasterio, nomine Theophilo, apud sanctum Albinum Neomensem in dioecesi Rotomagensi morante.“ Dasselbe hat über 150 Strophen, indem auf einzelne Psalmen mehr als eine Strophe trifft. Die überzähligen Strophen sind durch Klammern gekennzeichnet. Auf Ps. 118 kommen die Strophen III, 22—44. Um den Psalm aufzufinden, auf den jede Strophe anspielt, ist daher die Zahl dieser Strophen in Rechnung zu bringen.

V. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Ave, caeli lux Maria,
Lignum vitae es, o pia,
Fructum dans credentium,
Hic nos ora prosperari
Et in fine renovari
Dote resurgentium.

2. Ave, mater gignens Christum,
Patre natum ante istum
Mundum sicut hodie,
Disciplina nos emendet
Eius tuaeque commendet
Felici custodiae.

3. Ave, virgo, cuius nato
Somno mortis soporato
Quievit adflictio,
Tua nobis pro virtute
Resurgentis cum salute
Detur benedictio.

4. Ave, in qua habitavit
Christus et quam consignavit
Vultus sui lumine,
Noc in pace obdormire
Sicque ad quietem ire,
Praesta sacro numine.

5. Ave, tamquam sol electa,
Tua via est directa
In conspectu Domini,
In aeternum exsultare
Nos cum Christo fac et dare
Laudem suo nomini.

6. Ave, quae non es correpta
In furore sed suscepta
Cum supernis coetibus,
Nos defende, ne in ira
Arguamur Dei dira
Deputandi fletibus.

7. Ave, propter quam regressus
Est in altum, qui perpessus
Mortem est pro gentibus,
Post ipsum per te trahamur,
Ne quando nos rapiamur
A leonum dentibus.

8. Ave, virgo, quam praefecit
Caeli Deus et subiecit
Cuncta eius precibus,
Super caelos elevato
Nos commenda tuo nato
In supernis sedibus.

9. Ave, per quam defecerunt
Arma atque perierunt
Hostis domicilia,
Da egeno, derelicto
Tibi, locum mundo victo
Dei cum familia.

10. Ave, sancta, quae migrasti
Ad excelsum, quem amasti,
Christum montem montium.
Tu obtutus in nos flecte,
Per te sorti ut electae
Iungamur insontium.

11. Ave, quae non defecisti
Sanctitate, sed fuisti
Vanitatem respuens,
Egenorum propter preces
Exsurge cunctasque faeces
Peccatorum abluens.

12. Ave, quae in salutari
Sic exsultas, ut effari
Omnis lingua nequeat,
Corda nostra tu illustra,
Ut conetur in nos frustra
Hostis nec praevaleat.

13. Ave, Sion, ex qua datur
Salutare, quo donatur
Salus indeficiens,
Det virtutum nobis munus,
Te poscente bonus unus
De caelo prospiciens.

14. Ave, alma parens Christi,
Quae ad caelos introisti
Absque ulla macula,
Mundans nos ab omni naevo
Duc post te de mundi saevo
Lucis ad cenacula.

15. Ave, casta conservata,
Sacra proles de te nata
Tua est hereditas,
Per te nobis, o Maria,
Nota fiat vitae via,
Quam non tangit foeditas.

16. Ave, cuius cor probavit
Deus atque visitavit
Redempturus saecula,
Vias duras custodire
Ut possimus, has lenire
Stude prece sedula.

17. Ave, quam de nostri limi
Deus mittens de sublimi
Assumpsit putredine,
Tua regat disciplina
Nos, ut tecum in divina
Vivamus dulcedine.

18. Ave, sol Maria splendens,
In qua Christus ad nos tendens
Fixit tabernaculum,
Ab occultis nos emunda,
Ne ruamus in profunda
Leti per piaculum.

19. Ave, fontem qua elisit,
Cum de sancto tibi misit
Pius rex auxilium,
Nos in tuo salutari
Posce tecum collaetari,
O pudoris lilium.

20. Ave, virgo Deo grata,
Quae in nullo es fraudata
Cordis desiderio,
Vultus Christi consolare
Servos tuos in praeclarae
Lucis refrigerio.

21. Ave, manna gignens vermem,
Quem plebs damnat ut inermem
Plenis improperiis,
Ora, ut per mortem Dei
Corda nostra vivant ei
Sanctis desideriis.

22. Ave, virgo, quae labentes
Suscitando tristes mentes
Consolando erigis,
Sacri per altaris mensam
Tolle metum et offensam
A nostris miseriis.

23. Ave, dulcis et fecunda,
Actu corda nostra munda,
Mater regis gloriae,
Qui in caelo ut sol micat,
Hic per te nos benedicat,
Praebens spem victoriae.

24. Ave, sancta, quod levasti
Ad factorem, quem portasti,
Tuam sanctam animam,
Ipsum semper deprecare
Ut det nos hereditare
Terram lucis optimam.

25. Ave, salus indefessa,
Aulam Dei quae ingressa
Es per innocentiam,
Nos ablutos a peccatis
Duc ad aram deitatis
Tuam per clementiam.

26. Ave, lux illuminata
Luce vera de te nata
Carnis in umbraculo,
Quae in die nos amaro
Pie tegat in te, caro
Suo tabernaculo.

27. Ave, cuius caro nati
Crucifixi et humati
Exsurgens refloruit,
Ipse salvet suum gregem,
Per te sternens mortis regem,
Quem per crucem domuit.

28. Ave, virgo, cuius nato
In Iordane baptizato
Patris vox intonuit,
Qui per te nunc det salutem
Plebi suae et virtutem,
Quam vivendo docuit.

29. Ave, stella matutina,
Per quam mundo vespertina
Est pulsa maestitia,
Carnis nostrae sacco scisso
Nos eductos de abysso
Circumda laetitia.

30. Ave, quam Iesus evexit
De pressuris, nam respexit
Mentem tuam humilem,
Terrenorum a tumultu
Nos absconde tuo vultu
Hostem fugans vigilem.

31. Ave, felix Dei parens,
Quae peccati labe carens
Tanto gaudes pignore,
Intellectum sine mora
Confer et pro nobis ora
Opportuno tempore.

32. Ave, summi verbi mater,
Quo firmavit caelos pater,
Quos ornavit spiritus,
Per te supplicantes tibi
Ponat nos heredes sibi
Christus a te genitus.

33. Ave, virgo, quam in Deo
Omnis mansuetus cum reo
Collaudant hilariter,
Praesta, ut magnificemus
Tecum hunc et exaltemus
Nomen eius pariter.

34. Ave, credens Gabrieli,
In te carnis est rex caeli
Indutus cilicio,
Per quod saevo et astuto
Victo precis tuae scuto
Tegat nos a vitio.

35. Ave, vitae fons, Maria,
Apud patrem es, o pia,
Intra caeli atria,
Ubertate domus Dei
Hic nos reple, ut sic ei
Iungamur in patria.

36. Ave, virgo delicata,
Mater Iesu, per quem data
Omnis tibi gratia,
In aeternum conservemur
Per te, ut non supplantemur
Hostili fallacia.

37. Ave, quae per Gabrielis
Verba es transfixa telis
Supernae dulcedinis,
Per quam nostrae sanitatem
Carni da et castitatem
Pellens vim putredinis.

38. Ave, cuius iam beata
Apud patrem est locata
Cum Christo substantia,
Hic adhuc nos peregrinos
Deo tandem fac vicinos
Mortis in instantia.

39. Ave, quae de paupertatis
Lacu ducta deitatis
Gaudes in triclinio,
Te quaerentes fac laetari
In te semper nec turbari
Hostis exterminio.

40. Ave, resurgentis mater,
Quam in sua Deus pater
Confirmavit facie,
Tu per ipsum nos conserva,
Ne sanctorum a caterva
Trahat rex fallaciae.

41. Ave, quae ad fontem vitae
Sitisti, quem hauris rite
Nunc in regni medio,
Ipso dona nos potari,
Ut possimus memorari
Tui sine taedio.

42. Ave, mitis tamquam byssus,
Ad quam est de patre missus
Christus, lux et veritas,
Age, ut post mundi cursum
Ad se ipsum ducat sursum
Eius nos sinceritas.

43. Ave, cuius ventilantur
Hostes omnes et fugantur
Invocato nomine,
Salva nos ex adfligente,
Ut amemus tota mente
Occisum pro homine.

44. Ave, quam astringit nato
In vestitu deaurato
Virtutum varietas,
Ut ducamur post te digni,
Castitate nos insigni
Tua ornet pietas.

45. Ave, quam praeordinavit
Sibi et sanctificavit
Christus tabernaculum,
Ut vacemus mente Deo,
Tuae cedat ferus leo
Precis per obstaculum.

46. Ave, Deo quae plausisti,
Ascendentem dum vidisti
Christum hinc in iubilo,
Ut cum sanctis congregemur
Ad ipsum, per te mundemur
A culparum nubilo.

47. Ave, spes desiderata,
Tu ut Sion es fundata
Magni regis civitas,
Te cor nostrum amplectatur,
Ut in eo restringatur
Peccandi proclivitas.

48. Ave, cuius adunavit
Sese carni, qui salvavit
Te de manu inferi,
Nos, qui brutis comparamur
Propter culpam, deprecamur
Per te sanctis inseri.

49. Ave, quae devotionis
Vota et laudationis
Reddis sacrificia,
Invocamus te, Maria,
Sis nobis ad Iesum via
Tua per servitia.

50. Ave, virgo, per quam multa
Revelata sunt occulta
Dei sapientiae,
Cor in nobis crea rectum,
Ut ducamur ad conspectum
Tuae excellentiae.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, arbor portans fructum,
Quo ius vetus est destructum
Mortis cum imperio,
Per te nomen Iesu bonum
Sit saporis vitae donum
Nostro desiderio.

2. Ave, de qua salutaris,
Quo salvamur, singularis
Orta est nativitas,
Te precante redimatur
Christi plebs, et convertatur
Virtutum captivitas.

3. Ave, quam adivit fortis,
Quam caelestis cum cohortis
Suscepit tripudio,
Tu ab omni nos pressura
Salvans caeli duc ad iura
Sacrae precis studio.

4. Ave, quae assumptis pennis
Columbinis ad perennis
Vitae transis requiem,
Supra Deum nostram curam
Nos iactantes duc ad puram
Vultus sui speciem.

5. Ave, virgo cuius natus
Passus est et conculcatus
Pro salute gentium,
Ora, ut nos gaudeamus
Atque ipsi placeamus
In luce viventium.

6. Ave, virgo, quae confisa
Es in Christo et gavisa
Obumbrante flamine,
Ne leonis os nos trucis
Rodat, muni sanctae crucis
Praeclaro tutamine.

7. Ave, per quam molae fractae
Sunt leonum et subactae
Christo de te edito,
Fac vindictam nos videre
His deiectis et gaudere
Regno nobis dedito.

8. Ave, cuius in adventu
Christus surgens cum conventu
Occurrit angelico,
Salva nos ab inimicis
Atque vitae da felicis
Regno frui caelico.

9. Ave, in qua incarnata
Maiestas et calceata
Est mortali corio,
Da, ut arcum fugiamus
Hostis artesque vincamus
Tuo adiutorio.

10. Ave, quae es exaltata
Nunc in Christo, anxiata
Cuius morte fueras,
Esto nobis turris fortis
Contra vultum regis mortis,
Quem potenter superas.

11. Ave, Deo quae subiecta
Nunc ad Christum es provecta,
In quo tua gloria,
Fac in eo nos sperare,
Ut dignetur nos purgare
A malorum scoria.

12. Ave, cuius caro multum
Sitivit ad Dei vultum
Mentis cum fiducia,
O Maria, tuis alis
Nos obumbra, ne feralis
Supplantet astutia.

13. Ave, felix iam salvata
A timore ac stipata
Supernis militibus,
A conventu malignorum
Nos defende, ne reorum
Iungamur gemitibus.

14. Ave, virgo, supra caelos
Quam assumptam dulce melos
Collaudat angelicum,
Ut in bonis satiemur
Domus Dei ac laetemur,
Da, o sidus caelicum.

15. Ave, quae de huius vitae
Cursu ducta es ad mite
Caeli refrigerium,
Te iuvante adimpletis
Votis nostris ad quietis
Transfer nos imperium.

16. Ave, terra, de qua datur
Verus fructus, quo salvatur
Mundus ab interitu,
Ut nos natus atque pater
Benedicat, ora, mater,
Cum amborum spiritu.

17. Ave, quam signavit dumus
Igne candens, sicut fumus
Per te hostis deficit,
In conspectu epulari
Fac nos Christi et laetari,
Qui caelestes reficit.

18. Ave, de qua ortus fuit,
Qui totius mundi luit,
Qui non fecit crimina,
Per te iustis conscribamur,
O Maria, et ducamur
Ad caelorum limina.

19. Ave, ad quam adiuvandam
Et prae cunctis sublimandam
Festinavit Dominus,
Nos egenos et mendicos
Post hanc vitam ut amicos
Christo iunge comminus.

20. Ave, virgo, quae es nata
Sancta atque confirmata
In Deo ex utero,
Esto nobis firmamentum,
Ut a sponso cum prudentum
Colligamur numero.

21. Ave, veri Salomonis
Mater, tamquam Gedeonis
Vellus madens gratia,
In diebus nati tui
Praesta nobis semper frui
Pacis abundantia.

22. Ave, quae es cum honore
Hinc suscepta et amore
Caeli ad palatium,
Fac nos Deo adhaerere,
Ut possimus obtinere
Paenitendi spatium.

23. Ave, virgo, quae in ortu
Ut aurora, sed in partu
Instar solis radias,
Frange caput sic draconis,
Via ne seductionis
Tradamur ad bestias.

24. Ave, fortis ut columna,
Quae de mundi es aerumna
Erecta ad gloriam,
Frange cornu peccatorum
Et in bello vitiorum
Tuis fer victoriam.

25. Ave, in qua locum fecit
Sibi Christus, qui deiecit
Per te arma fortium,
Tu es vera pax, Maria,
Esto nobis tuta via
Caeli ad consortium.

26. Ave, cuius cor in Christo
Consolari, sed in isto
Mundo nunquam voluit,
Nos de mari vitae huius
Per te ducat natus tuus,
Qui pro nobis doluit.

27. Ave, per quam panis caeli
Vero datur Israeli
Mentis ad edulium,
Qui quaesitum dextra sua
Nos ad montem ope tua
Ducat post exsilium.

28. Ave, templum sanctum Christi,
Quae polluta non fuisti
Mundi huius vitiis,
Nati tui nos emunda
Per cruorem, qui ut unda
Fusus est ab impiis.

29. Ave, per quam apparebat,
Super thronos qui sedebat
In paterno gremio,
Dextra sua quos plantavit
Et per crucem reparavit,
Vitae donet praemio.

30. Ave, Deo quae iucundum
Psalmum cantans totum mundum
Tua reples gratia,
Carnis Christi nos frumento
Atque mellis alimento,
Quod dat petra, satia.

31. Ave, de qua rex caelorum
Natus stetit Iudaeorum
Docens in concilio,
Ambulantes per obscura
Nos custodi iugi cura
Isto in exsilio.

32. Ave, decus castitatis,
Tu solamen deitatis,
Tibi nullus similis,
Hostes nostros preme fortes,
Pacis simus ut consortes
Per te, o amabilis.

33. Ave, quae de lacrimarum
Valle isti ad praeclarum
Caeli habitaculum,
Nos per tuam servitutem
Duc caelestem in virtutem
Carnis post obstaculum.

34. Ave, terra benedicta,
Qua salvatur plebs adflicta
Longaque captivitas,
Sicut per te salus datur,
Sic et nobis ostendatur
Divina benignitas.

35. Ave, virgo, cuius vita
Verbo Dei custodita
Fuit ab initio,
Deduc nos in tua via,
Ne tradamur, o Maria,
Inferni supplicio.

36. Ave, Sion porta clara,
Cuius ortu mors amara
Venit ad interitum,
Christus in te homo natus
Nostros solvat ut reatus,
Tuum poscat meritum.

37. Ave, fida, quae mansisti
Cum dilecto, dum vidisti
Notos omnes cedere,
Qui expansus est in cruce,
Amplectatur te nos duce
Cum amoris foedere.

38. Ave, fulgens Christi throne,
Qui in tua, Deus bone,
Lucet ut sol facie,
Advocata et fidelis
Testis nobis sis in caelis,
Pia mater gratiae.

39. Ave, quae nunc et in aevum
Nobis contra mundum saevum
Facta es refugium,
Servos tuos rege, mater,
Ne post mortem hostis ater
Trahat ad supplicium.

40. Ave, virgo, beatorum
Custodia angelorum,
Fideli custodia
In te, clemens, da sperantes,
Ut leonem conculcantes
Eius vincant odia.

41. Ave, quae factura Dei
Es excellens, in qua spei
Nostrae delectatio,
In virtute sicut palma
Per te nostra, mater alma,
Reflorescat natio.

42. Ave, sedes praeparata,
In qua sedet carne nata
Dei sapientia,
O Maria, sancta Deo
Domus facta, per te reo
Detur indulgentia.

43. Ave, cuius nati sanguis
Condemnatus arte anguis
Vicit et saevitiam,
Quod per legem eruditis
Per te virgo nobis mitis
Veram det laetitiam.

44. Ave, pia mater Christi,
Quae ipsius praevenisti
Confitendo faciem,
Te in psalmis collaudantes
Post laborem exsultantes
Fac intrare requiem.

45. Ave, quam sacravit signo
Castitatis, qui a ligno
Regnavit pro gentibus,
Qui dum venit iudicare
Orbem, velit adgregare
Per te nos gaudentibus.

46. Ave, clara caeli porta,
Per quam iustis lux est orta
Rectisque laetitia,
In te iusti gratulentur,
Peccatores emundentur
Omni a malitia.

47. Ave, salutaris mater,
Quod revelat Deus pater
Ante vultum gentium,
Tuae semper recordare
Pietatis et solare
Corda te canentium.

48. Ave, per quam vicit atrum
Deus iuxta [verbum] patrum
Carnis in velamine,
Invocantes te audito,
O Maria, et munito
Sacrosancto flamine.

49. Ave, quae exsultans Christi
In conspectu introisti
Cordis per munditiam,
Nos scientes ipsum Deum
Verum esse duc ad eum
Carnis post militiam.

50. Ave, domus puri cordis,
In qua doli sive sordis
Nulla fuit portio,
Fac nos obœdire legi,
Ut sanctorum sacro gregi
Iungamur consortio.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, felix, per quam vita
Mundo redit, dum audita
Tua est oratio,
Audi fletus captivorum,
Quia tu es miserorum
Facta consolatio.

2. Ave, quae per bis senarum
Coronata es stellarum
Opus venerabile,
Vitam nostram conservari,
Iuventutem renovari
Fac ad instar aquilae.

3. Ave, terra gignens panem,
Qui infirmam et inanem
Mentem cibat hominis,
Ipso dona confirmari
Nos atque laetificari
Vino sui sanguinis.

4. Ave, quae iam invenisti
Vultum Christi, quem quaesisti
In terra viventium,
Per ipsius nos laudari
Praesta nomen et laetari
Cor ipsum quaerentium.

5. Ave, per quam salutare
Dei venit visitare,
Quos premebant vitia,
Quod concedat ope tuae
Precis nos laetare suae
Gentis in laetitia.

6. Ave, bonis satiata,
Quae a Deo sunt collata
Te implente spiritu,
Verbo in te a superno
Patre misso ab aeterno
Salva nos interitu.

7. Ave, virgo quae parato
Corde Deo et mundato
Cantas nunc in gloria,
Sicut praesens laudem polo
Confers, sic et pacem solo
Tua det memoria.

8. Ave, super cuius natum
Os dolosi reseratum
Auxit improperia,
Tu a dextris egenorum
Asta mundans cor eorum
Christi per mysteria.

9. Ave, virgo, quae emissa
Es de Sion ut promissa
Dictis in Isaicis,
De torrente passionis
Christus bibens per te thronis
Iungat nos angelicis.

10. Ave, quae redemptionem
Verbi per susceptionem
Protulisti saeculo,
Quod dedit hereditatem,
Per te nobis suavitatem
Det in vitae speculo.

11. Ave, de qua verum lumen
Rectis per divinum numen
Ortum est in tenebris,
Ne ab ira formidemus,
Da, in Deo ut speremus,
O Maria celebris.

12. Ave, virgo, mater munda,
Quae de magno es iucunda
Filiorum numero,
Per te nos in imis natos
Pius pastor ad beatos
Sacro portet umero.

13. Ave, parens regis caeli,
Qui ducatum Israeli
Ex Aegypto praebuit,
Is pusillum cum maiore
Tuo salvet pro amore,
Quos per crucem eruit.

14. Ave, ad quam inclinavit
Deus aurem, qui firmavit
Tua desideria,
In vivorum regione
Nos placentes Christo pone
Salvans a miseria.

15. Ave, prima reddens votum
Deo mundo, quo per totum
Dicat castimoniam,
In qua nos concede stare
Et per ipsam immolare
Christo laudis hostiam.

16. Ave, per quam omnes gentes
Deum laudant congaudentes
Tuae celsitudini,
Qua nos Christus confirmari
Atque tantae sociari
Det beatitudini.

17. Ave, quae ad aequitatis
Portas intrans trinitatis
Confiteris nomini,
Regnum lucis ad praeclarae
Per te sine nos intrare,
Quae es porta Domini.

18. Ave, nostra spes, Maria,
Te intactam lex et via
Deducebat Domini,
Per te lapso disciplina
Et erecto lux divina
Tribuatur homini.

19. Ave, quae in omni vita
In pressuris es audita
Clamans ad altissimum,
Sublevato incolatum
Nostrum nimis prolongatum,
O sidus clarissimum.

20. Ave, mons excellens Dei,
In quem levant omnes rei
Sui cordis oculos,
Ne malignus nos enervet,
Nos in bono praeconservet,
Qui custodit populos.

21. Ave, virgo vere laeta,
Omni bono quae repleta
Es in domo Domini,
Christus in virtute sua
Donet pacem prece tua
Exsulanti homini.

22. Ave, vultu quae erecta
Ad excelsum es evecta
A mundanis sensibus,
Miserere nobis, pia,
Miserere, o Maria,
Cunctis te colentibus.

23. Ave, in quam mundus sperat,
In qua Deus semper erat
Premens omnem strepitum,
A venante ne fallamur
Aut torrente demergamur,
Nostrum rege spiritum.

24. Ave, firma et immota
Ut mons Sion, mente tota
Verbis Dei credula,
Ne a nobis regni sortem
Tollat, virgam hostis fortem
Flecte prece sedula.

25. Ave, vere iucundata,
Quae cum Christo es locata,
Laudas hunc assidue,
Ut quod flentes seminamus,
Exsultantes hoc metamus,
O Maria, tribue.

26. Ave, domus fabricata
Et urbs fortis conservata
Dei sapientia,
Ut heredes Christi simus,
Dum per somnum hinc abimus,
Tua det clementia.

27. Ave, mitis et beata,
Tu es vitis fecundata
Botrum Cypri generans,
Qui in crucis pressus prelo
Benedicat nos e caelo
Regnum per te reserans.

28. Ave, mater flagellati
Pro nobis et expugnati
A primaevo tempore,
Qui pravorum collis stratis
Te precante caritatis
Nos dilatet foenore.

29. Ave, clamans de profundis
Ad Iesum, qui ab immundis
Te clementer eruit,
Qui nos solvens a peccatis
Regnum per te donet gratis,
Quod in cruce meruit.

30. Ave, visu columbina,
Corde simplex et divina
Incessuque humilis,
Ablactanti o patrona,
Caritatem nobis dona
In spem vitae stabilis.

31. Ave, splendens ut lucerna,
In qua Christus, lux superna,
David explet foedera,
Aulam eius ad intrandum
Et ad pedes adorandum
Nostra purga scelera.

32. Ave, cingens velamento
Carnis Christum, qui unguento
Te perfudit gratiae,
Ut laudemus te iucunde,
In fraterna, da, ut munde
Conversemur acie.

33. Ave, per quam servi Dei
Omnes benedicunt ei
Choris cum angelicis,
Extollentes ad te manus
Serva, hostis ne profanus
Regnis privet caelicis.

34. Ave, virgo laudans suave
Iesu nomen, quod ignavae
Mentis fugat tenebras,
Hoc ut tecum collaudemus,
Da, ut hostes superemus
Carnisque illecebras.

35. Ave, clara lux diei,
Gaudens confiteris ei,
Qui facit mirabilia,
In aeternum prece tua
Nos conservet virtus sua
Et misericordia.

36. Ave, quae in peregrina
Terra sacra et divina
Cecinisti carmina,
Ut in primis supernorum
Memoremur, a malorum
Nos absolve sarcina.

37. Ave, psallens cum affectu
Angelorum in conspectu
Deo nostro gloriam,
Qui nos, opus manus suae,
Conservare velit tuae
Laudis per memoriam.

38. Ave, virgo, cuius natus
Victor surgens est locatus
In paterna dextera,
Ora, ne pro imperfecto
Deleamur ab electo
Libro ut gens extera.

39. Ave, cuius praedilectus
Venenatis est affectus
Linguis per opprobria,
Nos cum eius habitare
Vultu praesta et laudare
Ipsum mente sobria.

40. Ave, per quam dirigenda
Sursum et exaudienda
Nostra est oratio,
Ori nostro pone fraena,
Ut non linguae cum habena
Trahat nos damnatio.

41. Ave, felix in vivorum
Terra gaudens de donorum
Portione optima,
Age, nostra ut educta
De mortalis vitae lucta
Deum laudet anima.

42. Ave, sancta, quam instruxit
Et in terram rectam duxit
Bonus Dei spiritus,
Cor meum torpore arens
Et fluentis vitae carens
Tu infunde caelitus.

43. Ave, ad quam properavit,
Quando caelos inclinavit,
Mundi rex adveniens,
Manum tuam ad nos tende
Et ab ira nos defende
Deum nobis leniens.

44. Ave, per quam escam quaerunt,
Resurgendi qui ruerunt
In virtutum acie,
Tuum nunc per spiritale
Imple nostrum animale
Pandens manum gratiae.

45. Ave, Deum quae in vita
Laudasti, cum iam unita
Laudes et in anima,
Compeditos in peccatis
Solve, caecos veritatis
Luce ornans intima.

46. Ave, carens omni fraude,
Quae iucunda canis laude
Decoraque filio,
Ipse corde tribulatos
Sanans ducat ad beatos
Tuo nos auxilio.

47. Ave, terra, ad quam misit
Verbum Deus, quo elisit
Damnum multifarium,
Pro te panem vitae genti
Veri adeps det frumenti
Vincens adversarium.

48. Ave, laudans, quam et poli
Cives laudant atque soli
Cum creatis omnibus,
Da, ut nobis Christo iunctis
Hymnus sit cum sanctis cunctis
Caelique ordinibus.

49. Ave, quae in tuo rege,
Qui pro suo ruit grege,
Gaudes, Sion filia,
Horum laude canticorum
Exsultantes ad sanctorum
Induc nos cubilia.

50. Ave, mater, in qua natus,
Pater simul et beatus
Laudatur paraclitus,
Trinitatem istam pure
Nos laudare fac, quam iure
Laudat omnis spiritus.

Conclusio.

Haec tibi, virgo pia, sint carmina grata, Maria,
Ut sis ipsa via miseris ad culmina dia,
Sint componenti veniae locus atque legenti,
Sint fluidae menti spes solamenque maerenti,
Quae pater et flamen cum nato conferat. Amen.

Cod. Helmstadien. 673. saec. 15. —

I. 1, 4 hora. — 10, 5 sorte. — 11, 2 fuisti verschrieben. — 11, 5 que fehlt. — 14, 6 senaculo. — 16, 5 has fenire. — 17, 5 non ut tecum. — 18, 6 Lati per. — 23, 5 Hic parte. — 34, 5 Vito.

II. 10, 5 Constra. — 17, 3 Parte hostis. — 28, 2 Quod polluta. — 29, 5 Et per quos reperavit. — 29, 6 docet. — 33, 2 istis. — 36, 5 salvat. — 37, 3 sedere. — 40, 5 leonum. — 41, 1 Dei fehlt. — 50, 5 sacro Dei.

III. 1, 6 facta verschrieben. — 2, 4 conservavi. — 11, 5 superemus. — 15, 4 consede. — 16, 4 Qua nos ipse. — 20, 5 Nos fehlt. — 33, 3 Thoris. — 45, 3 Laudas. — 48, 5 thymnis.

VI. Psalterium beatae Mariae V.

Prima Quinquagena.

1. Beatus vir, qui in lege meditatur,
De Maria quid dicatur,
Quae regina coronatur,
Dum in caelo collocatur.

2. Quare fremuerunt gentes
Nec Mariae crediderunt?
Nam virginem non credentes,
Eius partum dum viderunt.

3. Domine, quid multiplicati
Sunt et ipsi ad quid nati,
Qui Mariae sunt ingrati,
Per quam omnes sunt beati?

4. Cum invocarem Mariam
In dolore cordis pleni,
Super omnes vere piam
Consolantem me inveni.

5. Verba mea intellexit,
Dum me reum non despexit,
Immo cor meum sibi rexit,
Quod ad Deum me direxit.

6. Domine, ne in furore
Peccantem me corripias,
Sed pro virginis honore
Errantem me suscipias.

7. Domine Deus, speravi,
Postquam graviter erravi,
In Maria, dum me lavi
A peccatis, quae amavi.

8. Domine, Dominus noster, mirum,
Quod te carne vestivit
Virgo nesciens virum,
Ut mens divina scivit.

9. Confitebor tibi, Domine,
Hoc mirum non ab homine,
O Virgo, pone me in spe,
Quia salus nostra ex te.

10. In Domino confido
Et in te vere spero,
Nec quidquam sic formido,
Quia per te salvus ero.

11. Salvum me fac, mater Dei,
Lumem verum cordis rei,
Adiutricem vere mei
Super omnes te elegi.

12. Usque quo te avertis
A me, gratia plena?
Quare me non convertis,
Ne laedant me terrena?

13. Dixit insipiens
Velut insana gens,
Deum non fore ens
Nec Mariae credens.

14. Domine, quis habitabit
In virginali corde?
Qui Mariam salutabit,
Dum natus es in orbe.

15. Conserva me, o beata,
Ab angelo salutata,
Ut anima mihi data
Te laudare sit parata.

16. Exaudi me, benigna,
Noli me reprobare,
Quae omni laude digna,
Me doce te amare.

17. Diligam te, virtus mea,
Sed anima tota rea,
Veniam mihi non nega,
Paenitenti vero te da.

18. Caeli et totus mundus
Enarrant te fore piam,
Dele peccati pondus,
Ut te laudare sciam.

19. Exaudiat te filius,
Qui secundum carnem tuus,
Sed cum patre Deus unus
Dans remissionis munus.

20. Domine, in virtute
Mariae sic confido,
Ut vivens valde tute
Sibi sperans non diffido.

21. Deus, Deus, respice,
Ne vacua sit in re
Gratia tua in me,
Quam Maria dat ex se.

22. Dominus regit te,
Mater, ut retribuas
Eius et contra vae
Gratiam distribuas.

23. Domini est terra grata,
Spiritu sancto ornata,
Maria, de qua est nata
Sapientia increata.

24. Ad te, virgo, levavi
Cor meum multum sitiens,
Ex te me recreavi,
Quae fons es indeficiens.

25. Iudica me, domina,
Iudicio pro me sta,
Filio responsum da,
Ut vivam per saecula.

26. Dominus illuminatio
Est cordis virginalis,
Et haec est magna ratio
Amoris cordialis.

27. Ad te, virgo, clamabo,
Me totum tibi dabo,
In tua gratia stabo,
Sic te semper commendabo.

28. Afferte munera ei,
Quae verbum caro tenuit,
Sicut reges Deo regi,
Quem mater virgo genuit.

29. Exaltabo genetricem
Filii Dei felicem,
Quae animam infelicem
Consolatur peccatricem.

30. In te, virgo, speravi
Custodiae tuae datus,
A peccatis mihi cavi,
In peccatis tamen natus.

31. Beati, quorum delicta
Sive facta, sive dicta
Propter te sunt derelicta
Conscientia non ficta.

32. Exsultate, iusti facti
Per Mariam, quae novavit
Vos et memor vestri pacti,
Quando pacem reformavit.

33. Benedicam te, quae es
Benedicta super omnes
Et inter mulieres
Peccatorum vera spes.

34. Iudica me impugnantes,
Tua arma apprehende
Et repelle malignantes,
Adiutricem te ostende.

35. Dixit iniustus dolose:
Hunc confundam captiose,
Obsta, virgo, gratiose,
Ne sic cadam vitiose.

36. Noli aemulari, dicis
Mihi, virgo benedicta,
In malignantibus, si vis,
Ne tangat te vindicta.

37. Domine, ne in furore
Me arguas aut rigore,
Sed pro virginis amore
Me absolvas ab errore.

38. Dixi, custodiam vias,
Te Dei matrem sequendo,
Sed me errare scias,
Si non me per te emendo.

39. Expectans exspectavi,
Tibi cor meum praeparavi,
Dum lacrimis lectum rigavi
Pro meo peccato gravi.

40. Beatus, qui intellegit,
Quod gratia tua valeat,
Hic vere se non neglegit,
Qui eam a te capiat.

41. Quemadmodum desiderat
Cervus, ut fontem habeat,
Sic et anima videat,
Ne gratia tua careat.

42. Iudica me et corripe,
Ne laedar a furioso,
O virgo pia, eripe
Me ab homine doloso.

43. Deus, auribus audivimus
Mariam, quam piam scivimus,
Per quam nisi tuti simus,
Contra hostes male imus.

44. Eructavit verbum bonum
Cor suum dulce et suave,
Sic divinum sciens donum
Hoc solum audiens Ave.

45. Deus noster, refugium
Et peccatorum omnium
Est virgo mater hominum,
Te sola placans Dominum.

46. Omnes gentes, plaudite
Virgini laudem dantes,
Peccati vias claudite
Mariam venerantes.

47. Magnus Dominus laudabilis.
Speciosus et amabilis,
Genitus nobis affabilis,
Per Mariam est placabilis.

48. Audite haec, omnes gentes,
Ex ea est nostrum meritum,
Consolatur paenitentes
Non sustinens interitum.

49. Deus deorum amavit
Eam et ad hoc creavit,
Quod in ea se armavit,
Dum hostem nostrum prostravit.

50. Miserere mei, Deus,
Mariae preces intende,
Veniam peto reus,
Ab hostibus me defende.

Secunda Quinquagena.

1. Quid gloriaris in malis,
Qui errans peccando cadis?
Sis tu sub Mariae alis,
Et te diriget, quo vadis.

2. Dixit insipiens:
Ad quid Mariam curabo?
Nam haec est mea mens,
Quod nec Deum invocabo.

3. Deus, in nomine tuo
Ante pedes virginis ruo,
Pro peccatis, quae ego luo,
Te precetur ex corde suo.

4. Exaudi, Deus, eam,
Quae peccatorum spes vocatur
Et in salutem meam
Pro me placando te precatur.

5. Miserere, quia conculcavit
Me inimicus et superavit,
Sed me gratia relevavit,
Quae virginem matrem adornavit.

6. Miserere mei, domina,
Sub alis tuis confugi,
Inter filios tuos nomina,
A peccatis namque fugi.

7. Si vere loquar iustitiam,
Gratia virginis perficiam,
Quae confortat, ne deficiam
Ac ne cadam in malitiam.

8. Eripe me ab inimicis,
O virgo, mater Domini,
Quia omnibus benedicis,
Tu es salus data homini.

9. Deus reppulisti, destruxisti
Nos, sed te pium ostendisti,
Dum in cor virginis descendisti
Et mortem nostram destruxisti.

10. Exaudi deprecationem
Meam, virgo, mundi salus,
Propter in te devotionem
Non me laedat hostis malus.

11. Nonne tibi subiectus erit,
Qui salvus esse quaerit?
Certe potenter hostem laedit,
Qui se totum tibi dedit.

12. Deus, Deus meus, vigilo
Ad virginem matrem respiciens,
Ut inter filios filiolo
Mihi cor meum sit perficiens.

13. Exaudi, virgo, orationem
Meam ad mei perfectionem,
Ut per cordis amorem
Super omnes te honorem.

14. Te decet laus et honor.
O virgo speciosa,
Laudare vere te conor,
Sis mihi gratiosa.

15. Iubilate, exsultate,
Virgini laudem date,
Ipsam ex corde invocate,
Et exaudiet indilate.

16. Deus, misereatur illi,
Qui virginem honorat,
Gloria perfruatur,
Qui eam vere implorat.

17. Exsurgat Deus et dissipentur,
Qui peccare non verentur,
Dic, virgo, ut convertantur
Qui sic infirmi morantur.

18. Salvum me fac, caeli regina,
Quae hortus es conclusus,
In quo nostra medicina
Spiritus donis perfusus.

19. Deus in adiutorium
Sit peccatorum omnium,
Mater implorans filium
Per spiritus consilium.

20. In te, virgo, speravi
Et gratiam quaesivi,
Dum peccare cessavi,
Inveni, quod amisi.

21. Deus, iudicium tuum da,
Sed pro nobis, mater virgo, sta,
Ubi tot et tanta mira,
Ne nos iudicis tangat ira.

22. Quam bonus Deus Israel,
Qui ex virgine nos redemit,
Nomen eius Emmanuel,
Qui vere servos nos exemit.

23. Ut quid, Deus, nos repulisti,
Quia tu filium misisti,
Pro quo Mariam elegisti,
Dum nos liberare fecisti?

24. Confitebimur, virgo mater,
Quod nec uterus tuus doluit,
Dum gloriosus Deus pater
Ex te filium nasci voluit.

25. Notus in Iudaea magnus
Filius tuus, Dei agnus,
Pro peccatis nostris oblatus
Et a Iudaeis immolatus.

26. Voce ad te, virgo, clamavi,
Dum peccatum me corrosit,
Et spiritum meum scopavi,
Ut immolatus mihi prosit.

27. Attendite legem Dei
Et servite nato regi,
Qui nos liberavit penitus
Ex virgine matre genitus.

28. Deus, venerunt gentes,
Qui Mariam non noverunt,
Et virginem non credentes
In peccatis perierunt.

29. Qui regis Israel, intende,
Non credentes reprehende,
Sed tu, virgo, ad me extende
Manum et gratiam impende.

30. Exsultate, liberati,
Missi in exsilium,
Cum vos sitis revocati
Per Mariae filium.

31. Deus stetit incarnatus,
Liberator nobis datus,
In virginis carne armatus,
Per quam hostis est superatus.

32. Deus, Deus, quis vel qualis
Virgini comparabitur?
In mundo non est talis
Nec unquam generabitur.

33. Quam dilecta, quam amoena
Est virgo gratia plena,
Super omnia terrena
Clara, pulchra et serena.

34. Benedixisti et sacrasti,
Deus, hanc filiam prolis,
Super omnes decorasti
Hanc veri ianuam solis.

35. Inclina aurem et exaudi,
Me insistentem tuae laudi,
O virgo, non me despicias,
Sed in me laudem perficias.

36. Fundamenta virtutum
In te, virgo, sunt sumenda,
Quae me vere reddunt tutum
Contra omnia timenda.

37. Domine Deus salutis,
Aperias ora mutis
In laudem huius dominae,
Maria virgo nomine.

38. Misericordias Domini
Invenit virgo, quas promiserat,
Per quam et gratia homini
Est restituta, quam amiserat.

39. Domine, refugium est facta
Nobis virgo mater intacta,
Tenens nos bene sub alis,
Ut nos defendat a malis.

40. Qui habitat in adiutorio
Virginis speciosae,
Iure suo notorio
Defendet gratiose.

41. Bonum est confiteri
Hanc virginem et revereri,
Ut possimus mereri
Per ipsam nec non et tueri.

42. Dominus regnavit
Ex utero virginis matris,
Dum infernum intravit,
Nunc sedens ad dexteram patris.

43. Deus ultionum mitigatur,
Dum Maria imploratur,
Per quam vere impetratur,
Quod toti mundo negatur.

44. Venite, exsultemus
Dantes virgini honorem,
Nam per ipsam habemus
Filii sui amorem.

45. Cantate Domino psallentes
In cythara cordis dicentes:
Te in Maria commendamus
Et per te Deum laudamus.

46. Deus regnavit patenter
Volens ad patrem redire,
O Maria, fac nos decenter
Ad sui regnum venire.

47. Cantate Domino laudem,
Qui antiqui hostis fraudem
Per Mariam revelavit,
Uterum dum intravit.

48. Dominus regnavit,
Dum mors mortem fugavit,
Quem mater virgo nutrivit,
Quae superari nequivit.

49. Iubilate et laeti sitis,
Qui de Maria vere scitis,
Quod nobis pia est et mitis
Dolens malitiam litis.

50. Misericordiam impetravit
Nobis virgo blanda benignis
Et ad gratiam revocavit
Nos non dura, sed pia malignis.

Tertia Quinquagena.

1. Domine, exaudi rosam rosarum,
Quae lux est tenebrarum,
Maria peccatorum lucernam
Nobis gratiam petens supernam.

2. Benedic hanc speciosam
Super omnia intuenti,
Matrem virginem gratiosam
Peccatori revertenti.

3. Benedic hanc puellam,
Mariam, lucidam stellam,
Quae lux sanctorum cordium
Est et gratiae primordium.

4. Confitemur, quod caelica clavis
Sit et solacium beatorum
Haec virgo dulcis et suavis
Nobisque regula morum.

5. Confitemini, quod pax odiorum
Sit Maria metaque laborum,
Omnium medicina dolorum
Et omnium collatrix bonorum.

6. Confitemini Mariam esse,
Quam figurat stella marina,
Vere virgam stirpe de Iesse,
Producens florem sine spina.

7. Paratum cor sit in credendo
Et vere Mariam confitendo
Adiutricem paenitentis
Et nutricem innocentis.

8. Deus, laudem honoris
Mariae a me recipias,
Ut pro merito laboris
Tu in caelis me suscipias.

9. Dixit Dominus: Domine,
Quem natum virginis nomine,
Sede a dextris meis,
Quia filius Dei regis.

10. Confitebor Dei filium,
Mariae virginis fructum,
Qui divinum per consilium
Sanum dat suis conductum.

11. Beatus vir, qui Deum regem
Timet et eius tenet legem,
Huic Maria erit grata,
Et vere obtinet optata.

12. Laudate, pueri, laudabile
Nomen regis Dei fortis
Et nomen valde amabile
Matris devictoris mortis.

13. In exitu populi fidelis
De terra Pharaonis crudelis
In Iudaea laudem peregit,
Ex qua Deus matrem elegit.

14. Dilexi vere Mariam,
Quoniam me exaudivit,
Et inveni eam piam,
Dum meas preces audivit.

15. Credidi Mariae adflictus
Sincero corde non fictus,
Pro eo non sum devictus
Multorum sustinens ictus.

16. Laudate Mariam, omnes gentes,
Quae virtutem dat viventibus,
In hoc mundo dolentes
Associat gaudentibus.

17. Confitemini, quod sanctis sanctior
Est virgo, ut cedrus lignis altior,
Prae cunctis in caelo rutilans,
Ad latus Christi iubilans.

18. Beati immaculati,
Qui in via legis proficiunt,
A Maria sunt amati,
Si non per devia deficiunt.

a. Retribue mihi magnifica,
O caeli regina deifica,
Pro laude tua mirifica
Me sancta vita vivifica.

b. Legem pone et intellectum
Da mihi, ut sic proficiam,
O virgo, sis mihi obiectum,
In bono ne deficiam.

c. Memor esto, cella verbi Dei,
Quae luce clarior es diei,
Ut sic gratia me vivifices,
Quod mei opera rectifices.

d. Bonitatem fecisti,
O virgo, filium procreando
Et mundo subvenisti
Nobis gratiam impetrando.

e. Defecit anima mea,
O Maria, sis pro ea,
Super omnes te imploro
In hoc mundo, quo laboro.

f. Quomodo dilexi legem,
Nisi per te, virgo, instructus?
Dum exivi Dei gregem,
Sum tua gratia reductus.

g. Iniquos odio habui
Et ad te, virgo, abii,
Dum a mundi fallacia
Me traxisti gratia.

h. Mirabilia testimonia
Sunt de te, o virgo, caeli scala,
Nam vere omnia daemonia
Vincis et totius mundi mala.

i. Clamavi in toto corde
Ubique terrarum orbe
Ad te, virgo, tribulatus
Et per te sum liberatus.

k. Principes persecuti sunt,
Quos virgo mater amavit,
Et eam secuti sunt,
Quos gratia sua vocavit.

19. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi
Et matrem virginem invocavi,
Sic sum vere consolatus
In hoc mundo contristatus.

20. Levavi oculos, ut veniat
Mihi, virgo, a te auxilium,
Et, nisi gratia subveniat,
Tunc ibo in exsilium.

21. Laetatus sum pro his et pro eo,
Quod Maria virgo est cum Deo
In domo eius, qua nos laeti
Intrabimus dati quieti.

22. Ad te levavi oculos,
O virgo, cordis cum affectu,
Ut mei peccati rotulos
Facias deleri cum effectu.

23. Nisi quia Dominus erat
In te, o virgo, in quam sperat
Homo, ab hoste devoratus
Esset et vere desperatus.

24. Qui confidunt in tua gratia,
O Maria, exsultabunt,
Quia tua efficacia
Contra hostes triumphabunt.

25. In convertendo sumus facti
A peccati poenis tacti
Per te, o virgo, consolati
Et ad veniam vocati.

26. Nisi Dominus custodierit,
Hostibus sumus redditi,
Et si pro nobis non audierit
Te matrem, sumus perditi.

27. Beati omnes timentes
Deum et laudi insistentes
Mariae, matris nostri Domini,
Qui vita est et salus homini.

28. Saepe expugnaverunt
Me hostes vi proterva,
Vincere non potuerunt,
Te sic, virgo, me conserva.

29. De profundis ad te arcam Christi
Clamavi, quae nobis effudisti
Thesaurum productum synagoga,
Pro nobis, virgo mater, ora.

30. Domine, non est exaltatum
Cor virginis gratia superna,
Quod sic pro nobis est ornatum,
Ut nostrae vitae sit lucerna.

31. Memento bonis insignita,
O virgo, regis urbs munita,
Ut laxes reis debita
Augeasque bonis merita.

32. Ecce, quam bonum et quam iucundum,
Quod exiit per te portam clausam
Deus descendens in profundum,
Ut nostram perficeret causam.

33. Ecce nunc, quae praevidit Daniel
Et quae nuntiavit Gabriel,
Quod es vere benedicta
Gratiaeque mater dicta.

34. Laudate nomen conditoris,
Qui missus Mariae de sublimi,
In nobis gratiae fundatoris,
Dum carnem sumpsit nostri limi.

35. Confitemini vitae lumen
Et paradisi purum flumen,
Mariam, cuius pulchra facies
Inter caelestes splendet acies.

36. Super flumina Babylonis flentes
Fecit Deus repatriare,
O virgo, in mundo nos gementes
Fac caeli regnum intrare.

37. Confitebor, quod est venturus
Cum flammis fortis iudex durus,
O virgo, tunc te ostende
Nobis piam et defende.

38. Domine, probasti cognoscens,
Quod nostrum opus est humanum,
Maria, sis pro nobis poscens,
Ne labor noster sit in vanum.

39. Eripe me per tuas preces
Et munda cordis mei faeces,
Virgo, ne me hostes fallant,
Qui me tota die vallant.

40. Domine, clamavi: intende,
Quod mater virgo me suscipiat,
Et gratiam mihi impende,
Ne malus hostis me decipiat.

41. Voce cordis te, virgo, precor,
Ut mihi per te detur decor,
Qui sic animam decoret,
Quod te, ut decet, honoret.

42. Domine, exaudi me orantem
Et Mariae me commenda,
Ne despicias me deprecantem,
Sed vitam meam emenda.

43. Benedictus Deus, qui ditavit,
Nos propitius dum visitavit
Per Mariam, quam intravit,
Gratiam dum nobis donavit.

44. Exaltabo te et benedicam,
Deus, merces es gaudentium
In caelo, o virgo, fac, quod dicam:
Laetabor in terra viventium.

45. Lauda, anima, hoc munus,
Tres operati sunt, quod unus,
Qui ex virgine natus apparet,
In mortem se pro nobis daret.

46. Laudate Dominum, quoniam bonus,
Qui pro nobis factus vir dolorum,
Cuius Maria electus thronus,
Probra passus Iudaeorum.

47. Lauda, Ierusalem, quod est orta
De te stella maris, caeli porta,
Maria, nutrix ducis magni.
Qui ad instar venit agni.

48. Laudate Dominum de caelis
Et Mariae benedicamus,
Sic superatis hostium telis
Laeti caeli regnum intramus.

Cod. Carolsruhan. Augien. 136. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Cod. Paulanus Sanblasian. memb. 44. saec. 15. B.

I. 3, 1 quid sunt B. — 3, 2 Qui Mariae sunt ingrati B. — 3, 3 Et ipsi qui ad quid nati B. — 3, 4 Per omnes non sunt beati B. — 5, 4 Dum ad B. — 8, 1 noster fehlt B. — 9, 1 tibi fehlt B. — 9, 4 est ex te B. — 11, 3 sq. umgestellt B. — 13, 2 Veluti B. — 13, 3 non ferens B. — 14, 3 salutavit AB, Qui manibus B. — 20, 4 Sic sperans B. — 21, 1 Domine Deus A. — 21, 2 sit fehlt B. — 38, 2 consequendo A. — 38, 3 Si me errare B. — 39, 1 Te exspectans B. — 40, 4 Quin eam B. — 42, 3 O pia vero eripe B. — 43, 2 Mariam quam A. —

II. 1, 2 erras B. — 6, 1 o domina A. — 7, 1 vero A. — 7, 4 Qui ne cadam B. — 8, 2 O vere mater B. — 10, 1 sq. meam deprecationem B. — 12, 3 filio B. — 12, 4 sit fehlt B. — 15, 4 indelate B. — 16, 2 Qui per virginem imploratur B. — 16, 3 perfuratur B. — 16, 4 vere eam B. — 17, 3 fehlt B; convertentur A. — 17, 4 merentur A. — 18, 3 In qua B. — 26, 4 immolatur B. — 33, 2 Est vera gratia B. — 35, 2 Ne insistentem A. — 36, 3 me fehlt B. — 39, 1 est fehlt B. — 39, 3 bene fehlt B. — 40, 3 Modo suo B. — 40, 4 Defendat B. — 48, 1 sqq. fehlt A.

III. 2, 1 Benedic homo speciosam B. — 3, 1 Benedic homo puellam B. — 3, 2 lunam stellam B. — 5, 1 Confitemur A. — 5, 2 in metaque A. — 6, 1 Confitemur A. — 6, 3 virga A. — 12, 4 Martyrum victoria mortis B. — 16, 3 Et in mundo B. — c, 3 sic fehlt B. — c, 4 Et opera mea B. — 9, 4 A me traxisti A; Me fehlt B. — h, 3 omnia fehlt B. — h, 4 victi et B. — i, 4 te sine liberatus B. — k, 1 prosecuti AB. — k, 3 sunt fehlt A. — 19, 2 virginem fehlt B. — 20, 2 a te virgo B. — 21, 3 quam laeti B. — 21, 4 datae A. — 22, 3 retulos B. — 24, 4 Qua hostes A. — 27, 1 Beati timentes Deum entes B. — 28, 4 Te fehlt A. — 29, 1 arca B. — 29, 2 qui A. — 33, 3 Quod est A, benedicenda B. — 33, 4 dicenda B. — 34, 2 de fehlt B. — 34, 4 sumpsit nobilissimi A, noblimi B. — 35, 1 Confitemur A. — 36, 2 reparare A. — 44, 1 te fehlt A. — 44, 2 u. 3 umgestellt und 2 In te Deus o virgo quid dicam B. — 46, 1 qui bonus A, quam bonus B. — 48, 2 benedicemus B. — 48, 4 intremus B.

Aufser diesen Unterschieden ist zu bemerken, dafs B fast konstant die zweiten und dritten Zeilen umstellt, was wohl Folge verkehrten Abschreibens ist, wenn in der Vorlage die Zeilen 1 und 2, 3 und 4 nebeneinander standen. Auch teilt B die Strophen nicht in Quinquagenen ein, sondern in sieben Nokturnen und Vesper. Vor dem Psalter steht die Bemerkung: Istud dictamen psalterium vocatur, quod per psalmos psalterii inchoatur, in laudem virginis gloriosae devote legatur. Quemlibet psalmum praecedit Ave Maria. Auch die einzelnen Nokturnen werden mit solchen Reimen eingeleitet: Incipit nocturnus, qui nominatur quartus. Hic est quintus nocturnus et incipit valde iucundus. In der letzten Quinquagene ist Ps. 118 mit elf Strophen vertreten, während die drei letzten Psalmen des Psalters nur durch eine Strophe repräsentiert werden.

VII. Psalterium Acrostichon B.M.V.

Prima Quinquagena.

1. Almiflua, pulcherrima
Regina caeli, gaude,
Decora, celeberrima,
Perenni digna laude.

2. Venusta, pulchra facie,
Tu es agnominata,
Maria, mater gratiae,
Reorum advocata.

3. En, virgo, de regalibus,
Ingenua, mirosa,
Progenita natalibus,
Illustris et famosa.

4. Decora, commendabilis,
Trans ordinem naturae,
Quae nam incomparabilis
Es omni creaturae.

5. Omnimode gratissima,
Mirifice praeclara,
Quae es et praepurissima,
Caelesti Deo cara.

6. Magistra pudicitiae,
Puella puritatis
Imagoque munditiae,
Sigillum castitatis.

7. Illustras omne saeculum
Clarifico splendore,
Nitescis quasi speculum
Mirifico nitore.

8. Nam coma fulvet aurea
Tis pulchre redimita,
Quam ornat vitta laurea,
Quae desuper est sita.

9. At frontis superficies
Est tua perserena,
Quam candida mundities
Venustat et amoena.

10. Nequaquam supercilia
Deficient a laude,
Quae vere sunt subtilia
Et carent omni fraude.

11. O quam praeclaro lumine
Sunt oculi micantes,
Ut stellae de cacumine
Caelorum illustrantes.

12. Sunt nares aequalissimi,
Sunt labia rubentes,
Ut ebur candidissimi
Resplendent, ecce, dentes.

13. Tu nata regis unica,
Sic rubent tuae genae
Ceu grata mala punica,
Sunt aures praeserenae.

14. Revera cervix regia
Nitescit ebenina,
Sed tua praeegregia
Sunt brachia cedrina.

15. Ast manus tuae ductiles
Sunt aloës ex ligno
Cum digitis tornatiles,
Candidiores cygno.

16. Ut species clarissimi
Crystalli diaphani
Sunt ungues sincerissimi,
Spectabiles et plani.

17. Innubiles, virgineae
Tumescunt tis mamillae,
Praeclarae botris vineae
Nam comparantur illae.

18. Regina, tuus venter est
Ut hortus circumclusus,
Qui floribus frequenter est
Vernantibus perfusus.

19. Gratissima tu femina,
Prae ceteris electa,
Sunt tua crura gemina
Marmorea, directa.

20. Ornatu devotissimo
Fulgentiores astro
Stant pedes, nitidissimo
Qui sunt ex alabastro.

21. Miratur, ecce, ratio
Superexcellentive,
Quod cutis dealbatio
Candidior sit nive.

22. At tota dispositio
Tis corporis sacrati
Sic caret omni vitio
Reatuque peccati,

23. Revera quod per singula
Nequibit explicare
Vox aut humana lingula
Condigne collaudare

24. Immensam pulchritudinem,
Sinceram caritatem,
Praecelsam sanctitudinem
Tuamque dignitatem.

25. Ad dextram Dei filii
Vestita deaurate,
Spes nobis es auxilii
Nunc cum varietate.

26. Gemmata iacinthinea
Cum veste stas amicta,
Cum chlamyde coccinea,
Tu virgo benedicta.

27. Respiras velut fragula
Cum purpura bis tincta,
Vestita molli stragula,
Cum balteo praecincta.

28. At tu cum ostro vario
Stas pulchre redimita,
Cum opere plumario
Decenter insignita.

29. Tu bysso torta serico,
Maria, circumdaris,
O rosula de Iericho,
Praeclara stella maris.

30. In polymitis vestibus
Nec non aurificatis
Laetaris cum caelestibus
Spiritibus beatis.

31. Assistis in cubilibus
Supernis exaltata,
Muraenulis, monilibus
Et annulis ornata.

32. Praeclaris et nitentibus
Cum gemmulis politis,
In fimbriis fulgentibus
Ornaris margaritis,

33. Lucifluis carbunculis,
Smaragdis et crystallis,
Saphiris et iaspunculis,
Chrysolithis, corallis,

34. Eutropiis, topaziis,
Iacinthis, amethystis,
Rubinis, chrysopraziis
Lapidibus electis,

35. Nitentibus sardoniis,
Pyropis et beryllis,
Electis cassidoniis
Cum ceteris lapillis.

36. Auratis in sandaliis,
Quam pulchros habes gressus,
In ornamentis aliis
Est plurimis excessus.

37. Decora mala punica,
Cedrina tua poma
Fers in talari tunica,
Quae spirat ut aroma.

38. O quantum tuum pallium
Est fragrans, in quo legis
Tu lilia convallium,
Aeterni sponsa regis.

39. Munitas, virgo, violas
Carpescis redolentes,
Recondens has in fialas
Praeclare renidentes.

40. Ingenuae rubedinis
Carpescis, ecce, rosas,
Vernantis et albedinis
Plerumque speciosas.

41. Novellis, virgo, floribus
Respiras constipata,
De quorum tu coloribus
Resplendes adornata.

42. Virgultis in umbraticis
Ab esca requiescis,
In hortis aromaticis
Suave redolescis.

43. Sub umbra tui thalami
Tu, virgo, mater alma,
Nunc redolent et calami
Cum murra, gutta, palma.

44. Tus, myrtus, nardus pistica,
Cum stactis therebinthus
Et scorax non sophistica
Respirant illuc intus.

45. Excelsa cedrus Libani,
Cupressus ac oliva,
Ramosa frons olibani
Laurusque semper viva,

46. Cum vico florens vinea,
Amygdalum, amomum,
Procera malus punica,
Nec abest cinnamomum.

47. Virentis rami platanus,
Cum croco succomorus,
Et balsamus eatenus
Fragrescit atque morus,

48. Mandragora pomifera
Cum foliis venustis
Et mastix odorifera
Cum ceteris arbustis.

49. Benigna mundi domina,
Praedulcis mater Christi,
Ad bona nobis omina
Messiam genuisti.

50. Es stella clari luminis
Ostendens nautis portum,
Impetuosi fluminis
Fons rigat tuum hortum.

Secunda Quinquagena.

1. Nam puteus pulcherrime
Prosilientis aquae
Fecundat tis uberrime
Virgultum circumquaque.

2. Est tuum viridarium
Omnino dulcorosum
Et omne pigmentarium
Excellit odorosum,

3. Diversis aromatibus
Quod undique redundat
Et floridis ornatibus
Ubilibet abundat.

4. Ibidem vigens copia
Valentium herbarum,
Sed abest et inopia
Spirantium virgarum

5. Cum nimia fragrantia
Multarum specierum
Et divite substantia
Gratissimarum rerum.

6. Tu gaudes in deliciis
Obrizo fulvens auro,
Redundans in divitiis
Ex maximo thesauro.

7. Amanda Sion filia,
Regalis ornamenti,
Tu vales super milia
Tam auri quam argenti.

8. Tu, mater, es prae caelicis
Virtutibus ornata,
Tu cunctis et angelicis
Spiritibus praelata.

9. Vestita solis lumine
Coniunctaque Messiae,
Resplendes in cacumine
Caelestis hierarchiae

10. In celsi throni sedibus
Cum immortali veste,
Nam calcas lunam pedibus
Apocalypsi teste.

11. Nitescis miro schemate,
Regina puellarum,
Cum claro diademate
Duodecim stellarum.

12. Mirificis fulgoribus
Clarescis ut aurora,
Magnificis splendoribus
Es utique decora.

13. Venusta rutilantia
Tu sidera cum stellis
Ac signa radiantia
Praeclarius excellis,

14. Limpidulum luciferum
Cum omnibus planetis,
Zodiacum signiferum
Cum candidis cometis.

15. Iam splendes super Hyadem
Et globum sublunarem,
Arcophylaxem, Plyadem
Et radium solarem.

16. Excellis claram elice
Boetem, Orionem
Ac omnem lucis caelicae
Praeconstellationem.

17. Refulges super Iridem
Praeclare rutilantem,
Recurvam, flavam, viridem,
Luciflue micantem.

18. Illustras super fulmina
Tu coruscationis
Et super alta culmina
Caelestis regionis.

19. Beata, quae signaculum
Es sanctae trinitatis,
Electum habitaculum
Supernae deitatis.

20. Virtutes et archangeli
Te, virgo, venerantur,
Et potestates, angeli
Cum thronis famulantur.

21. Sic Seraphim altissima,
Sic ordo principatus,
Sic Cherubim sanctissima
Cum choro dominatus.

22. E quibus tu harmoniam
Fiellae semper audis
Et citharae symphoniam
Cum hymno tuae laudis,

23. Tam suave resonantia
Psalteria cum sistris
Ac organa crepantia
Cum lyris tymphanistris.

24. Blandisone clangentibus
Cum cymbalis exsultas,
In tubis perstrepentibus
Tu iubilum auscultas.

25. En, virgo praecellentiam
Quis tuam enarrabit?
Secundum exigentiam
Quis te praeconizabit?

26. Nam multum affectaverant
Te sancti patriarchae,
Qui pridem adoptaverant
Videre te non parce.

27. Et omnes sub aenigmate
Te concinunt prophetae,
Teque sub paradigmate
Metrificant poetae.

28. Duodecim similiter
Apostoli beati
Te dominam stabiliter
Laudare sunt parati.

29. In hymnis te magnificant
Evangelistae sancti,
Qui semper te glorificant
In laude gratulanti.

30. Cum iubilo sacerrimi
Te martyres invicti
Collaudant, celeberrimi
Tirones benedicti.

31. Tam sacrosancti domini,
Benigni confessores,
Decantant tuo nomini
Iam laudes et honores.

32. Venustae praeamabiles
Te virgines sectantur,
Ac cantus delectabiles
Hae tibi modulantur.

33. Sed dulci cum symphonia
Te colunt continentes
Magnifica praeconia
Tibique concinentes.

34. Fidelium convivio
Te laudat animarum
Supercaelestis unio
Concivium sanctarum.

35. In vocibus altisonis
Te colunt omnes sancti,
In laudibus dulcisonis
Ac hymno iubilanti.

36. Laudare te monasticus
Nunc, ecce, studet chorus
Nec non ecclesiasticus,
In cantico sonorus.

37. Iam praedicant theologi
Te, virgo, canonistae,
Morales physiologi,
Philosophi, legistae.

38. Virtutes tui nominis
Pontifices adorant,
Cum regibus et dominis
Te principes implorant.

39. Sic duces cum comitibus,
Primates, marchiones,
Praefecti cum equitibus
Et praesides turones

40. Te nunc cum potestatibus
Adorant castellani,
Barones cum magnatibus
Et proceres urbani.

41. Votiva te plebecula
Communis, ecce, laudat,
Quae per aeterna saecula
Te dominam collaudat.

42. Venusta, celeberrima,
Benevola Maria,
Matrona tam sacerrima,
Fidelis atque pia,

43. Saluto te millesies,
O virgo generosa,
Ac iterum centesies,
Iuvencula formosa.

44. Virago fortitudinis,
Maestorum consolatrix,
Imago pulchritudinis,
Caelorum imperatrix.

45. Naturae stupet ratio,
Quod virgo sis et parens,
Miratur Evae natio,
Cum tu sis labe carens.

46. In tuo gestas grabbato,
Qui zabulum deiecit
Ac hominem in sabbato
Curando salvum fecit.

47. Gratanter infra gremium
Fers mundi salvatorem,
Salutis nostrae praemium
Mundique plasmatorem,

48. Eternum unigenitum
Ex Deo summo patre,
Praeclarum soligenitum
Ex te sincera matre,

49. Nec minus Deum Dominum,
Infantem speciosum
Prae filiis et hominum
Aspectu gratiosum,

50. Initium qui luminis
Est lucis ante solem,
Qui cum virtute numinis
Sustentat terrae molem.

Tertia Quinquagena.

1. Tremendus Deus Dominus
Et conditor naturae,
Creator nihilominus
Totius creaturae,

2. Viventis Dei filius,
Ex Deo patre natus,
Qui fuit mirabilius
Ex temet incarnatus,

3. Stellatum hemisphaerium
Illuminans supernum,
Qui regnum ac imperium
Gubernat in aeternum.

4. Decoris castimoniae,
Maria, tu exemplum
Es atque sanctimoniae
Spirituale templum,

5. Omnimode gratissima,
Praerutilans, praeclara,
Quae es et praepurissima,
Caelesti Deo cara.

6. Matrona summe nobilis,
O domina caelorum,
Tu salus es immobilis
Et decus angelorum.

7. In caeli magnitudine
Tu tenes principatum,
In poli celsitudine
Tu praefers dominatum.

8. Nam omnis te caelicola
Condigne veneratur,
Ac quilibet christicola
Devote te precatur.

9. Virginea puellula,
Quae parem non vidisti,
Praepura Dei cellula,
Quae marem non novisti.

10. Subtilis sine macula,
Praepulchra, praeserena,
Praepollens per miracula
Tu es et praeamoena.

11. Nimirum pulchritudinem
Tis Deus concupivit
Et propter mansuetudinem
Te oleo linivit.

12. O tu misericordiae
Spes semper immortalis,
Tu pacis et concordiae
Donatrix aeternalis.

13. Stirps nobilis, humillima,
Progenies divina,
Tu tutrix es agillima,
Magnifica regina.

14. Te virginem puerperam
In matrem Iesu Christi
Elegit Deus, perperam
Quae nunquam commisisti.

15. Es vere mater veniae
Condigne nominata,
Regali de progenie
Praeclare propagata.

16. Referta plena gratia
Divinae bonitatis,
Refulges in galaxia
Cum sanctis et beatis.

17. In cunctis mundi finibus
Tu rite praedicaris,
Prae ceteris virginibus
Tu mire collaudaris.

18. Hinc igitur, egregia,
Clarissima matrona,
Propago diva, regia,
Maria, summe bona,

19. Electum quae refugium
Es omni paenitenti,
Quae nemini repudium
Das veniam poscenti.

20. Sanctissima, pulcherrima,
Suavis et amoena,
Gratissima, sacerrima,
Divinitate plena,

21. Virgineam clementiam
Flebiliter exoro
Tuamque praecellentiam
Humiliter imploro.

22. Succurre, Sion filia
Decora, mihi reo,
Me prece reconcilia
Cunctipotenti Deo.

23. Cum miser ego variis
Me culpis inquinavi,
Peccatis multifariis
Qui Deum irritavi,

24. Respicito, carissima,
Me, domina benigna,
Matrona clementissima,
Supremo Deo digna.

25. Intuere culpabilem
Me vere paenitentem,
Indignum, miserabilem,
Te pie requirentem.

26. Sis memor mei flebilis,
Indigni peccatoris,
Homuncionis debilis,
Stirps alma redemptoris.

27. Tu vere mater gratiae,
Succurre paenitenti,
Tu, domina, cum facie
Me respice clementi.

28. Velociter exaudias
Me, virgo, supplicantem,
Me patienter audias
Humillime precantem.

29. Succurre contra Satanae
Versutias abundas
Et erga Leviathanae
Argutias immundas.

30. Vecordiam, vesaniam,
O domina, repelle,
Discordiam, insaniam
A me procul propelle.

31. Exstingue capitalia
Peccata criminosa,
Praecipue moralia
Delicta vitiosa.

32. Restringe mundi gloriam
Velociter labentem,
Caducam, transitoriam,
Sophistice fallentem.

33. Ut per te adinveniam
In gaudio iustorum,
Exora mihi veniam
Meorum delictorum.

34. Sic bona temporalia
Concede pertransire,
Ut queam aeternalia
Paratim invenire.

35. Da mihi necessaria
Praesentis huius vitae,
Devincam ut contraria
Vivendo sine lite.

36. Et sensus meos regere
Dignare, virgo pura,
Benevole protegere
Me, diva mater, cura,

37. Ut valeam ubilibet
Me gerere securus,
Nec inimicus quilibet
Me noceat praedurus.

38. Sint omnia, quae facio,
Sic utinam modesta,
Quod mea conversatio
Sit nemini molesta.

39. Et in tentationibus
Adesto sublevamen,
In meditationibus
Aspira dulcoramen.

40. Tu bonis in operibus,
O virgo, me dignare
Cum mysticis muneribus
Benigne roborare.

41. Horrendis a periculis
Me sedula defende,
In cunctis offendiculis
Solacium impende.

42. O virgo venerabilis,
Adiutrix immo fortis,
Sis custos mei stabilis
In hora meae mortis.

43. Me contra diabolicas
Insidias protervas
Defendas ad catholicas
Me iungasque catervas.

44. O domina pulcherrima,
Succurre tua prece,
Quod eruar acerrima
Tunc a perenni nece.

45. Ast impetra me leniter
Post obitum purgari,
Quod cum electis breviter
Queam inthronizari

46. In gloriosa patria,
Iucunda, caelestina,
Qua perpes iugis latria,
Fruitio divina,

47. Assidua laetitia,
Concentus angelorum,
Pax, quies, amicitia
Conventusque sanctorum,

48. Multiplicatum gaudium
Glorificationis,
Tripudium, adplaudium,
Vox exsultationis,

49. Eterna contemplatio
Supernae deitatis,
Laus, salus, iubilatio
Melosque suavitatis.

50. Nunc, domina carissima,
Flos, decus virginale,
Matrona sincerissima,
Tu in aeternum vale.

Cod. Cremifanen. 270. saec. 15. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$. B.

I. 23, 3 lingua B. — 36, 2 Quam plures habes B. — 36, 4 Est pluribus B. — 37, 2 cara poma B — 40, 4 plerisque B. — 45, 3 Famosa frons clibani A. — 46, 3 malus pinea B. — 47, 1 Virentis reum B.

II. 2, 3 Quod omnem pinguetudinem B. — 5, 1 fehlt B. — 7, 3 vale B. — 8, 1 prae ceteris B. — 17, 3 recurvum, flavum B. — 23, 2 cistris B. — 28, 4 fehlt A. — 37, 3 philosophi B. — 37, 4 Philogi B. — 38, 1 Virtutem B. — 39, 3 und 4 fehlen B. — 40, 1 sqq. fehlen B. — 42, 3 Matrona celeberrima B. — 45, 3 ecce natio B. — 49, 3 dominum B. — 50, 2 Es AB.

III. 4, 1 Decorum A. — 10, 4 et fehlt B. — 15, 1 vera B. — 16, 3 galicia B. — 22, 1 succurre nunc filia A. — 27, 1 Tu mea mater B. — 29, 1 sqq. fehlen B. — 30, 4 pelle B. — 35, 3 Deunicam A, ut fehlt B.

Dies Psalterium bildet ein Akrostichon: Ave, domina nostra, virgo Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus et benedictus filius tuus unigenitus, dominus noster Ihesus Christus, verus Deus et homo. Amen. Str. III 45 und 46 sind nicht in das Akrostichon einbezogen; sie dienen, die Zahl 150 voll zu machen.

VIII. Psalterium beatae Mariae V.

auctore Antonio de Lantsee.

Prima Quinquagena.

1. Ave, plasma deitatis,
Ab aeterno praeconcepta.
2. Ave, arca trinitatis,
Ante tempus praeelecta.
3. Ave, virgo generosa,
Ab angelo praesagita.
4. Ave, mater gratiosa,
Virtutibus redimita.
5. Ave, germen prophetale,
A patriarchis edita.
6. Ave, genimen regale,
Pontificibus genita.
7. Ave, in conceptu pura,
Carens labe primitiva.
8. Ave, matrem egressura,
Mundo decus allativa.
9. Ave, vivens in hac vita
Sine reprehensione.
10. Ave, velut margarita
Exsul a contagione.
11. Ave, praesentata templo,
Ibi Deo servitura.
12. Ave, laudando exemplo
Degens sub divina cura.
13. Ave, crebro angelorum
Dulci colloquio freta.
14. Ave, per quam mundanorum
Vana sunt gaudia spreta.
15. Ave, pie salutata
Alloquio archangeli.
16. Ave, mire gravidata
A divo rectore poli.
17. Ave, per spiritum sanctum
Divinitus obumbrata.
18. Ave, in partu, post partum
Et ante intemerata.
19. Ave, visitans cognatam,
Elisabeth servitura.
20. Ave, Christum ad prophetam
Portans pereruditura.
21. Ave, in caelici partu
Subolis fecundissima.
22. Ave, in stupendi ortu
Sideris laetissima.
23. Ave, iubilatione
Angelica gloriosa.
24. Ave, quae accessione
Pastorum es gaudiosa.
25. Ave, circumcisione
Alumni fundens sanguinem.
26. Ave, quae a livione
Foedum mundasti hominem.
27. Ave, percipiens a magis
Munera quam largiflua.
28. Ave, sublevatis plagis
Inopiae melliflua.

29. Ave, quae purificaris
Labe carens puerperae.

30. Ave, prolem sacris aris
Sueto redimens munere.

31. Ave, persecutione
Herodiana fugata.

32. Ave, praemonitione
Angelica revocata.

33. Ave, precatura Deum
Ierosolymam ascendens.

34. Ave, duodennem natum
Docentem doctores cernens.

35. Ave, praedicatione
Alumni quae donis crescis.

36. Ave, multiplicatione
Fidelium hilarescis.

37. Ave, miraculis Christi
Mira affecta stupore.

38. Ave, ubertim fuisti
Eodem compta decore.

39. Ave, gladium doloris
Sacro ferens in pectore.

40. Ave, quae fontem amoris
Ictibus cernis deficere.

41. Ave, maesta deficiens
Saeculi exstincta luce.

42. Ave, lacrimis effluens
Sublato caelico duce.

43. Ave, Christo resurgente
Suaviter consolata.

44. Ave, morte destruente
Filio speificata.

45. Ave, mundum deserente
Redemptore gaudiosa.

46. Ave, caelos penetrante
Alumno hic fastidiosa.

47. Ave, charisma spiritus
Sancti abunde hauriens.

48. Ave, sublimes instinctus
In linguis igneis sumens.

49. Ave, in defunctione
Dolore mortis orbata.

50. Ave, in assumptione
Summis civibus stipata.

Secunda Quinquagena.

1. Ave, in qua vivunt cuncti,
Data mundo imperatrix.

2. Ave, solamen defuncti,
Nuncupata reparatrix.

3. Ave, collatrix veniae,
Vera mater orphanorum.

4. Ave, largitrix gratiae,
Sublevatrix turbatorum.

5. Ave, infundens virtutes,
Domini thesauraria.

6. Ave, maestos ut adiuves,
Clamat nostra miseria.

7. Ave, datrix largissima
Donorum sancti spiritus.

8. Ave, tu potentissima
In aethere divinitus.

9. Ave poli clavigera,
Per quam possidetur caelum.

10. Ave, celsa armigera,
Repellens hostile telum.

11. Ave, mandans daemonibus
Per natam auctoritatem.

12. Ave, quae das pectoribus
Spem, fidem et caritatem.

13. Ave, mater terrifica
Potestati contrariae.

14. Ave, virgo deifica,
Summae socians patriae.

15. Ave, tu imperiosa
Terrae, mari, mundo, caelo.

16. Ave, rectrix virtuosa
In universo saeculo.

17. Ave, patriarchis cunctis
Longe es praestantior.

18. Ave, prophetis defunctis
In donis abundantior.

19. Ave, David stirpe nata,
Florens velut rosa vernans.

20. Ave, ab Abraham data,
Aeternaliter gubernans.

21. Ave, generosa proles
A Salomone edita.

22. Ave, quae florere soles
Sophia patris praedita.

23. Ave, tu ab Isaia
Luculenter praesagita.

24. Ave, quae ab harmonia
Davidica es praescita.

25. Ave, ab Ezechiele
Porta clausa praedicaris.

26. Ave, quae in Daniele
Per Susannam figuraris.

27. Ave, quae a Ieremia
Desolata lugubraris.

28. Ave, iugiter in via
Spiritalem prolem paris.

29. Ave, columna ignita,
Decora arca foederis.

30. Ave, quoniam sunt sita
In te abdita aetheris.

31. Ave, limpidus crystallus,
Carbunculo splendidior.

32. Ave, rubra ut corallus,
Margarita candidior.

33. Ave, velut chrysoprassus
Pulchra decore interno.

34. Ave, fac, ut homo lassus
Surgat ardore superno.

35. Ave, mater gracilior
Rubenti amethysto.

36. Ave, et amabilior
Cunctis speculo in isto.

37. Ave, specimen pudoris,
O lilium convallium.

38. Ave, caelicis in oris
Residens in perpetuum.

39. Ave, o virgula fumi,
Aromate acceptior.

40. Ave, sponsa regis summi,
Murra prima perfectior.

41. Ave, dulce cinnamomum
Flagrantiorque balsamo.

42. Ave, caelicum quae domum
Sollerti construis palmo.

43. Ave, vellus Gedeonis,
Liliis redolentior.

44. Ave, spiritibus bonis
Caritate ferventior.

45. Ave, cedro sublimior
Proceriorque cupresso.

46. Ave, palmae eximior,
Subveni mente depresso.

47. Ave, platano similis,
Fecunda velut oliva.

48. Ave, collata hinnulis
Extricans corda captiva.

49. Ave, hortus voluptatis,
Fons signatus divinitus.

50. Ave, dans haurire gratis
De aquis datis caelitus.

Tertia Quinquagena.

1. Ave, stella magni maris,
Naufragantis plebis portus.

2. Ave, iure nuncuparis
Humanae salutis ortus.

3. Ave, pulchra velut luna,
Astris es rutilantior.

4. Ave, in qua mens humana
Affectu est flagrantior.

5. Ave, quae ut sol electa
In theca es uranica.

6. Ave, devote affecta
In contione caelica.

7. Ave, quia luna, sole
Admiranter amicta es

8. Ave, regens sine mole
Orionas et pleiades.

9. Ave, cacumen Olympi
Supergressa aethereum.

10. Ave, gracilis flos campi,
Culmen excedens astriferum.

11. Ave, angelorum mater,
Catervae caelicae grata.

12. Ave, tornatilis crater,
Angelica colens prata.

13. Ave, o principativa
Et sagax rectrix principum.

14. Ave, o potestativa
Et repressiva daemonum.

15. Ave, o archangelica,
Paranymphis sublimior.

16. Ave, virtutum amica,
Virtutibus intimior.

17. Ave, quia dominaris
Ierarchicis ordinibus.

18. Ave, thronica vocaris
In caelorum agminibus.

19. Ave, virgo seraphica,
Superferenda amore.

20. Ave, quia theotoca
Deifero es ardore.

21. Ave, o superfluida,
Ad divinum ignem liquens.

22. Ave, o hyperdulicon
Incessanter ardens.

23. Ave, gloriam adferens
Apostolis, martyribus.

24. Ave, celeuma concinens
Viduis et virginibus.

25. Ave, o limpidissima
Caelica cognitione.

26. Ave, o ardentissima
Sincera devotione.

27. Ave, opulentissima
In sacra fruitione.

28. Ave, o beatissima,
Intima in unione.

29. Ave, laude indefessa
Almificum numen laudans.

30. Ave, perpetim possessa
Turmis summis congratulans.

31. Ave, virgo assidua
Gratiarum actione.

32. Ave, o individua
Aeterna inhaesione.

33. Ave, laureis ditata,
In praemiis uberrima.

34. Ave, per quam vernant prata
Meritis saluberrima.

35. Ave, virgo agillima,
Radiis solis velocior.

36. Ave, mater gracillima,
Sole et luna splendidior.

37. Ave, firmamenti candor,
Immortalitate plena.

38. Ave, es catervis odor,
Subtilitate serena.

39. Ave, divis in montibus
Celsi Olympi saliens.

40. Ave, potata fontibus,
Summos colles transsiliens.

41. Ave, quae in meridie
Cubas sponsum amxplexando.

42. Ave, stillans cotidie
Pacem homini salvando.

43. Ave, in aula supera
Fruens bonis caelestibus.

44. Ave, caelica atria
Largitura terrestribus.

45. Ave, caelicum agalma,
In quo recumbit trinitas.

46. Ave, canens per pneüma
Paradisiacas odas.

47. Ave, quae supra verticem
Celsum Arcturi resides.

48. Ave, quae caelicam arcem
Summis apicibus tenes.

49. Ave, dilecti thalamum
Intrans divinum per flamen.

50. Ave, epithalamium
Neumaque resonens. Amen.

Cod. Basileen. (ol. Carth. S. Margarethae) s. n. saec. 15. — „Sequitur Psalterium beatae Mariae virginis, quod compegi anno Domini 1492 feria tertia post Iacobi.“ Verfasser ist Antonius von Lantsee, Karthäuser zu Basel.

IX. Psalterium

auctore Guillermo de Deguilevilla.

Prima Quinquagena.

1. Beatus vir, qui erigit
Mentis vultum et dirigit
Ad suum directorium,
Qui videt et intellegit
Memoriaeque redigit,
A quo suum principium;
Nam eius manet folium
Non defluens per vitium
Et, si defluat, eligit
Fugam ad diversorium
Ventumque vitans noxium
Ibidem se recolligit.

2. Quare fremuerunt pridem,
Qui refugium ibidem
Habuere fugientes?
Ipse Deus manet idem,
Semper manens inibidem,
Recipiens omnes gentes;
Olim fuere videntes
Ipsum dixisse dicentes,
Quod post revelatam fidem
Nato dato in parentes
Exaudiret venientes
Et supplicantes eidem.

3. Domine, quid multiplicem
Verba sciens te iudicem
Iudicaturum saeculum,
Trinum Deum et simplicem,
Revocatorem, indicem
Errantium et exsulum?
Hinc exsurgo per baiulum
Precum clamorem sedulum
Maiestatis ad apicem
Currens, ut tuum famulum
Benedicas et populum,
Ut sint concordes invicem.

4. Cum immorarem anxius,
Multotiens propitius
Fuisti mihi, Domine,
Nec quidquam mihi melius,
Quam quod fias adhuc pius
Signato vultus lumine;
Olim pactum cum homine
Cum filio et flamine
Sic fecisti, quod filius
Carnem sumpsit ex virgine
Miro conceptus ordine,
Nihil nobis utilius.

5. Verba mea hinc erigo
Ad te, fili, et dirigo
Qui ad salutem venisti,
Tibi me servum obligo
Et sub te me recolligo,
Ne peream, quem fecisti;
Et si iniquos odisti
Nec peccatum voluisti,
Cui, vae mihi, me subigo,
Scutum tamen te dedisti
Mihi et benedixisti,
Si nomen tuum diligo.

6. Domine, ne in furore
Iudicis irati more
Quandoque me corripias,
Tu scis, quod sine dolore
Nullae mihi fiunt horae
Sustinendo miserias;
Unde, nisi mihi pias
Praestes misericordias
Haustas ex tuo cruore,
Turbatus sum nullas vias
Mihi videns propitias,
Expavescens cum tremore.

7. Domine, Deus aeterne,
Splendor gloriae paternae,
In te speravi et spero,
Fac, illustret me interne
Lumen gratiae supernae,
Tu, Deus de Deo vero;
Si iustus es, satis fero,
Cum et patiens, ut quaero,
Monstres lac mammae maternae,
Quod, quamdiu sum et ero,
Sugam, quamvis nimis séro,
In potum sitis veternae.

8. Domine, Domine Deus,
Qui te dans, ut esses meus,
Miro modo et ordine
In hoc mundo Galilaeus
Factus es et Nazareus
Natus Maria virgine,
Minoratus pro homine
Tam habitu quam nomine,
Quidquid ruminet Iudaeus,
Quod factum est, ut crimine
Ac barathri voragine
Iam respiret homo reus.

9. Confitebor tibi corde,
Ut purgatus omni sorde
Psallam tibi altissimo,
Quoniam misericorde
Te facto cum me vecorde
Sufficere non aestimo,
Si corpore et animo
Tibi psallam ex intimo
Utroque simul concorde,
Nisi ausu promptissimo
Dicere queam ultimo:
Iam veni, mors, et me morde.

10. In Domino confidere
Debeo, non praesumere
De sua data gratia,
Nam quandoque vult cadere
Super reos et pluere
Laqueos sive retia;
Iustus est nec iustitia
Exuitur, cum venia
Pie agit cum paupere,
Si operatur varia,
Hoc exigit materia
Se varians in opere.

11. Salvum me fac propitius,
Quoniam non es varius
In te nec variabilis,
Propter miseriam pius
Nostram expurgas ocius
Factus et compassibilis;
Nam cum sis ineffabilis
Et incomprehensibilis
Infinitusque filius,
Te ob hoc venerabilis
Venter virginis humilis
Comprehendit interius.

12. Usquequo dominans erit,
Qui animam meam quaerit
Nesciens unquam parcere,
Usquequo et eam terit
Persequitur atque ferit
Appetens eam perdere?
Vulnus in tuo latere
Atque sanguis ex vulnere
Memoriae virtus gerit,
Quod redemptam tam aspere
Oblivioni tradere
Non debes videns, quod perit.

13. Dixit insipiens reus
Exorbitansque Iudaeus
Insistens pedi litterae:
Homo talis non est Deus,
Et si Deus, non est meus,
Velatus carnis vellere;
Tu de caelo prospicere
Velis, ut intellegere
Sciat, quantum erroneus
Sit, ut et pectus tundere
Et ad te se convertere
Velit iam non tartareus.

14. Domine, quis habitabit
Aut in monte tuo stabit,
Si solus sine macula
Ibidem hereditabit
Aut solus hunc vendicabit
Non onustus sarcinula?

Ni fallat ista regula,
Aut peccator piacula
Paenitentia purgabit,
Aut detentus a facula
In sempiterna saecula
Ad te non adpropinquabit.

15. Conserva me, nam timeo,
Contremisco et paveo
Ex bonorum carentia
Et, si qua sunt, non video,
Quod egam, sed egeo,
Ut crescant tua gratia;
Tu exsuli a patria
Es pars hereditaria
Bibens in calice meo,
Dum in mea angaria
Adest tua clementia,
Et in pulvere sedeo.

16. Exaudi, Domine clemens,
Quem examinat vehemens
Et dira tribulatio,
Ad te confugio tremens,
Vagabundus atque fremens,
Ut mea sis salvatio,
Alae tuae protectio,
Quas quaero pro refugio,
Assint mihi, qui sum gemens,
Ab insultuque noxio
Mea fiant defensio,
Ne plus exagitet me mens.

17. Diligam te, dominator,
Cum fueris liberator
Meus atque refugium,
Laudans quoque invocator
Tui oro et rogator,
Quoniam necessarium,
Ut doceas ad proelium
Manus meas et brachium,
Et quod fiam sic bellator
Ad expugnandum vitium,
Ut et hostium omnium
Per te fiam supplantator.

18. Caeli enarrent gloriam
Tuam et excellentiam,
Atque fiat magnus sonus,
Quod elegisti Mariam
Ad currendam nostram viam
Tamquam terrenus colonus;
Fiat quoque laudis tonus,
Quod ad nostrum magnum onus
Supportandum per gratiam
Effectus es gigas bonus
Fortissimusque patronus
Mundi tollens miseriam.

19. Exaudiat te Dominus
Morti datum ob facinus
Primi patris et suorum,
Exaudi nihilominus
Me te rogantem, quatinus
Miserearis meorum;
Non curruum nec equorum
In pompis vel aliorum,
Sed in te, qui es terminus
Miseriae et laborum
Et requies beatorum,
Spes est ponenda protinus.

20. Domine, in virtute es,
Qui regibus mundi praees
Solus tenens imperium,
Qui non desinis nec dees,
Promptus semper, ut recrees
Deformatos per vitium;
Tu cordis desiderium
Mihi dans necessarium,
Elongatus iam remees,
Ut habeam dominium
Super carnis ludibrium
Factus secundus Phinees.

21. Deus, Deus et Domine,
Quem Iudaei pro homine
Dirae morti tradiderunt,
Cuius effuso sanguine
Vidente matre virgine
Manus et pedes foderunt;
Vide, quod istud fecerunt
Non pro illis, qui fuerunt,
Solum vel suo crimine,
Sed et pro illis, qui erunt,
Qui modo sunt et te quaerunt
Cum devoto precamine.

22. Dominus regit saeculum
Virgam tenens et baculum,
In loco suae pascuae
Mensam parat et pabulum
Pretiosumque poculum
Pro ovibus curae suae;
Suis adest assidue
Et vexatis incongrue
Se praebet propugnaculum
Pietatis irriguae
Oleo et largiflue
Hos impinguans ad cumulum.

23. Domini est terra tota,
Cunctaque sunt ei nota,
Vacuum et plenitudo,
Ad nutum cuius est mota
Stelligera caeli rota
Distinctaque pulchritudo;
Manu eius amplitudo
Mundi est pila pro ludo
Et quasi minima iota,
Sed tenentis magnitudo
Capitur et fortitudo
In mente sibi devota.

24. Ad te, Domine, levavi
Animam, pro qua speravi,
Ut sis ei subsidium,
Ut sit ei pro conclavi
Latus tuum et, quo clavi
Latuerunt, refugium;
O redemptor fidelium,
Quid digne meritorium
Ad sperandum hoc aravi,
Nisi quia te brachium
Extendentem et ostium
Apertum consideravi?

25. Iudica me iudicio,
Deus meus, propitio
Carentem innocentia,
Non me perdas cum impio,
Sed sedeat in solio
Pro me misericordia;
Sopiatur iustitia,
Velut faciat alia,
Sibi detur commissio,
Nam in sua praesentia
Stare cum verecundia
Esset mihi confusio.

26. Dominus, illuminator
Meus tu es et salvator,
Quem debent cuncti timere,
Animarum visitator
Et cordium habitator,
Quae peccatis scis carere;
Unum peto, miserere
Reo mihi et medere
Pius factus miserator
Facque culpas meas flere,
Ut tibi queam placere
Iam emundatus peccator.

27. Ad te, Domine, clamare
Dignum est et salutare
In lacum descendentibus;
Ad te clamo, me iuvare
Velis et non condemnare
Cum male operantibus,
Et si cum peccatoribus
Ad te exorbitantibus
Me contingat plus errare,
Revocans ab erroribus
Mihi velis et omnibus
Benedictionem dare.

28. Afferte Domino suum
Gloriae ius perpetuum
Cum laudibus et honore,
Vox ipsius tonitruum
Super opus incongruum
Concutiens in furore,
Voxque sua cum dulcore
Viventibus in amore
Et connexu affectuum,
Quidquid exit suo ore,
Moderatur ex tenore
Obiectorum affectuum.

29. Exaltabo te, Domine,
Si exaltare carmine
Te queam modo debito,
Sed non est laus in homine,
Nisi de tuo lumine
Derivata gratuito;

Olim pro mundo perdito
Te fuisse non haesito
Exaltatum libramine,
Te demonstratum digito,
Quasi tuo demerito
Hoc fuerit vel crimine.

30. In te, Domine, speravi
Macillentus fame gravi,
Credens, quod me enutrires,
Quod non pomo primi avi,
Sed te ipso ex suavi
Famem meam reficies;
In te salvum me facies,
Quando ad me respicies
Caladrio compar avi,
Et si a me sit facies
Aversa, iam adest dies
Mortis, quam adpropinquavi.

31. Beati, quorum remissae
Die mortis et dimissae
Fuerunt iniquitates,
Quoniam melius isse
Est omnibus quam venisse
In mundi lubricitates;
Non est sanctus neque vates,
Qui non dicat tibi grates
Flagella mundi transisse
Vel qui eius vanitates
Simul et varietates
Non gaudeat reliquisse.

32. Exsultate, iusti, ergo
Mundum habentes a tergo
Deum nostrumque laudate,
Me similem avi mergo
Fluctuantem, ubi vergo,
De fluctibus liberate,
Accedite, properate,
Succurrite indilate,
Nam devotus ad vos pergo,
Ut in utre congregatae
Sunt aquae maris turbatae,
Quibus lapsus me immergo.

33. Benedicam dominorum
Dominum et angelorum
Laudans in omni tempore,
Qui dux factus viatorum
Ad transitum mundanorum
Nos exspectat in litore;
Hic descendit ex arbore
Non calore vel frigore
Perdente decorem florum,
Ex qua suscepto corpore
Nauta bonus in aequore
Nullum vult mergi suorum.

34. Iudica, Domine, qui me
Persequuntur nequissime
Causa voluntate sua,
Ad tales potentissime
Expugnandos nunc animae
Meae dic: Sum salus tua;
Fiat eis ut bellua
Angelus tuus nocua
Hos persequens iustissime,
Nec sint eis proficua
Aliqua vel irrigua,
Sed pereant citissime.

35. Dixit iniustus impius:
Iusto ero contrarius
Machinans, ut intereat,
Ne memoretur amplius
Nomen eius, sed noxius
Locum eius possideat;
Deus meus, hic videat,
Ordinet et provideat
Oculus tuus obvius.
Ut ad te cito redeat,
Qui erravit, ut pereat,
Corrector sui ipsius.

36. Noli aemulari, tamen,
Quos cognoscis per examen
Inique semper agere,
Noli, Deus, et tutamen
Negare, qui per precamen
Ad te volunt recurrere;
Utinam et recipere
Me, cui dicis: revertere,
Tu digneris ad solamen,
Cum non habeam fugere
Nisi ad te et vergere,
Ubi meum est foramen.

37. Domine, ne in furore,
Quem pio tuo cruore
Redemisti, me arguas,
Nam sentio cum dolore
In meipso peccatore
Confixas sagittas tuas,
Sicut virgines fatuas
Propter lampades vacuas
Exclusum me cum rubore
Et ad poenas perpetuas,
Nisi reatus diluas,
Festinantem cum tremore.

38. Dixi: custodiam vias
Patris praeparatorias
Per debitum silentium;
Deus meus, tu nescias
Aut tamquam nescius fias,
Si egi in contrarium,
Et si linguae sit vitium
Ortum in praeiudicium
Servantium iustitias,
Bonum tamen eloquium
Reficit audientium
Corda mitigans furias.

39. Exspectans exspectavi te,
Deus, ut me de gurgite
Educas et luto faecis,
Nam scriptum est in capite
Libri, quod vitae perditae
Surdis succuris et caecis;
Hoc in Hebraeis et Graecis
Datis periculis necis
Iam patuit explicite,
Nam eos vi suae precis
Extractae de suis thecis
Exaudisti gratuite.

40. Beatus, qui intellegit
Et seipsum non neglegit,
Antequam sit mortis hora,
Infirmus, qui se erigit,
Atque sanus, qui dirigit
Mentem ad te sine mora,
In confessione lora
Tollens aperiri ora
Paenitentia exigit
Et, quaeque sunt indecora,
Locutione sonora
A se protinus abigit.

41. Quemadmodum desiderat
Cervus fontes et properat,
Ut temperet sitim suam,
Ita ad te accelerat,
Qui te fontem considerat
Dantem aquam perpetuam;
Ad gratiam ergo tuam
Plus quam fontem largifluam
Et, quae semper exuberat,
Cio animam viduam,
Ut eam ultra vacuam
Non permittat, ut fuerat.

42. Iudica me, Deus, pio
Pietatis iudicio
Iusto sopito rigore,
Nam rigor sedens solio
Esset mihi perditio
Carenti procuratore,
Sed si constet ibi fore
Pietatem pro praetore,
Tunc quasi securus fio
Supponens, quod cum favore
Condescendat suo more
Paenitenti precario.

43. Deus, auribus tumultum
Considera et insultum
Mei duplicis hominis
Et fac, quod latens per cultum
Forinsecum consepultum
Reddat et vi regiminis;
Nam, nisi tu iuvaminis
In conflictu certaminis
Latenti praestes indultum,
Alter de nota criminis
Vincens et turpitudinis
Inficiet eius vultum.

44. Eructavit cor fecundum
Verbum bonum et iucundum
Diffusa tua gratia,
Sed lingua mea, secundum
Quod nullum habes secundum,
Te laudandi est nescia,

Gestans tamen te Maria
Fulta virtute varia
Et ornatum habens mundum
Pro profunda facundia
Murra, gutta et cassia
Facit affectum fecundum.

45. Deus noster, refugium,
Virtus et adiutorium
In tribulationibus,
Esto nobis praesidium,
Tutamen et subsidium
In malis irruentibus
Et fac nobis mortalibus,
Te solum sitientibus,
Sic monstrare te fluvium,
Ut de rivulis dulcibus
Per impetum currentibus
Lactetur grex fidelium.

46. Omnes gentes, iubilate,
Plaudite et exsultate,
Dominus caelos ascendit,
Alas vestras praeparate
Ad volandumque aptate,
Ut hunc sequamur, ostendit;
Ipsemet est, qui descendit
Et qui alas sic extendit
In cruce, quod perforatae
Pro homine, qui offendit
Deum patrem, si perpendit,
Fuerunt et cruentatae.

47. Magnus Dominus diceris,
Deus noster, qui miseris
Semper ades invocatus,
Qui et parvus efficeris
Et dominus cognosceris,
Ut te videns sit miratus;
Parvulus fuisti natus
Et parvulus adoratus,
Puer factus cum pueris,
Magnus quoque non mutatus
Tu es et perpetuatus
In infimis et superis.

48. Audite haec, omnes gentes,
Stantes procul et praesentes
Atque quique terrigenae,
Sic magnum sitis timentes,
Quod ad parvum venientes
Non fiatis ut advenae;
Nunquam alienigenae
Sed potius caeligenae
Sunt in eo confidentes,
Sed illi dicuntur bene
Alieni indigenae
Ad eum non accendentes.

49. Deus deorum veniet,
Per quem iudicium fiet
Ad discernendum populum,
Nullus eum effugiet
Vel declinans excipiet
Allegans fraudis titulum;
Tunc contremiscet saeculum
Nullum habens latibulum
Et nesciens, quid faciet,
Nam cuilibet ad oculum
Cuiuslibet piaculum
Manifeste patefiet.

50. Miserere mei data
Per Mariam et vulgata
Tua misericordia,
Plena et coagitata
Ac largiter mensurata
Detur favente gratia;
Iam aperio labia
Monente conscientia
Cognoscens mea peccata,
Sperans, quod indulgentia
Largiatur et venia
Porta vitae reserata.

Secunda Quinquagena.

1. Quid gloriaris, peccator,
Malitiae propensator
Et potens iniquitate,
Quasi non sit miserator?
Es tui praecipitator
Perseverans obstinate;
Scito, quod propterea te
Deus perdet ultimate
Tui factus condemnator,
Nisi cum humilitate
Te emendes indilate
Reatuum lamentator.

2. Dixit insipiens rursum:
Si morti sum dandus, cur sum?
Vel, vae mihi, iam despero,
Iam mors leonem vel ursum
Mittens mihi vitae cursum
Tollat cum impetu fero.
O fatue, nullus sero
Paenitens affectu mero
Elevat oculos sursum,
Nam tu, Deus, in quo spero
Et in quem spem meam fero,
Semper venis in occursum.

3. Deus, in nomine tuo
Salvum me fac perpetuo
Orationem audiens,
Nam sibi posse tribuo
Et hanc pro me constituo
Procuratricem faciens;
Ad te vadat non rediens,
Donec tamquam bonus cliens
Reportet in sinu suo
Illud, quod est expediens
Vel quod magis conveniens
Mihi virtute vacuo.

4. Exaudi, Deus, orantem
Me tibique supplicantem,
Turbatum voce hostium,
Pennas dans fac me volantem
Ut columbam elongantem
Maris mundi naufragium;
Aperi arcae ostium
Extendens mihi brachium
Ad salvandum naufragantem
Et redde te mihi pium
Post naufragii taedium
Ad stolam primam vocantem.

5. Miserere mei, quia
Multa mihi sunt proelia
Perversorum bellantium,
Conculcat me malitia
Eorum et superbia
Ut lutum transeuntium;
Sed si pro te opprobrium
Patior vel convicium,
Magnus es in potentia
Et te patrem propitium
In lumine viventium
Reddentem complacentia.

6. Miserere, miserere
Mei, Deus, quia vere
In te confidit anima,
Sub alarum umbra gere
Curam mei et me quaere
Cum lapsa drachma decima
Et, si factus es victima
Pro ove nonagesima
Nona, iam me tu tuere
A sagitta nequissima,
Lingua hominum pessima,
Quae latens nescit latere.

7. Si vere utique quaeram
Te, Domine, tecum feram
Patienter iniurias
Et iam fiam, quod non eram,
Per patientiam veram
Sustinendo miserias
Et, si tu adiutor fias,
Deus meus, et facias,
Quod te ut burdonem geram,
Ita loquar iustitias
In tenendo rectas vias,
Quod non perdam meam
peram.

8. Eripe me et libera,
Domine, de pestifera
Secta virorum sanguinum,
De venenosa vipera,
Lingua nequam, mortifera
Malignantium hominum;
Tu mortis ante terminum
Fac me nosse te Dominum
Regnantem supra sidera,
Purgato labe criminum
Reddentem statum pristinum
Et renovantem foedera.

9. Deus, reppulisti primo
Nos infectos foedo limo
Peccati originalis,
Sed misertus es ultimo
Lavacro nos sanctissimo
Mundans aquae baptismalis;

Tu quoque culpae localis
Noxam tollens lateralis
Aquae ductu gravissimo
Pro nobis factus mortalis
Lavisti nos nostris malis
Restituens altissimo.

10. Exaudi, Deus, miserum
Ad te semper et iterum
A facie formidinis
Currentem, ut in posterum
Contra hostem pestiferum
Sis turris fortitudinis;
Ideo sanctae virginis,
Ut scribitur in paginis,
Tu elegisti uterum
Assumens corpus hominis
Propter usum velaminis
Factum in forma pauperum.

11. Nonne Deo subiciam
Animam meam deviam
Et vagantem per devia?
Vere, si haec non faciam,
Miser miserior fiam
Omni dignus miseria;
Ipse eius est gloria
Et origo primaria
Dans ei dependentiam
A providente gratia
Dante ei ad omnia
Claram intellegentiam.

12. Deus, Deus, vigilare
Ad te semper et pensare
Debeo tota virtute,
In velamento sperare
Alarum et exsultare,
Ut pausare queam tute;
Hoc in mea iuventute
Simul et in senectute
Sic teneor observare,
Ut alarum fusae guttae
Pro me et mundi salute
Cogant me te adorare.

13. Exaudi, Deus, conditor
Animarum et institor,
Me traditum periculo,
Exacuavit proditor
Meus linguam et venditor
Mei fuit in populo,
Trabem habens in oculo
De festuca in angulo
Mihi fuit impositor,
Si vides hoc in patulo,
Deus meus, te postulo,
Per effectum sis cognitor.

14. Te decet hymnus, Domine,
Cum cordis modulamine,
Virtus, honor et gloria;
Sic fecisti pro homine,
Quod caro cum spiramine
Resurget ad stipendia
Perpetua, supplicia,
Prout fecit, vel praemia
Adaequato libramine
Nec erit paenitentia
Amplius purgatoria
Consummato mundi fine.

15. Iubilate et psallite
Deo nostro et dicite
Psalmum ipsius nomini,
Opera eius cernite
Et ut in libro legite,
Quis sit, et intuemini;
Nunquam Abrahae semini
Revelatum vel homini
Fuit a mundi stipite
Potestas tanti Domini,
Cuius nulli sunt termini
Descriptionis debitae.

16. Deus miserationis
Et illuminationis,
Te postulo suppliciter,
Donum benedictionis
In valle ploratonis
Dona mihi benigniter,
Ut in terra tuum iter
Sic cognoscam veraciter
Perseverando in bonis,
Quod te quaerendo iugiter
Perveniam finaliter
Ad te locum stationis.

17. Exsurgat Deus, suorum
Punitor inimicorum,
Effugans eos penitus,
Sic est tutamen servorum
Sibi semper devotorum
Fovens eos divinitus
Dissipando radicitus,
Qui bellorum et strepitus
Appetunt tenere forum,
Confirmet dono spiritus,
Quorum pius est transitus
Per hanc viam mundanorum.

18. Salvum me fac, Deus, mersum
Mari mundi et submersum
Vallatumque angaria,
Naufragium plus quam ter sum
Passus quoniam adversum
Me pugnavit invidia;
Tu scis, quanta et qualia
Sustinui opprobria,
Et me ob hoc ad te versum
Sperantem, quod contraria
Tua favente gratia
Iam me reddant ad te tersum.

19. Deus, in adiutorium
Meum te monstrando pium
Festinanter iam intendas
Ab incursuque hostium
Inique persequentium
Animam meam defendas,
Tu etiam sic perpendas
Malignantes, quod descendas
Ad suum exterminium,
Nisi aliter attendas
Culpas suas corrigendas
Per te factum propitium.

20. In te, Domine, spem meam
Pono quaerens, ut habeam
Te protectorem animae,
Ut me serves, ne peream
Elongatusque redeam
Ad te vehementissime,
Ut servire castissime
Matri tuae sanctissimae
Et tibi semper valeam
Sanctosque honestissime
Tuos et devotissime
Venerari simul queam.

21. Deus, iudicium tuum
Sic tibi sit perpetuum,
Ut iustitiam temperes,
Sic cuique redde suum,
Quod reserves irriguum
Gratiae propter pauperes;
Si misericors semper es,
Et haec senserere veteres
Per probamen effectuum,
Nunc etiam te moderes
Et ad successum properes
Miserendi continuum.

22. Quam bonus et quam suavis,
Deus, es etiam pravis
Volens quandoque parcere,
Quam terribilis et gravis
Obstinatis est tua vis,
Qui se nolunt corrigere;
Ergo bonum confidere
In te est et spem ponere,
Ut testatur tuus David,
Cum recte velis regere
Et ad portum conducere,
Quos continet tua navis.

23. Ut quid, Deus, reppulisti,
Quos sanguine redemisti
Et quibus es hereditas,
Qui capita confregisti
Draconis et contrivisti
Fraudes eius dans irritas;
O infelix iniquitas
Nostra atque perversitas!
Scio, quia hoc egisti
Et, nisi eius veritas
Mansuescat et aequitas,
Me et multos perdidisti.

24. Confitebimur ideo
Supplicantes tibi Deo,
Ut a malis nos eruas,
Quia scio et video,
Quod, nisi stans tu pro reo
Reatus eius diluas,

Ex hoc in hoc perpetuas
Possidebit quasi suas
Poenas igne tartareo,
Nec iam erit, ut statuas
Misericordias tuas
Aliqualiter cum eo.

25. Notus in Iudaea, Deus,
Olim eras, sed Iudaeus
Notitiam abhorruit,
Dum fuisti Nazareus
Atque homo Galilaeus,
Et tanto scelere ruit,
Quod te tradere voluit
Morti, quam ferre debuit
Solum homicida reus,
Et tamen in te non fuit
Culpa, quod satis docuit
Proprius codex Hebraeus.

26. Voce mea te Dominum
Ob pressuram gravaminum
Invoco mente devota,
Periculis sum fluminum,
Fratrum falsorum, hominum
Pelle tectorum ignota,
Ut ergo reddere vota
Mea queam tibi nota
Ante mortalem terminum,
Tonitrui vox in rota
Dissipet cum fraude tota
Dolum suum clandestinum.

27. Attendite, pro prologo
Dicit Deus, decalogo
Aurem vestram inclinate,
Hanc legem pro paedagogo
Omni archisynagogo
Et plebi do divulgate,
Novae quoque legis datae
Et iam evangelizatae
Praecepta servari rogo,
Cunctos monens caritate
Hanc haberi honorate
Pro mandato analogo.

28. Deus, venerunt nocentes
Tyrannice persequentes
Sponsam tuam ecclesiam,
Ierusalem polluentes
Malitiis et ponentes
In pomorum custodiam,
Sanctos in contumeliam
Tradunt mortis saevitiam
In eisdem exercentes
Et per fraudis nequitiam
Extra locum vel patriam
Segregando dispergentes.

29. Qui regis Israel, vide
Et pro tanta tyrannide
Ulciscenda te excita,
Veni quoque in Iride
Et virginis sub chlamyde,
Ut nos salves, te latita,
Post exiens nos visita
Clementiaque placita
Custodi nos nec rigide
Contra nostra illicita
Exsurgas vel demerita,
Sed benigne ac placide.

30. Exsultate adiutori
Deo nostro salvatori
Et eidem iubilate,
Applicate tubam ori
Et cum sono dulciori
Laudes ei buccinate;
Mensae suae sunt paratae,
Ut animae sibi datae,
Pro quibus voluit mori,
Ex adipe sint cibatae
Frumenti et saturatae
Tamquam cibo meliori.

31. Deus stetit in medio
Suornm clauso ostio,
Tunc resurgens cum gloria
Fuit et in praesaepio
Patibulique atrio
Stans inter animalia,
Stetit quoque in Maria,
In cella unguentaria
Eius aptans se gremio,
Ut vocaret ad gaudia
Pauperem de inopia,
Reum de sterquilinio.

32. Deus, quis similis erit
Tibi, si homo, qui gerit
Tuam similitudinem,
Per peccatum sic se terit
Et sic semet ipsum ferit,
Quod iam perdit imaginem;
Deus scio me hominem
Vel potius me neminem,
Propter quod cor meum quaerit
Tuam mansuetudinem,
Ut primam pulchritudinem
Reddas animae, quae perit.

33. Quam dilecta ob iacula
Hostium tabernacula
Tua mihi fiunt vere,
Nam, nisi receptacula
Haberem vel latibula,
Satis deberem timere;
Nidos aves antra ferae,
Quibus valeant latere,
Habent et diverticula,
Quae et tu habes supplere
Pro homine, qui te mere
Quaerit flendo piacula.

34. Benedixisti, Domine,
Terram nostram in virgine
Faciens tabernaculum
Componensque cum homine
Foederis obligamine
Convenisti ad osculum;
Hac nova pace exsulum
Gaudeat omne saeculum
Versis vice et ordine,
Agantque festum sedulum,
Quibus caelum est patulum
Flexo rigoris cardine.

35. Inclina, Deus, inclitum
Caput ad me iam perditum,
Sicut olim inclinasti,
Non quod in cruce spiritum
Tradas, sed te des placitum
Ad illud, quod inchoasti;
Si de limo me formasti
Atque pie reformasti
Agens opus insolitum,
Monstra, quod non laborasti
Aut in vanum te vexasti,
Nec fuit opus irritum.

36. Fundamenta ecclesiae
In te filio Mariae
Perpetuo sunt firmata,
Forma data materiae
A fonte tuae gratiae
Dat, quod sit sanctificata;
Civitas est appellata
Descendens et derivata
A throno tuae gloriae,
Ut sponsa a te ornata
Septiformique parata
Monilium effigie.

37. Domine Deus salutis,
Potentiae et virtutis,
Ad te clamo cum fletibus,
Aestimatus sum cum brutis
Non confitensque cum mutis,
In lacum descendentibus;
Extraneus sum fratribus,
Pauper et in laboribus
A diebus iuventutis,
Sed in miserationibus
Tuis spero currentibus
Benigniterque solutis.

38. Misericordias tuas
Tibi, Deus, perpetuas
Exsultans volo cantare,
Quoniam nos, ut tribuas
Pacem, per clausas ianuas
Dignatus es visitare;
Deus, huius recordare
Atque simul memorare,
Quod, nisi des vel influas,
Tui caeli, terra, mare,
Ut valeant te laudare,
Laudes habent exiguas.

39. Domine, refugienti
Refugium tu es genti
A saeculo in saeculum,
A turbine irruenti
Et facie flantis venti
Eis es et latibulum;

Vae ergo super populum
Reorum a te exsulum,
Qui ad hoc non sunt intenti,
Qui versum habent oculum
Ad aliud umbraculum
Vanitatibus detenti.

40. Qui habitant in patria
Tua, Deus, et gloria,
Cunei sunt angelorum,
In quorum est custodia
Tua duce et praevia
Totus grex catholicorum;
Tecum etiam sanctorum
Per gratiam assumptorum
Sunt innumerabilia
Agmina, qui gaudiorum
Incessanter tenent chorum
Cantantes cum melodia.

41. Bonum est, confitearis,
Quicumque perigrinaris,
Deo nostro altissime,
Quod sciens, cui famularis,
Ad laudandum movearis
Totis viribus animae;
Vir insipiens minime
Cognoscet hoc, cum maxime
Tu sis solus expers paris,
Neque sciet quis optime,
Qualiter tu iustissime
Collaudari debearis.

42. Dominus regnans decorem
Indutus est et honorem,
Praecinctus fortitudine,
Sedem tenens celsiorem
Et honorabiliorem
Paratus est pro homine,
Ut absorptum voragine
Mundi maris et flumine
Sursum trahat per amorem
Et in beatitudine
Dierum longitudine
Huic det locum tutiorem.

43. Deus ultionum fuit
Olim Deus, cum latuit,
Antequam homo fieret;
Tunc formidare debuit
Peccator, cum non habuit,
Qui eidem succurreret,
Sed, si modo consideret,
Quid fecit Deus nuper et
Quomodo carnem induit,
Ut ultionem tolleret,
Iam non habet, quo desperet
Peccator, qui convaluit.

44. Venite et exsultemus
Domino et iubilemus
Mentali devotione,
Faciem praeoccupemus
Eius et anticipemus
In pura confessione,
Pro nostra redemptione
Atque reparatione
Eum quoque adoremus,
Pro data occasione
Ex praevaricatione
Nihilo minus ploremus.

45. Cantate novum canticum
Domino et magnificum,
Terreni habitatores,
Opus eius mirificum,
Nec ulli sunt artificum
Similes operatores;
Ligna silvae, campi flores
Adferte ei honores,
Ecce, venit post medicum
Secludere extra fores
Paradisi peccatores
Per iudicium publicum.

46. Dominus regnans imperat
Et iam veniens properat
Ad extremum iudicium,
Quae expectans latuerat,
Iustitia accelerat
Cum eo ad praetorium;
Fuge cultor sculptilium
Quaerens tibi refugium,
Ne tunc iudex te conterat,
Gaude quoque tu nimium,
Qui iustus es, nam praemium
Grande tibi exaggerat.

47. Cantate Deo iterum
Et canticorum veterum
Festa vana postponite,
Renovatori foederum,
Descendenti in uterum,
Canticum novum psallite;
Notum omnibus facite,
Ovis per fraudem perditae
Recordatus est ulcerum,
Hanc nolens factam irrite,
Cum a mundi sit capite
Finis suorum operum.

48. Dominus regnat imperans
Super Cherubim, moderans
Caelum, terram et omnia,
Directiones praeparans
Iustitiamque temperans
Et diligens indicia;
Hunc adorent caelestia
In terraque moventia
Atque domus exasperans,
Contemnens infernalia
Et quaeque fecit alia,
Cum cuncta sit considerans.

49. Iubilate Deo rursum
Levantes animum sursum
Omni exsultatione,
Ipse vobis vitae cursum
Dedit ad seque recursum,
Orta tribulatione
Facta supplicatione
Vestra vel oratione
Vobis venit in occursum,
Ut acta confessione
Cum sancta devotione
Malignum tollat incursum.

50. Misericordiam tuam
Quaero, Deus, irriguam
Stans in via maculata,
Sciens, quod, si me statuam
Coram te et non arguam
Culpam meam et peccata,
Raro erit mihi data
Misericordia grata,
Sed sum certus, quod corruam,
Nisi via festinata
Per te mihi sit monstrata,
Per quam digne culpas luam.

Tertia Quadragena.

1. Domine, me exaudias
Et ad clamantem venias,
Quando te invocavero,
Tempus est, ut pius fias
Tollens meas miserias,
Quas fatigatus tolero;
De caelo tuo supero
Condolens mihi misero,
Tempus est, ut aspicias
Et ab hoste pestifero,
Praepostero et aspero
Me benignus eripias.

2. Benedic, anima mea,
Deo, qui carnis trabea
Pro te voluit velari,
Qui te granum a palea
Separando ad horrea
Caeli volens te portari,
Permisit se triturari
Graviter et flagellari
Pro te crucis in area,
Discens sic propitiari
Tibi tamquam singulari,
Quamquam esses sibi rea.

3. Benedic iterum ei,
Cum sit locus tuae spei
A facie formidinis,
Tuae locus requiei,
Tui dies iubilaei
Amictum habens luminis;
Hic est panis dulcedinis
Vere firmans cor hominis,
Per quem salvi fiunt rei,
Tuae miserere finis
Et dos beatitudinis,
Si pulchrae sis faciei.

4. Confitemini Domino
Omni die et crastino
Sine fine in saeculum,
Non honore clandestino
Solummodo, ut buccino,
Sed per honorem patulum;

Hic olim auxit populum
In deserto dans pabulum
Mirabilius pristino
Et ei in funiculum
Donavit terram exsulum
Tenendam sine termino.

5. Confitemini iterum,
Nunc, semper et in posterum,
Domino cunctipotenti
Pensantes tempus alterum
Prodigiorum veterum
Fuisse veteri genti;
Tunc non erat, qui petenti
Panem daret indigenti,
Ut nunc ad mundi vesperum,
Quo datur forma recenti
Animae esurienti
Opus maximum operum.

6. Confitemini tertio,
Redempti magno pretio
Sanguinis agni effusi,
Nulla sit mundi regio
Nulla vel congregatio
Aut per se quiquam diffusi,
Qui per concilium Chusi,
Si sensibus sunt obtusi,
Non cantent cum praeconio,
Nobis, qui fuimus trusi
In inferno et inclusi,
Dominus est redemptio.

7. Paratum cor meum esse,
Deus meus, est necesse
Ut digne psallere queam,
Sed quoniam sunt ingressae
Iniquitates in messe
Concutientes spem meam,
Ideo in Idumaeam,
Terram sanguine rubeam,
Quam peperit virga Iesse,
Extendo me, ne peream
Et ut gratiam habeam,
Quam pro me quaero penes se.

8. Deus, laudem tibi soli
Cantant non homines soli
Sed et omnis creatura,
Incessanter cantant poli
Deo patri atque proli,
Flaminique sit laus pura;
Laudes sunt propria iura,
Quae exigis a factura
Remota specie doli,
Quemquam, moves pia cura,
Si negligis te cultura,
Laudes negligere noli.

9. Dixit Dominus genitor
Genito: tu es conditor
Orbis mecum et spiritus,
Tu iam eius ut meditor
Perditi mundi institor,
Et praecedet, paraclitus,
Qui erit tibi digitus,
Ut virtute sit praeditus
Uterus, tui portitor,
Et ut clausus introitus
Fiat semper et exitus,
Tecum assit ut ianitor.

10. Confitebor, si valeam,
Tibi, Deus, cum debeam
Toto corde et anima,
Nam si recte te timeam,
Te dedisti escam meam
Te ipso facto victima;
O anima pauperrima,
Vilis et abiectissima,
Demerita, quod lugeam,
Iam gaude de tam opima
Esca pretiosissima,
Quae te vult facere deam.

11. Beatus vir, qui timidus
Te amando et pavidus
Observat tua mandata,
Oriris ei lucidus
In tenebris et fulgidus
Nocte peccati fugata;
Memoria eius grata
Cuique est perpetuata,
Qui ex bonis est placidus,
Licet de gratia data
Proximis et divulgata
Fremat dentibus invidus.

12. Laudate pueritia,
Senectute et media
Aetate omnes Dominum,
Pauperem de inopia
Suscitans et miseria
Sterilitatem virginum
Propter salutem hominum
Adprobat per clandestinum
Commercium in Maria,
Cui per posse trans terminum
Servans honorem pristinum
Matrem facit de filia.

13. In exitu de tartaro
Et de populo barbaro
Post redemptum Israelem,
Ecce, ego me praeparo,
Nisi impediat caro,
Ut gratiam hanc revelem;
Me monstrando Azaelem
Dignum duxi, ut anhelem,
Ne dicatur, litus aro,
Nam, si minus haec protelem
Vel regratiando zelem,
Commendandus ero raro.

14. Dilexi, quoniam cito
Mihi venit neophyto
Gratia me exaudiens,
Quoniam mihi perdito
Morti diraeque tradito
Occurrit et praeveniens;
O Christe, lucis oriens,
Fac, quod vivens et moriens
Tibi, de quo non haesito,
Placeam semper serviens
Tibi atque oboediens
Immunis ab illicito.

15. Credidi, quod sum locutus,
Et quibus sum satis tutus,
Explicito et cum glosa
Sanctus doctores secutus
Scriptis suisque adiutus,
Quorum mors est pretiosa,
Et, licet non speciosa
Sit laus ex vita lutosa,
Malo mugire ut brutus
Quam tacere fructuosa
Fidei et luminosa
Factus totaliter mutus.

16. Laudate, omnes populi,
Regem totius saeculi
Sine fine iubilantes,
Non sint magni vel parvuli,
Non senes vel iuvenculi
A laude eius cessantes,
Sint omnes perseverantes
In laudibus et cantantes,
Quoniam eius oculi
Respiciunt in laudantes
Et sunt eos praeservantes
In transitu periculi.

17. Confitemini et date
Deo laudes et cantate,
Quoniam est summe bonus,
In eo omnes sperate,
Nam surrexit insperate
Speranti tamquam patronus,
Animarum est colonus
Earum supportans onus,
Ne corruant indilate,
Nam ut sanctus sonat tonus
Vallatus est suus thronus
Multimoda pietate.

18. Beati immaculati,
Qui vadunt discalceati
Terrenorum affectibus,
Qui te sequi sunt parati
Per viam tui mandati
Et in praeceptis omnibus,
Sed, qui iniquitatibus
Et mundi vanitatibus
Lubrice sunt profundati,
Iustificationibus
Resistentes et legibus,
Raro dicuntur beati.

19. Ad Dominum, cum tribulor
Aut tremore coagulor,
Clamorem meum facio,
Nunc scis, Deus, quod stimulor
Lingua nequam et iaculor
Ictu desolatorio,

Quod hi me habent odio,
Quos plus fovi in gremio,
Et zelo tui aemulor,
Quare nisi te nescio
Adire pro subsidio,
Cui licet reus famulor.

20. Levavi mentis oculum
Ad te, ut propugnaculum
Contra hostes advenias,
Ut te dans in obstaculum
Et propellens periculum
Non dormites nec dormias;
Nam, nisi me custodias
Et de te mihi facias
Refugii latibulum,
Inveniam malas vias
Sustinendo miserias
Ex nunc usque in saeculum.

21. Laetatus sum, dum ibimus
Domum tuam, si quaerimus
Pacem, quam nobis dedisti,
Si vindictam differimus
Et hanc tibi transmittimus
Faciendam, ut iussisti;
Pacem semper voluisti
Et pro nobis hanc quaesisti,
Ut in latere legimus,
Quod scrutari permisisti
Perforatione tristi,
Ne unquam discordes simus.

22. Ad te oculos levavi,
Deus meus, cui peccavi
Et, qui in caelis habitas,
Sursum cernensque pensavi,
Quod, quia in te speravi,
Nec est mea iniquitas
Maior quam tua bonitas
Vel gratiae immensitas,
Ad quam semper anhelavi,
Memor erit severitas
Tua et rigorositas
Mihi, prout iudicavi.

23. Nisi quia propitium
Te scivi, Deus, et pium
Testantibus vulneribus,
Non ausus sum refugium
Vendicare te proprium
Peccatis renitentibus,
Sed qui mederis omnibus
Portis cordis patentibus,
De laqueo venantium
Eruens me et gentibus
Eris insidiantibus,
Promptus in adiutorium.

24. Qui confidunt cum timore
In te, Deus, et amore
Sicut montes sunt firmati,
Tu eis es lux aurorae
Circumcingens hos splendore,
Ne fiant obtenebrati,
Non permittis, quod virgati
Faventes iniquitati
Fiant eis in errore,
Sed quod per te sint salvati
Et in pace situati
Fugato persecutore.

25. In convertendo captivum
Ad te Deum, fontem vivum,
Cura tibi est maxime;
Tu donas ei motivum
Salutis regulativum
Monens eum saepissime,
Nam auster tuus animae
Adest perflans, ut lacrimae
Per oculos ducant rivum,
In quo diligentissime
Laventur sordes intimae
Paenitentis est laxivum.

26. Nisi Dominus fuerit
Mecum et me adiuverit,
Labor meus est in vanum,
Nec est, qui quidquam fecerit
Sine eo vel egerit,
Qui extrahat inde granum;
Deus meus, pone manum
Super reum nunquam sanum,
Qui te medicantem quaerit,
Nec dedigneris profanum
Indignumque publicanum,
Qui coram te culpam querit.

27. Beati omnes timentes
Te et tibi servientes,
Hora cenae et prandii
Qui te ipsum sunt sumentes,
In mensa tua edentes,
Propriae sponsae filii;
Ipsa est cena gaudii,
Qua excluduntur impii
Vestem mundam non habentes,
Admittunturque alii
A paenitentiarii
Sede mundi venientes.

28. Saepe expugnatus fui
Iuvenis et, cum senui,
Ab hostibus, qui fuerunt,
Sed te duce praevalui
Et sic, quod, quando potui,
Contra me non potuerunt;
Supra me fabricaverunt
Sibi ipsisque fecerunt
Poenas ignis perpetui,
Quia, dum Sion oderunt,
Te ipsum provocaverunt,
Ut fias damnator sui.

29. De profundis ad te clamo
Persequentis captus hamo
Et non valens evadere,
Me extrahens de thalamo
Alligavit suo chamo,
Quem non valeo rumpere;
Ad me ergo respicere
Digneris et descendere
De arduo crucis ramo
Vel tecum fac ascendere,
Ut condolens fel bibere
Tecum possim cum calamo.

30. Domine, non est elatum
Cor meum vel exaltatum,
Dixit David et non ego,
Nam raro humiliatum
Est meum et inclinatum
Ut in libro meo lego;
Si hanc veritatem tego
Vel, quod absit, eam nego,
Tibi non erit celatum,
Plus valet humili „dego“
Quam superbienti „rego“
Vel „teneo principatum“.

31. Memento, Deus, secundi
David, qui primi fecundi
Nitor medullam sugere,
Non quod mysteria fundi
Profundissima profundi
Tota possim extrahere;
Mihi debet sufficere,
Si valeam colligere
Floresquosdam,quisuntmundi,
Residuumque linquere
Illis, qui alta sapere
Possunt et qui sunt facundi.

32. Ecce, quam bonum fratribus
Atque cunctis hominibus,
Ut in unum sint concordes,
Nam tui sunt in talibus,
Deus meus, concordibus
Oculi misericordes,
Sed, nisi tu ipse cor des
Discordantesque concordes
Mitigatis rancoribus,
Semper remanebunt sordes
Inter superbos vecordes
Odiis immortalibus.

33. Ecce, nunc benedicimus
Deo nostro, quem colimus
Gratias semper agentes,
Manus nostras extollimus
In eum, per quem vivimus
Sine eo morientes.
Non sint corda, non sint mentes,
Non sint vires adiacentes,
Non anima vel animus,
Qui non tibi servientes
Fiant et oboedientes,
Ut faciendum legimus.

34. Laudate nomen Domini,
Omnes servi et domini,
Quia sanctum et suave,
Venite, congregamini
Et suae sanctitudini
Devote dicamus Ave,

Hic lancea facta clave
Apertum cordis conclave
Offert exsuli homini
Eum eximendo a vae
Per tormentum suum grave
Seque datum discrimini.

35. Confitemini deorum
Domino et dominorum,
Qui fecit mirabilia,
Qui motum fecit caelorum,
Planetarum et astrorum
Distinctione varia,
Hic habens in memoria
Corda, quae sunt humilia,
Hereditas est eorum,
Omni carni cibaria
Praestans in mensa propria
Cibus factus viatorum.

36. Super flumina sedere
Babylonis et lugere
Recordando praeterita
Debeo et iam silere
Debent [et] organa vere,
Cum tempora sint perdita,
Quibus debui merita
Omni cura sollicita
Augmentare et augere,
Sed, ecce, exinanita
Sunt omnia et irrita,
Nihil feci, restat flere.

37. Confitebor in conspectu
Angelorum pro defectu,
Quem iam emendare volo,
Si quid feci in despectu
Ut contumax vel neglectu,
Plus continuare nolo,
Sed, si agam haec in dolo
Pro victu corporis solo
Aut temporali profectu,
Extra fingens, quod te colo,
Scio, quod tu stans in polo
Vides hoc in intellectu.

38. Domine, probans novisti
Et noscens intellexisti
Meas cogitationes,
Vias meas praevidisti
Et super me posuisti
Tuas miserationes,
Sed non agenti, quod mones,
Nec audienti sermones,
Quos fieri voluisti,
Scio, quod vitae praedones
Interitusque praecones
Ut nuntios praemisisti.

39. Eripe me, [o] Domine,
A pestilenti turbine
Iniqua machinantium,
Ab infideli homine,
Anhelanti conamine
Ad opus proditorium;
Nunquam mecum sit labium
Nequam murmuratorium
Sub quocunque velamine,
Nec habeam in socium
Linguosum detractorium,
Carentem moderamine

40. Domine, clamare satis
Ad ostium pietatis
Possum, sed non exaudies
Nisi precibus aptatis
Ut incensum et paratis,
Per quas ad me tu venies;
Sed cum incensi species
Sit spes mea, tu audies
Me sperantem in te gratis
Et saltem usque septies
Ad gratiam recipies
Spe recepta pro rogatis.

41. Voce mea et spiritu
Lacrimoso cum gemitu
Te, Deum meum, postulo,
Adesto pie mihi tu
Introitu et exitu
Per viam, in qua ambulo,
Posito offendiculo
Mihi et retiaculo,
Non in clamoso sonitu
Traditus sum periculo,
Nisi gratiae baiculo
Respicias intuitu.

42. Domine, orationem
Atque obsecrationem
Meam percipe auribus
Videns persecutionem
Atque tribulationem,
Quam patior ab hostibus,
In miserationibus
Tuis misericordibus
Habeo devotionem,
Ut malis irruentibus
Per te fugatis omnibus
Des mihi salvationem.

43. Benedictus, qui proelium
Meum agis et brachium
Contra hostes meos tendis,
Qui eos ad fumigium
Tangis et ad incendium,
Dum obstinatos perpendis,
Propitiusque descendis
Et benigne te ostendis
Cunctis esse refugium,
Qui pro culpis corrigendis
Et in aliis agendis
Te quaerunt in auxilium.

44. Exaltabo te laudibus
Tam diebus quam noctibus
Glorificans nomen tuum
Totis animae viribus,
Potentiis, conatibus
Semper et in perpetuum,
Cum causa sis effectuum,
Eos ornans per mutuum
Variatis decoribus,
Nunquam per discontinuum
Te debent radicem suum
Laudis dare neglectibus.

45. Lauda ergo pauperrima
Dominum mea anima
Nunc et, quamdiu fuero,
Quidquid es, a causa prima
Nobilitate maxima
Te eductam considero;
Ergo mihi vae misero,
Si me geris et te gero
Ad inferni novissima,
Nec agis laudes supero,
Qui te portans in humero
Pro te factus est victima.

46. Laudate Deum, quoniam
Ad eius facta gloriam
Iucunda est laudatio,
Hic sanans mentem sauciam
Dispersis reddit patriam,
In quibus est contritio;
Eius est numeratio
Stellarum et vocatio
Per totam peripheriam,
Motuum ordinatio,
Effectuum cognitio,
Qui parat terrae pluviam.

47. Lauda, Ierusalem, talem
Artificem supernalem,
Qui confortat seras tuas,
Lauda, Sion, aeternalem
Dominum et immortalem
Et ad laudandum exuas
Sordes omnes et diluas
Tuncque devote induas
Te monstrando talem, qualem
Oportet ad assiduas
Laudes atque perpetuas
Virum esse spiritalem.

48. Laudate Dominum caeli
In erectione veli
Vitae mundi signifera,
Laudate eum, angeli,
Virtutes et archangeli
Et cuncta eius opera,
Serviant ei sidera,
Caelum, mundus et cetera,
Et committat Raphaeli
Ut sanet mentis vulnera
Sic, ut captantes supera
Commendentur Michaeli.

49. Cantate Deo canticum
Omni laude magnificum
In sanctorum ecclesia,
Det Israel hymnificum
Iubilum et prosodicum
Concrepantem melodia;

Exsultet Sion filia
In choro cum symphonia
Tenens organum musicum,
Psalmum dicat cum gloria
Buccinans in laetitia
Et exiens in publicum.

50. Laudate in virtutibus
Sanctis vocatis omnibus
Deum, nostrum creatorem,
Nablis benesonantibus
Et instrumentis dulcibus
Laudemus et redemptorem,
Laudemus et protectorem
Nostrum et gubernatorem
Cunctis votis et vocibus,
Adorantes salvatorem,
Qui ad locum tutiorem
Nos perducat cum laudibus.

Cantica.

Isaiae.

1. Confitebor tibi, quia
Salus mundi et venia
De fonte tuo hauritur,
Quia et abundantia
Gratiarum et copia
Semper in te reperitur;
Ad quamcunque partem itur,
Tui nullus locus scitur
Carens misericordia,
Intus, extra invenitur,
Sub et supra stabilitur
Dulcedo et clementia.

Ezechiae.

2. Ego dixi: gemitibus
Iam debeo et fletibus
Tempus meum expendere,
Nam vivitur in talibus
Plus quam in vanitatibus,
Quibus scit mors se tegere;
Iam in meo sum vespere,
Quo oportet succidere
Vitam ruptis ordinibus,
Nam, cum debui texere
Opus bonumque facere,
Vagus fui in omnibus.

Annae matris Samuelis.

3. Exsultavit facta vilis
Anima mea sterilis
Ex toto se neglegere,
Prius fuit volatilis,
Alta petens et agilis
Et suspensa in aere;
Nunc posita in pulvere,
Luto faecis et cinere,
Pauper et miserabilis,
Caput nequit erigere
Aut seipsam excutere
Iumentis facta similis.

Filiorum Israel.

4. Cantemus ambo ligati
Uni sanctae trinitati,
Corpus meum et spiritus,
Ab Aegypto liberati
Et ab hoste exemptati
Sumus per eum penitus;
Sed, si non mutetur ritus
Dominii et servitus
Perversus lege peccati
Et, quod volens vel invitus,
Qui praefuit, sit subditus,
Retro sumus religati.

Habacuc.

5. Domine, audivi legis
Tuae mandata, qua regis
Hoc saeculum, et timui,
Eam semper mihi legis
Manifeste et detegis,
Ne tradam hanc neglectui;
Deus meus, si potui
Hanc servare nec volui
Parvipendens iussa regis,
Extenso parce arcui,
Sagittanti et ictui,
Ne me laedant, ovem gregis.

Moysi.

6. Audite, caeli, quae dico,
Praedicetur omni vico
Dei magnificentia.
Sit laus eius in publico,
Tam in terrae umbilico
Quam in circumferentia;
Viae eius iudicia
Aequa lance librantia
Sine quocunque obliquo,
Sed gens sine prudentia
Et non habens consilia
Hoc neglegit ab antiquo.

Augustini et Ambrosii.

7. Te Deum patrem laudamus
Confitentesque clamamus:
Tibi sit laus et gloria,
Te filium invocamus
Spiritum et imploramus,
Assis nobis cum gratia,
Te unum in essentia,
Unum et in potentia
Devote magnificamus,
Terrena et caelestia
Regentem sapientia
Humiles et adoramus.

Trium puerorum.

8. Benedicite omnia
Opera laudabilia
Deo nostro et laudate,
Angeli et caelestia,
Aeria, terrestria,
Ferae et aves pennatae,
Sol et luna, res creatae
Quaeque, omnes disparatae,
Per innumerabilia
Nomina intitulatae,
Ipsum superexaltate,
Ipsi honor et gloria.

Zachariae.

9. Benedictus sit omnium
Rex, redemptor fidelium,
Nos gubernans per gratiam,
Qui salutis mysterium
Disponens necessarium
Mediare per Mariam
Ad parandam suam viam
Praemisit plus quam Eliam
Iohannem, suum nuntium,
Et ad dandam scientiam
Peccati remissoriam
Dedit in testimonium.

Mariae Virginis.

10. Magnificat, fert maxima
Magnarum, mea anima
Dominum, meum filium,
Quia fui humillima,
Ex hoc iam beatissima
Ero in ore omnium;
Magna fecit, cum gremium
Meum per clausum ostium
Intrans usque ad intima
Praeelegit in solium,
Ut eum redderem pium
Agnum pro mundi victima.

Simeonis.

11. Nunc dimittis Simeonem
Per interpretationem
In pace, cui tu dignaris
Dare benedictionem
Atque consolationem
Tui facti salutaris;
Ergo nunc miserearis
Nobis atque largiaris
Lucis revelationem
Ac nos tuos tuearis
Per gratiae singularis
Benignam largitionem.

Athanasii.

12. Quicunque vult, ut congruit,
Salvus esse, se statuit,
Ut credat, quod praecipitur,
Deum timet et metuit
Atque facere renuit
Illud, per quod offenditur;
Trinus et unus dicitur
Idem ipse et creditur,
Sic semper erit et fuit,
Quod per alpha et o scitur,
Ut in pagina scribitur,
Si unquam reus valuit.

Letania.

1. Kyrie, eleison, Christe,
Et iam ostende nobis te,
Ne tardaveris amplius,
Post psalmos tui psalmistae
David atque citharistae
Esto nobis propitius
Nobiscum agens mitius,
Quod non homo adhuc prius,
Nobis omnibus assiste
Et, si tibi humilius
Supplicamus, nos citius
Exaudias tollens triste.

2. Pater, nobis miserere,
Fili Dei, et medere
Et conforta nos, spiritus;
Tres personae estis vere,
Coaequales sine fere,
Unus Deus absconditus,
Simplex et incompositus,
Per quem mundus et conditus,
Et moventur caeli spherae,
Sine quo idem penitus
Cito rueret funditus
Non se valens sustinere.

3. Sancta Maria, proxima
Et immediatissima
Aeterni regis solio,
Sola excellentissima
In caelis et dignissima
Corona et imperio,
Esto nobis tuitio,
Praesidium, protectio
Contra mundi nequissima
Et nos commenda filio
Utendo privilegio
Matris, ut vult lex optima.

4. Sancte Michael, inclite
Paradisi praeposite,
Cum sancto salutifero
Cum medicoque comite
Atque custodibus vitae,
Qui statis coram supero,
Ab exsule lutifero
Et a suo pestifero
Conventu nos eripite
Interventuque propero
In hoc mundo mortifero
Nobis omnes succurrite.

5. Sancte Iohannes, gratia
Baptista Christi praevia,
Et prophetarum contio,
Qui salutis praeconia
Nobis per figuralia
Dedistis ab initio,
Cum adiuncto consortio
Patriarcharum hoc pio
Affectu et mente pia
Precamur, ut subsidio
Vestro ac patrocinio
Gaudeamus hac patria.

6. Sancte Petre, expers doli
Et claviger alti poli
Ingressum dans agonistis,
Discipuli caelicoli
Et vos omnes apostoli
Cum sanctis evangelistis,
Ut credimus, quod fuistis
Iuristae Dei in istis
Terrenis subiecti soli,
Sic pro nobis, ut scivistis,
Quod expedit, et vidistis,
Orate nunc benevoli.

7. Sancte Stephane, primatum
Martyrii rubricatum
Tenens effuso sanguine,
Te et omnem laureatum
Martyrum chorum sacratum
Excitamus precamine,
Ut in mundi certamine,
Ubi exempto nemine
Quisque sentit se vexatum,
Nobis deleto crimine
Faciatis iuvamine
Deum favere pacatum.

8. Sancte Martine nobilis
Et consors venerabilis
Pontificum et doctorum
Cohors inexpugnabilis,
Vincens ét non vincibilis
Beatorum confessorum,

Interventu meritorum
Regem orate caelorum,
Ut, qui nobis terribilis
Fit ob noxam peccatorum,
Dando veniam eorum
Fiat propitiabilis.

9. Sancta Magdali Maria,
Quam vera paenitentia
Consecravit altissimo,
Katharina, Agnes pia
Et virginum militia
Pollens decore maximo,
Toto corde et animo
Devoto et humillimo
Rogamus vos, ut noxia
Tollentes clementissimo
Domino et piissimo
Commendetis clementia.

10. Omnes sancti, qui caelorum
Tenetis fulgidum chorum
Cum beatis virginibus,
Qui per canticum sonorum
Tripudiumque decorum
Repletis caelum laudibus,
Vestris orationibus
Et intercessionibus
Indigentes vestrum forum
Adimus, ut respectibus
Ad nos conversis mitibus
Donetis finem laborum.

11. Propitius qui fuisti,
Dum in cruce perpendisti,
Iam parce nobis, Domine,
Si sanguinem effundisti
Et hominem eruisti
De inferni voragine,
Pro ullo nostro crimine
Deleto paenitudine
Corde amaro et tristi
Iam debes nos iuvamine
Privare vel tutamine,
Quos tam care redemisti.

12. Peccatores te rogamus,
Audi nos, te obsecramus,
Donans pacem tuam cunctis,
Ecclesiam, pro qua stamus
Et per quam nos gubernamus
Observantiis iniunctis,
Rege potentia nunc tis
Fidelibusque defunctis,
Pro quibus te invocamus,
Da requiem cum compunctis
Et cum gratia inunctis,
Quod et pro nobis optamus

13. Fili Dei, exaudi nos
Et perduc nos peregrinos
Ad patriam, quam tendimus;
Agnus Dei, custodi nos,
Tam advenas quam vicinos,
Nullum a te secludimus,
Ad te parvus et minimus,
Magnus, maior et maximus
Inter saeculi scabinos
Properamus et currimus,
Ut tu, [o] benignissimus,
Recipias sic festinos.

14. Pater noster, propitium
Te imploramus et pium
Dicentes: Ave Maria,
Quae tuum portans filium
Causas agit humilium
Supplex in tua curia.
Tibi natoque gloria
Spiritusque memoria
Sit in corde fidelium,
Detur nobis et venia
Per Mariam et gratia
Et salutis auxilium.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — I. 3, 12 Et sint. — 15, 5 egeas. — 18, 4 Quam. — 18, 8 Quam. — 30, 10 sic. — 30, 11 Adversa. — 39, 11 Extracto.

II. 5, 10 patres. — 17, 2 Pugnitor; lies pagnator? — 26, 1 ad te Dominum. — 29, 3 Ulciscendi. — 30, 11 saturitate. — 32, 1 Deus, qui.

X. Soliloquium sive Psalterium BMV.

Prologus.

1. Quoniam, virgo Maria,
Semper laudanda crederis,
Quoniam tu parens pia
Misereris mox miseris,

2. Eris semper oris mei
Laus unica, laude digna,
Et tu, mater Iesu Dei,
Laudem istam sume, signa.

3. Signa eam signaculo
Tuae benedictionis,
Omni te laudet saeculo,
Laus fiat devotionis.

4. Devotionis huic laudi
Assistens sit Iesus gratus,
Omni queat hosti claudi
Angelis sanctis servatus.

5. Servatus servus existat,
Qui, Maria, te cogitat,
Fortiter carni resistat,
Quisquis laudem hanc recitat.

6. Recitat sancta scriptura,
Plena tuis iam laudibus,
Quod es orans, oratura
Pie pro peccatoribus.

7. Peccatoribus respectis
A te Deus fit placatus,
Laudibus mundi despectis
Te laudans vere beatus.

8. Beatus ergo etiam
Sitii sic optans per te,
Te per tuam licentiam
Laudabo clam et aperte:

9. Aperte mirabilia
Tua narrans his letatus
Clamque laudis eloquia,
Quorum lector sit beatus.

I.

1. Beatus vir, qui discedit
A feminae malae via,
Beatior cum accedit
Ad te, beata Maria.

2. Maria, virgo virginum,
A caelesti missa rege,
Felix conventus hominum,
Qui in tua student lege.

3. Lege quidem salutari,
Lege Iesu, lege legum,
Hos facies meditari,
Virgo, mater regis regum.

4. Regum rex, cuius filius
Est hominum per te pius,
Beatus homo sobrius
In lege studens illius.

5. Illius tu voluntatem
Figas in hac sancta lege,
Qui tuam virginitatem
Colit in filio rege.

6. Rege tibi commendatum,
Sancta rectrix animarum,
Me reddens lignum plantatum
Secus decursus aquarum.

7. Aquarumque viventium
Dans poculum salutare
Arentem uti cremium
Me digneris adaquare.

II.

8. Quare fremuerunt gentes
Et Iesum non invenerunt?
Nisi quia neglegentes
Ad Mariam non venerunt.

9. Venerunt ad te, Maria,
Populi, qui peccaverunt,
Et ante te prece pia
Cum laudibus astiterunt.

10. Astiterunt reges terrae
Et principes convenerunt
Magnaliaque conferre
De te, Maria, coeperunt.

11. Coeperunt fructificare
Perfusi tua gratia,
Maria, lux lucens clare,
Quam semper decet gloria.

12. Gloria tibi, Maria,
Per quam in Cana nuptiae
Vinum factum manu dia
Ceperunt aquam hydriae.

13. Hydriae tua fluenta
Funde, plena dulcedine,
Familiae, quae intenta
Laudi tantae sit dominae.

III.

14. Domine, quid multiplicas
Nostras tribulationes?
Redde mentes pacificas
Per matris orationes.

15. Orationes praesenta,
Tu dominans dominabus,
Quae tergant inquinamenta
Fidelium animabus.

16. Animabus enim malis
Esse salus non poterit,
Nisi quas spes specialis,
Maria virgo, iuverit.

17. Erit autem nobis salus,
Si te, virgo, simus fulti,
Qua decidit hostis malus,
Qua iustificantur multi.

18. Multi quoque pigritantes
Abiecta somnolentia
Pervigiles per te stantes
Iesum colunt cum gloria.

19. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut viam noscant iustorum.

IV.

20. Cum invocarem deprecans
Te, reorum advocata,
Exaudisti me resecans
Mea nimia peccata.

21. Peccata multa gessimus
Parvuli, plura adulti,
Quae tibi, parens, pandimus,
Qua salvantur recti multi.

22. Multi dicunt: quis ostendet
Nobis bona remedia?
Si te quaerent, haec praetendet
Eis tua clementia.

23. Clementia magna plena
Atque superna gratia,
Pulchra nimis et aemoena,
Redolens supra lilia.

24. Lilia nulla taliter
Fraglant nec nardus nec herba,
Sicut Mariae iugiter
Vitae gesta, laudis verba.

V.

25. Verba mea percipiant
Aures tuae pietatis,
Unde mihi subveniant
Manus sanctae trinitatis.

27. Domina nostra, dux vitae
Et iustitiae semita,
Vitae meae non munitae
Insidias praecipita.

26. Trinitatis dominicae
Hospita, digna femina,
Dominum Iesum unice
Portasti, potens domina.

28. Praecipitaque reatus
In profundum lacrimarum,
Maria, fundens precatus
Ad salutem animarum.

29. Animarum Iesu salus,
Genitus ex hac virgine,
Des, ut fleam mala malus
Prece praecelsae dominae.

VI.

30. Domine, ne in furore
Tuo me tandem arguas,
A Mariae matris ore
Sumas preces continuas.

32. Eia, nunc miserere
Mei tu, mitis Maria,
Aegrotantique medere
Et impium pie pia.

31. Continuas preces funde
Pro errantibus in via
Et aquas vallis profundae
Nimias, mater, eia.

33. Pia potestate vigens,
Bella premens hostilia,
Age, ne me vir adfligens
A Iesu fuget gloria.

34. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut viam noscant iustorum.

VII.

35. Domine, Deus salvator,
Liberator oppressorum,
Per matrem salver peccator,
Quae nescivit viri thorum.

36. Thorum enim in peccatis
Scivi mundum amplexando,
Sed me levans sana gratis
Consensum nequam necando.

37. Nequando animam meam
Rapiat leo rugiens,
O Maria, serves eam,
Virgo, pressis subveniens.

38. Subveniens et subvertens
Facta daemoni foedera
Theophilumque convertens,
Iuvare nos accelera.

39. Accelera, spes pauperum,
Exsurgere cum gloria,
Per quam meorum scelerum
Consumatur nequitia.

40. Nequitia remittitur
Contemplantis tuum vultum,
Venerari te igitur
Iustum est semper et multum.

41. Multum et iam auxilium
Da, sublatrix Dei irae,
Quo valeam iudicium
Iesu iustum praeterire.

42. Praeterire supplicia
Nequit plenus peccamine,
Nisi misericordia
Mariae, magnae dominae.

VIII.

43. Domine, nobis dominans,
Das nomen admirabile
Matris tuae, exterminans
Daemonium horribile.

44. Horribile fert peccatum
Daemon et flagella dira,
Sed clausit ei meatum
Memoria tui mira.

45. Mira magnificentia
Nominis tui, Maria,
Elevata in patria
Nobis virtus sit in via.

46. In via quidem hominum
Daemon diu non moratur,
Qua Maria, lex virginum,
Nomen tuum ruminatur.

47. A turbis ergo discedens
In laudibus exercebor
Et nomini tuo sedens
Ac procidens confitebor.

IX.

48. Confitebor tibi corde
Nominis mirabilia,
Alma mater sine sorde,
Sine carnis spurcitia.

49. Spurcitia non iugiter
Servum inquinat Domini,
Qui se semper sinceriter
Commendat tuo nomini.

50. Nomini hinc altissimo
Laete psallam, altissima,
Magno depromens animo,
Ut hoc signetur anima.

51. Anima illa beata,
Cuius animus pudicus,
Nomine tuo signata
Aufert, quod fert inimicus.

52. Inimicus a facie
Nominis tui pereat,
Maria, et rex gloriae
Per hoc ad me iam redeat.

53. Redeat ad Deum suum
In Satanae morans via,
Maria, per nomen tuum
Rursum fulgens fide pia.

54. Pia cuius memoria
In cor meum sic figatur,
Sicque promant hoc labia,
Quod anima protegatur.

55. Protegatur plebs etiam
Per hoc nomen, quod rumino,
Pro quo do laudis hostiam
Tibi, mater, in Domino.

X.

56. In Domino sperem Christo,
Filio tuo, Maria,
Spreto mundo nequam isto,
Cuius est ad mortem via.

57. Via vaga discurrentes
Sunt malorum participes,
Sed secreto te colentes
Servant superni principes.

58. Principes lucis aemuli
Intenderunt arcum suum,
Sed tui, mater, oculi
Figantur in servum tuum.

59. Tuum aspectum in tuos
Non sufferunt daemonia,
Verum, virgo, gressus suos
Tunc remittunt et retia.

60. Retia ergo eorum
Rumpe tua potentia,
Maria, manus vinctorum,
Nostra virtus et gloria.

61. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut viam noscant iustorum.

XI.

62. Salvum me fac, o domina,
Reis in opem exsurgens,
Purga me et examina,
Servire Iesu perurgens.

63. Perurgens mea labia
Iuste loqui veritatem,
Maria, plena gratia,
Da fidei firmitatem.

64. Firmitatem dans invictam,
Maria, tuis in mundum,
Vocem servans benedictam
In conflictum his secundum.

65. Secundum altitudinem
Tuae misericordiae
Reorum multitudinem
Liberas, mater gratiae.

66. Gratiae liqui liquorem
Vilibus vacans in via,
Dolori iungens dolorem,
Sed haec usquequo, Maria?

XII.

67. Usquequo, Maria, morem
Malorum sequar in mundo,
Quamdiu ponam dolorem
In cordis mei profundo?

68. Profundo namque dolore
Submersae sunt nostrae mentes,
Sed reprime cunctis horis,
Maria, nos persequentes.

69. Persequentes me, domina,
Usquequo exaltabuntur,
Horum mentes illumina,
Et sic humiliabuntur.

70. Humiliabuntur nimis
In saecula saeculorum,
Qui non exaltent in primis
Te, praeses archangelorum.

71. Horum vitam iungens summis,
Quo gloriam Iesus fixit,
Quorum vita te prae nummis
Optavit et benedixit.

XIII.

72. Dixit insanus Iudaeus
Prae mentali caligine:
Non est Iesus verus Deus
Neque natus ex virgine.

73. Ex virgine pandunt natum
Scripturarum fontes rupti,
Quem fatemur incarnatum
Ex te fide incorrupta.

74. Corrupti vero, domina,
Et errore detinentur,
Qui Christum ex te, femina,
Natum esse non fatentur.

75. Fatentur te fecundatam,
Maria, Iesu servuli
Nec pudore te privatam,
Salvatrix prima saeculi.

76. Saeculi vana spernentes
Cum carnali libidine
Sint, Maria, servientes
Tibi omnium dominae.

XIV.

77. Domine, quis habitabit
In monte sancto sanctorum,
Nisi pro quo te rogabit
Mater tua, spes lapsorum?

78. Lapsorum lapsu vario
Linguae mentiri non fessa
Miserere miserorum,
Propter nos caelum ingressa.

79. Ingressa sine macula
Operatur iustitiae,
Maria, frange iacula
Hostis pleni pernicie.

80. Pernicie pecuniae
Mentem pollutam expia,
Thesaurum mittens gratiae
Ad me de caeli gloria.

81. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut vias noscant iustorum.

XV.

82. Conserva me, conservatrix
In te semper sperantium,
Maria, remuneratrix
Magna bonorum omnium.

83. Omnium, quae sunt, fuerunt,
Ad Iesu cultum redacta
Per te florent, floruerunt,
Recreatrix nova facta.

84. Facta, inquam, restitutrix
Hereditatis caelorum,
Consolatrix et adiutrix,
Maria, mox miserorum.

85. Miserorum peccantium
Auge sic infirmitates,
Quod per tale remedium
Relinquant iniquitates.

86. Ita testor castigatum
Me vacare suae laudi
Et tu, Maria, precatum
Te laudantis nunc exaudi.

XVI.

87. Exaudi, sancta Maria,
Meam parvam iustitiam
Et fac eam, auctrix pia,
Concrescere per gratiam.

88. Gratiam autem noxiam
Spernam cum mundano cultu,
Per te, quae summam gloriam
Percipis Iesu de vultu.

89. De vultu tuo prodeat
Mihi pium iudicium,
Oculos tuus videat
Pie meum diluvium.

90. Diluvium mortiferum
Suscitavit auctor mali,
Sed hoc dele, spes pauperum,
Manu tua triumphali.

91. Triumphali potentia
Pollens, manum da prodigam,
Ut hinc tua praeconia
Magis laudem et diligam.

XVII.

92. Diligam te, mater Dei,
Cordis mei firmamentum,
Refugium, ad quod rei
Currunt propter tutamentum.

93. Tutamentum enim a te
Multotiens percepimus,
Ideo necessitate
Iam quacunque te quaerimus.

94. Quaerimus te, miseratrix,
Bonos, malos suscipiens,
Peccatorum liberatrix,
De malis bonos faciens.

95. Faciens gratificari
Emendantem vitam suam,
Ac, Maria, gratulari
Eructantem laudem tuam.

96. Tuam laudans largitatem
Invocabo te precibus,
Ut per tuam pietatem
Me liberes ab hostibus.

97. Hostibus effundentibus
Torrentes iniquitatis,
Maria, tuis viribus
Resistendo pro me gratis.

98. Gratis, mater, exaudias
Me de templo sancto caeli,
Quo gloriae delicias
Capis cum Iesu fideli.

99. Fideli tuo filio
Commenda meos amicos,
Convertens, sicut cupio,
Meos omnes inimicos.

100. Inimicos mihi dorsum
Ponens, ut a me fugiant,
Et mittentes mortis morsum
Premens, donec deficiant.

101. Deficiant sicut fumus
Per te cunctorum vitia,
Quibus debitores sumus,
Coronanturque gloria.

102. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut viam noscant iustorum.

XVIII.

103. Caeli enarrant gloriam
Tuae, virgo, magnae prolis,
Quae per pneumatis gratiam
Fis mater actoris solis.

104. Solis actor factus homo,
In te dignans habitare,
Dat nos dignos caeli domo,
Quis valet hoc explicare?

105. Explicare mortalium
Non valent omnes sermones
Datas per tuum filium
Sanctas benedictiones.

106. Benedictiones cepit
Elisabeth Zachariae,
Quibus sterilis concepit
Praeconem divinae viae.

107. Viae via, Deum portans,
Hanc, Maria, salutasti,
Gravidam praegnans confortans,
Quanta fores, demonstrasti.

108. Monstrasti Dei filium,
Quem spiritu sancto flatus
Iohannes pandens gaudium
Adoravit nondum natus.

109. Natus tuus non filius
Ioseph exstitit carnalis,
Verum Ioseph nutricius
Et tu mater corporalis.

110. Corporalis Deus homo
Praesaepe oblationes
Regum sumpsit carens domo,
His dans benedictiones.

111. Benedictiones lata
Tibi laus sumat ab eo,
Lex Dei immaculata,
Convertens animas Deo.

112. Deo placens Anna mater
Tibi gratum me faciat,
Oret et Ioachim pater,
Ut me proles exaudiat.

XIX.

113. Exaudiat me Dominus
Mediante te, domina,
Qui cum effectu protinus
Audit tua precamina.

114. Precamina ante Deum
Fundas propter te laudantem,
Dans sermonem in os meum
Rectum et bene sonantem.

115. Sonantem quoque decenter
Laudem meam sacra pie
Precibus indesinenter,
Astans meis noctu, die.

116. Die tribulationis
Auxilium mitte sanum,
Quae sancti papae Leonis
Abscissam sanasti manum.

117. Manum suam is truncavit,
Ut vitaret carnis actus,
Sed ob missam te rogavit
Et surrexit sanus factus.

118. Factus salvus tunc populo
Divinum efflans arcanum
Visum et factum famulo
Tuo per te super manum.

119. Manum, Maria, da talem,
Qua valeam pertractare
Digne hostiam vitalem
Ad Iesu sacrum altare.

120. Altare Iesu, Maria,
Tuo fiam levamine,
Hoc te roget Anna pia,
Mater tam magnae dominae.

XX.

121. Domine rex, in virtute,
Quam virgini das Mariae,
Vivam tute cum salute,
Hinc exsultans tota die.

122. Die, Maria, ac nocte
Vitantes ovationes
Concupiscentiae coctae
Fuerunt affectiones.

123. Affectiones noxias
Aufert a me cunctis pia,
Qua post carnis lascivias
Conversa claret Maria.

124. Maria haec Aegyptia
Ierusalem agens viam
Crucis adiit ostia
Invocando te Mariam.

125. Mariam hanc paenitentem
Illustravit Deus pater,
Quam praevenisti deflentem
In gratiis et tu, mater.

126. Et tu, mater, praevenias
Me in benedictionibus
Coronarique facias
Post mortem in caelestibus.

127. Caelestibus deliciis
Fruitur iam Aegyptia,
Per te cuius suffragiis
Nobis servetur gloria.

128. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut viam noscant iustorum.

XXI.

129. Deus meus, me respice
Per Mariae suffragia,
Quae habitat deifice
Laus Israel in gloria.

130. Gloria numquam finiens
Iam non cessat satiare,
Quos traxisti subiciens,
O Maria, legi carae.

131. Carere nolens, Maria,
Templo tuo Romae coetum
Miracula pandens pia
Populum fecisti laetum,

132. Laetum reddens Liberium
Tua apparitione
Et Iohannem patricium
Super templi iussione.

133. Iussione tunc percepta
Duxit papa patricium
Caterva secum recepta
Ad montem superhagium.

134. Superhagium contectum
Augusto nive viderunt,
Quo signo templum perfectum
Tibi, Maria, fecerunt.

135. Exstruunt in loco nivis
Tibi, Maria, altare,
Quo mortuis atque vivis
Te soles communicare.

136. Quare in te speraverunt
Patres, inde non decepti,
Ad te rei clamaverunt
Et salutem sunt adepti.

137. Adepti sunt scientiam
Per te multi, sicut lego,
Cunctis das te propitiam,
Et peream pauper ego?

138. Ego autem factus vermis,
In populis abiectio,
Quo divertam iam inermis,
Nisi ad te, dux devio?

139. Devio mentis erranti
Asta, Maria, iugiter,
Ne se tibi commendanti
Iungatur hostis nequiter.

140. Nequiter malignantium
Obsedit me consilium,
Et quod a me subsidium
Non elonges, mors hostium.

141. Hostium datum manibus
Versum monachum sacristam
Suscitans tuis precibus,
Da vitam post mortem istam.

142. Istam vitam plenam morte
Spernam et eius facinus
Per te, cui salutis portae
Claves commisit Dominus.

XXII.

143. Dominus, rector omnium,
Homo de te, virgo, natus,
Det omne necessarium
Mihi, ne sim venumdatus.

144. Venumdatus multociens
Avaritiae iam foco,
Maria, multos faciens
Te invoco iunctus loco.

145. Loco me refectionis
Animae necessariae
Stabilias, plena bonis,
Mater cunctipotentiae.

146. Potentiae incendii
Dans pater natum Iudaeum,
Ob escam per te filii
Liberatum vidit eum.

147. Eum ergo concremare
Fac in me desideria,
Quem praesumo manducare
Saepe cum laudis gloria.

148. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant vias iustorum.

XXIII.

149. Domine, tui filii
Est terrarum plenitudo,
Mare, fontes et fluvii
Et caelestis pulchritudo.

150. Pulchritudo laudabilis
Te decorat et puritas,
Maria, mons mirabilis,
Virtutum monstrans semitas.

151. Semitas caeli quaerentes
Non cessat Satan laedere,
Ad quod te non recolentes
Nusquam possunt ascendere.

152. Ascendere, virgo, dignans
Equum tu pro militissa,
Militi facta designans
Solvis daemoni promissa.

153. Promissa solvi viliter
Daemonis suggestione,
Sed haec restaura dulciter
Tua visitatione.

154. Visitatione precis
Te, Maria, visitavi
Et tu lucis tege thecis
Preces, quas ad te levavi.

XXIV.

155. Ad te levavi cor meum,
Scrutatrix mitis mentium,
Ut per te contempler eum,
Qui gaudium est cordium.

156. Cordium purificatrix,
In purificatione
Astitisti consolatrix
Devotae tibi matronae.

157. Matronae missam spectanti
Carentique missa sua
In exstasi per te stanti
Subvenisti missa tua.

158. Tua praebens largitate
Huic certum tuo festo
Postulanti munus a te,
Maria, semper adesto.

159. Esto servans vitam meam
Commissam tuis manibus
Et eruas, mater, eam
Mox de necessitatibus.

160. Necessitatibus meis
Astet Anna magnifica
Et tu prece eius eis
Iesum adesse iudica.

XXV.

161. Iudica me nunc leniter,
Mater iudicis cunctorum,
Puniri temporaliter,
Ne sim consors damnatorum.

162. Damnatorum princeps fortis
Ad Iacobum ambulantem
Angustiae dedit mortis,
Se vita pie privantem.

163. Privantem tunc ignoranter
Se vita, virgo, servasti
Hostemque fugas instanter,
Mortuum resuscitasti.

164. Suscitasti Mercurium,
Ut caederet manu sua
Iulianum obnoxium
Nimium in plebe tua.

165. Tua misericordia
Ante meos sit oculos,
Quae magna mirabilia
Facit liberans populos.

166. Populos multos salvasti
Dominicum sanctum mittens,
Quo Iesum Christum placasti,
Simul Franciscum emittens.

167. Emittens uterque verbum
In veritatis aemulos
Per te, Maria, superbum
Calcantes servant populos.

168. Populos optans trahere
Ad caeli, mater, gaudia,
Doctores orbis mittere
Non desinis cum gloria.

169. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut vias noscant iustorum.

XXVI.

170. Dominus, tuus filius,
O Maria, cui servo,
Per te illustret amplius
Me lucis suae radio.

171. Radio tuae gratiae,
Virgo summe luminosa,
Illustretur cotidie
Vita mea tenebrosa.

172. Tenebrosa custodia
Viduae clausum filium
Liberasti propitia
Propter matris obsequium.

173. Obsequium simpliciter
Tibi reddo vinctus frater,
Ut a vinclis celeriter
Me absolvas, Iesu mater.

174. Mater Iesu, templum Dei,
Cui profugus me praesento,
Tuta vitam cordis mei
Sub gratiae tegumento.

175. Tegumento quidem isto
Cum sentio me contectum,
Affectum do purum Christo,
Sin autem, cor est infectum.

176. Infectum genus humanum
Saepe reddunt peccamina,
Sed tu cito reddis sanum
Conversum ad te, domina.

XXVII.

177. Ad te, domina, clamabo
In qua speravit cor meum,
Et te semper exorabo,
Ut pro me sis ante Deum.

178. Deum, Maria, placasti
Mulieri homicidae,
Quam ab igne liberasti
Te rogantem brevi fide.

179. Fide ergo potiori
Te rogantem non iuvabis?
Absit, sed ingentiori
Hunc virtute roborabis.

180. Orabisque redemptorem
In conspectu angelorum,
Ne det talem peccatorem
Sententiae reproborum.

181. Reproborum spirituum
Horribili saevitiae
Non linquas tibi cernuum,
Maria, lex clementiae.

182. Clementiae servans seram,
Plena pace, plena Deo,
Fac, habeam pacem veram
Cum proximo semper meo.

183. Meo sine vultu tuo
Me circumda laetitia,
Clericum in fine suo
Laetificans cum gloria.

184. Gloria tibi, domina,
Per saecula saeculorum,
Quam glorificant agmina
Spirituum beatorum.

185. Thorum enim in delictis
Nesciens, virgo Maria,
Gabrielis credens dictis
Es effecta mater dia.

186. Diabolum effugasti
Tua oboedientia
Et homines revocasti,
Angelis gliscens gloria.

187. Gloria tibi, Maria,
Quam Gabriel salutavit,
Cuius carne pura, pia
Sese Deus incarnavit.

XXVIII.

188. Afferte nunc cum Maria
Preces ad Iesum hodie
Memoria pro me pia,
Cives caelestis patriae.

189. Curiae servos caelorum
Facere festivitatem
Audivit quidam sanctorum
In tuam nativitatem.

190. Nativitatem, Maria,
Tuam nemo tunc colebat,
Adhuc enim fides pia
Eius diem nesciebat.

191. Nesciebat, quid signaret
Melos is vir angelicum,
Cum caelitus huic sonaret
Divinum tantum canticum.

192. Canticum erant cantantes
Angeli tuo natali,
Nobis natam designantes
Te Mariam die tali.

193. Tali festo revelato
Sexto Idus Septembrium
Ab omni coli renato
Iussum est hoc sollennium.

194. Sollennium nunc natalis
Tui colunt ecclesiae,
Maria, spes immortalis,
Honor caelestis curiae.

195. Curiae quoque Romanae
Diu clausi persistentes
Cardinales per te sane
Elegerunt te petentes.

196. Petentesque pietatem
Tuam solvis celerrime,
Octavis nativitatem
Ornantes ornas maxime.

197. Maxime vos, sancti Dei,
Quorum ago memoriam,
Memores estote mei
Poscentes mihi veniam.

198. Veniamque peccatorum
Meis benefactoribus
Impetres, sancta sanctorum,
Una cum sanctis omnibus.

199. Omnibus tu es sanctior,
Et te cunctis plus laudabo
Teque, caelis excelsior,
Ut exalter, exaltabo.

XXIX.

200. Exaltabo tuas laudes,
Dignissima virgo, laude
Et tu, quae iam plebe gaudes
Laudibus meis adplaude.

201. Plaude simul cum Maria,
Cor meum, mala detestans,
Ut sit tibi luctus via
Solacium vitae praestans.

202. Praestans pia voluntate
Abundantiam gratiae
Sit, vim vitae denudatae
Valle densa miseriae.

203. Miseriae nostrae finis,
Cantus causa, vitae via,
A fletibus vespertinis
Libera nos, o Maria.

204. Maria, in ecclesia
Clerico apparuisti
Fugereque consortia
Sponsae carnis hunc fecisti.

205. Isti regis Hungariae
Fratri sponsam te concedens,
Cum notorum a facie
Foret ob clam te recedens.

296. Edens in monasterio
Panem oboedidentiae
Patriarcha, ut audio,
Per te fit Aquilegiae.

207. Aquilegiae partibus
Quis facere magnalia
Cunctisque regionibus,
Maria, Iesu gloria.

208. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant vias iustorum.

XXX.

209. In te, domina, speravi,
Non confundar in aeternum,
Nomen tuum invocavi,
Pande mihi cor maternum.

210. Maternum cor si fuerit
A prole sua declinans,
Cor tuum nusquam deserit
Cor ad te sese reclinans.

211. Reclinans te refugium
Fugitivis exsulatis,
Desolatis solacium
Et requiem fatigatis.

212. Fatigatis iam sensibus
Mundo meis gravissime
Adesto cum virtutibus,
Deficiens spes minime.

213. Minime daemon dimisit
Quandam partui proximam,
Donec preces haec emisit
Ad te matrem piissimam.

214. Piissimam ac fulgidam
Huic pandisti te, Maria,
Cui daemon formam horridam
Saepe monstrabat in via.

215. In via Maria mea
Statuat angelum pacis,
Ne teneat me in ea
Custos aeternae fornacis.

216. Fornacis claudis ostium
Vita, virtus, valetudo,
Fotrix, lotrix egentium,
Salus aegro, stola nudo.

217. Nudo stolam des vitalem,
Maria, tectrix nudati,
Operans inconsutilem
Tunicam Iesu beati.

XXXI.

218. Beati, quorum peccata
Remittis tuis precibus,
Maria, virgo beata,
Suavis paenitentibus.

219. Paenitentibus libenter
Iugis manum das roboris,
Nantes supereminenter
Conformans pacem pectoris.

220. Pectoris nunc pacem pone,
Paratrix tranquilitatis,
Multa tribulatione
Circumdatum pro peccatis.

221. Peccatis se fabularum
Monachi quidam foedantes
Daemonum verbum amarum
Audierunt navigantes.

222. Navigantes voce pia
Mariam invocaverunt
Et vigente te, Maria,
Daemonia recesserunt.

223. Erunt ob hoc a Maria
Longe nunquam haec labia,
Sed omni loco et via
Te depromam cum gloria.

224. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant vias iustorum.

XXXII.

225. Exsultate semper, iusti,
In virgine tam perfecta,
Quae fontem luctus vetusti
Siccavit mater effecta.

226. Effecta spes labentium,
Virgo, convertas iniustos,
Ut iuxta vitae bravium
Imitemur per te iustos.

227. Iustos enim laudatio
Decet et honor celebris,
Quid ergo tecum gaudio
Iustos reddis e tenebris.

228. Tenebris sedem retinens
Ruina multa volvitur,
Sed te lucem non desinens
Ad honorem erigitur.

229. Igitur, cor meum, vide,
Quid dignum ducas virgini,
Quae rectum in bona fide
Concepit verbum Domini.

230. Domini Iesu dignitas
Per ipsam sit tibi pia,
Tua ergo supplicitas
Non recedat a Maria.

231. Maria, longe quaesita
Es aquis a fidelibus,
Ibi micas lux in vita
Miraculis ingentibus.

232. Ingentibusque testibus
Laus floret mirabilium,
Quare tantis liminibus
Plebs te vovet credentium,

233. Credentium pergentium
Per te ad aram Aquensem
Semper et participium,
Quo plus laudem suam pensem.

234. Pensem, quanta sis, Maria,
Auxilii spes immensi,
Propitians ope pia
Dudum Iohanni Metensi.

235. Ensi persecutionis
Dato reo trita via
Unguenta purgationis
Poenae per te sunt, Maria.

236. Maria, Iesu gratia,
Pax, foedus, pacis osculum,
Tua misericordia
Redundat omne saeculum.

237. Saeculum semper sperabit
In tuo patrocinio,
Et cor nostrum exsultabit
Tuae laudis obsequio.

238. Obsequio nunc astanti
Tuo mentem da pudicam,
Ut datricem dati tanti
Te Mariam benedicam.

XXXIII.

239. Benedicam te, domina,
Cuius nomen extollitur,
Memoria cuius pia
Carnis igne exstinguitur.

240. Exstinguitur flamma mentis
Nomine tuo praeclaro,
Maria, spes patientis,
Cuius sanctissima caro.

241. Caro si quem percusserit,
Laetetur haec audiendo,
Sibi virtus non deerit
Nomen tuum depromendo.

242. Promendo *Ave Maria*
Niles monachus effectus
Ad Dominum fide pia
Suos erigens affectus.

243. Affectus fuit illico
Tanta vir devotione,
Quod transitu mirifico
Claruit ac visione.

244. Visione mirabili
Lilii tumbam scindentis,
A carne venerabili
Prodiit radix florentis.

245. Florentis quoque folia
Florebant, Ave, Maria,
Nominis tui gloria
Haec patravit, virgo pia.

246. Pia profecto facie
Contemplaris te vocantes
Die premens angustiae
Servos tuos proclamantes.

247. Clamantem ergo pauperem,
Maria, mox exaudias
Opemque dando celerem
Tribulatum eripias.

248. Eripias et abiectum
A linguis dolum fantibus
Ante filii conspectum
Pro me stans tuis precibus.

249. Precibus equidem tuis
Suffulti vincunt vitia,
Interioribus suis
Virtutum inest gloria.

250. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant vias iustorum.

XXXIV.

251. Iudica, meos vinculos,
Maria, vim amittere,
Ne suos in me baculos
Ultra possint apponere.

252. Apponere laudem laudi
Tuae, virgo, conor satis,
Et tu, mater, hanc exaudi
Tibi latam pro peccatis.

253. Pro peccatis te rogavit
Nobilis Romae matrona,
Quam a morte liberavit
Tuitio tua bona.

254. Bona pridem haec femina
Hostis suggessionibus
Duo commisit crimina,
Horrida cunctis auribus.

255. Horrida procul dubio
Et horrida relatio,
Quod conceptum de filio
Det mater homicidio.

256. Homicidio dans natum,
Quem de filio concepit,
Latomis condens necatum,
Mundum, non Deum decepit.

257. Rapit autem daemonium
Huic habitum clericalem
Et ante regis solium
Homicidam profert talem.

258. Talem sanctam esse putans
Rex audiens haec stupuit,
Qui ab ea rem perscrutans
Indicias haec praebuit.

259. Praebuit se tunc conscia
Tibi totam, o Maria,
Confitens sua vitia
Sacerdoti fide pia.

260. Pia, Maria, facie
Tunc in eam aspexisti
Ac secum stans in acie
Coram rege protexisti.

261. Isti tibi sic commissae
Animam reddens tam gratam,
Quod hanc dixit non fuisse
Daemon regi sceleratam.

262. Sceleratam dixit hostis
Coram te, rex, accusavi,
Non hanc, quam vos sanctam nostis,
Quam nec novi nec notavi.

263. A videntibus stupore
Tactis facto signo crucis
Discessit veloci more
Mox malignus hostis lucis.

264. Lucis mater, o Maria,
Tenebris visa lucere,
Homicidis facta pia,
Mei modo miserere.

265. Miserere consueta,
Peram portans pietatis,
A Domino nunquam spreta
Hunc orando pro peccatis.

266. Pro peccatis innumeris
Multa passum et passurum
A poenis Satan asperis
Salvum me fac et securum.

267. Securum reddens, Maria,
Me mundano fractum festo,
Laeto nimis esto via,
Laetitia quoque maesto.

268. Esto mihi scutum forte
Infirma tenens virium,
A peccati salvans morte
Me, virgo, lex pugnantium.

269. Pugnantium vigent vires
Per te iam fortificati,
Mihi ergo vim inspires,
Reparatrix conculcati.

270. Quatenus mea anima
In Iesu parte laetetur
Et in te, beatissima,
Spes iucunda delectetur.

271. Delectetur et bonitas
Tua meis in laudibus,
Mater, per quam tranquillitas
Et pax datur hominibus.

272. Hominibus nullatenus
Dabuntur caeli gaudia,
Non colentibus hactenus
Te, Maria, cum gloria.

273. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant vias iustorum.

XXXV.

274. Dixit secta Iudaica
Incredula per odium:
Non est fides veridica,
Quod virgo dedit filium.

275. Filium lex praeostendit
Nasciturum de virgine,
Nec cor horum hoc perpendit
Pressum mortis caligine.

276. Caligine tamen pulsa
Per partum sanctae Mariae
Radix mortis est evulsa
A semitis bonae viae.

277. Viae astans iam non bonae
Iuxta portas est inferi,
Qui hoc Dei ditione
Non credit posse fieri.

278. Fieri voluit homo
Deus creator omnium,
Ut salvaret lapsos pomo,
Dum portares hunc filium.

279. Filium hunc genuisti,
Quo videtur vitae via,
Domi Deum excepisti,
Dei domus, o Maria.

280. Maria, domus Domini,
In qua torrens voluptatis,
Fons vitae dulcis homini,
Me potare veni gratis.

281. Gratis tuo sollemnio
Monachos tu visitasti
Et hos electuario
Dulci, Maria, potasti.

282. Astitit inter hos unus
Peritus in medicina,
Cui poculi tanti munus
Negasti, mater divina.

283. Divina delectamenta
Monstrans non dari talibus,
Quorum vita sit intenta
Saeculi voluptatibus.

284. Voluptatibus omnibus
Haec videns renuntiavit
Atque, Maria, laudibus
Tuis et Iesu vacuit.

285. Vacuit monasterio
Obsequiis ita gratis,
Quod sequenti sollemnio
Sumpsit a te potum satis.

286. Satis per te tunc refectus
Prae caelesti dulcedine
Sanctus fuit vir effectus
Tuo, Maria, numine.

287. Numine tam gratuito,
Tam pleno suavitatis,
Laudibus tuis dedito
Subveni, Maria, gratis.

288. Gratis misericordiam
Praetende, mater, petenti
Et rectorum iustitiam
Iustissimam te scienti.

289. Gloria tibi, domina,
Quae per viam impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant viam iustorum.

XXXVI.

290. Noli pati, quod aemuler
In turbis malignantibus,
Maria, nec quod famuler
Orbis iniquitatibus.

291. Iniquitatibus multis
Miles quidam plenus multum
In homines raptor ruit,
Non divinum curans cultum.

292. Cultum solum is nominis
Tui, Maria, gerebat,
Cui formam ferens hominis
Daemon domi serviebat.

293. Serviebat daemon sibi,
Ut morti daret impium,
Qua die, Maria, tibi
Non faceret obsequium.

294. Obsequium vero tuum
Non linquentem visitasti
Ac per spoliatum suum
Huic daemonem revelasti.

295. Revelasti sic virtutem
Huic, virgo, tui nominis,
Quod adeptus est salutem
Divini per te culminis.

296. Culminis cultorem tui
Ob hoc, mater, me praepone
Et, ne vita cernar rui,
Me iuxta te semper pone.

297. Pone sub me, mater, manum,
Ut, si cadam, non sim laesus,
Ob lapsum enim humanum
Te tam gratam fecit Iesus.

298. Iesus, salvator saeculi,
Reliquit illos ad plenum,
Qui tui non sunt famuli
Et arescunt sicut foenum.

299. Foenum factus ne arescam
Et decidam ut olera
Prae vitiisque vilescam,
Da mihi tua ubera.

300. Ubera, ut ita dicam,
Quae sugunt bonus et malus.
Ut inde te benedicam,
Maria, multorum salus.

301. Salus siquidem iustorum
A tua prodit gratia,
Lux, protectio eorum,
Pax, gaudium et gloria.

302. Gloria tibi iugiter
Ab omni, Deus, homine,
Gloriaque sit pariter
Mariae, nostrae dominae.

XXXVII.

303. Domine, ne des me poenis,
Cum iustis reddas mercedem,
Precibus gratiae plenis
Te mater placet heredem.

304. Heredem mortis aeternae
Secutae sunt plebes reae,
Sed, spes vitae sempiternae,
Esto ductrix vitae meae.

305. Meae iam caput animae
Supergressa sunt scelera,
Meque premunt gravissime
Culparum nexus onera.

306. Onera vero levia
Virtutum pauca perfero,
Sed, Maria, allevia
Omne pondus in misero.

307. Miseroque nimis facto
Praesto sis, spes orbatorum,
Et extra sensum redacto
Redde lumen oculorum.

308. Oculorum gratum lumen,
Quod intuentur oculi,
Verae lucis mitte numen,
Illuminatrix saeculi.

309. Saeculi quidem amici
Me spreverunt tribulatum,
Sed socia te felici,
Laetifica desolatum.

310. Latum mittens munus tuum
Monacho Cisterciensi,
Huic nuntians finem suum,
Luminis latrix immensi.

311. Immensi signum amoris
Iacenti super lectulum
Ostendisti, fons dulcoris,
Maria, dans huic osculum.

312. Osculum, Maria, laudis
Tibi dabat incessanter,
Carnalis venena fraudis
Detestans per te constanter.

313. Constanter tunc is retinens
Te, Maria, memoria,
Per te Iesum iam obtinens
Caeli fruitur gloria.

314. Gloria mea, Maria,
Psalterium et gaudium,
Sis ad Iesum mihi via
Per istius suffragium.

315. Suffragium tanti viri
Apud te pleni gratia,
Ut valeam exaudiri,
Peto cum laudis gloria.

316. Gloria tibi, domina,
Quae per iter impiorum
Spargis gratiae semina,
Ut noscant vias iustorum.

XXXVIII.

317. Dixi: ponam custodiam
Te mihi, vitae servatrix,
Ut autem hoc perficiam,
Da te gratis, larga datrix.

318. Datrix consolationis,
Sancto mittens Ignatio
Verba salutationis
De Iesu tuo filio.

319. Filio tuo offeras
Preces, Maria, solitas
Et Iesum nobis inseras,
Cuius immensa bonitas.

320. Bonitas tui filii,
Ignatio clara per te,
Mox sui desiderii
Aciem ascendit certe.

321. Certe pulchrum miraculum,
Magnum, multum laudabile,
Scriptum Iesu vocabulum
In cor martyris humile.

322. Humile cor revelatum
Occisis membris carneis
Scriptum erat et ornatum
Iesu literis aureis.

323. Reis sensibus, Maria,
Dimove res illicitas
Ignatii prece pia,
Cui per te Iesus bonitas.

324. Bonitas ineffabilis
Tua me facit audacem,
Ut loquar vir inutilis
Ad te reginam veracem.

325. Veracem manum praetendas
Daemonio nos vexante,
Qua incessanter defendas
Nos, Maria, post et ante.

326. Ante tuam imaginem
Omnis homo pertransiens
Adorare te virginem
Debet inde proficiens.

327. Proficiens virtutibus
A daemone praepeditur,
Sed stat, cum tuis precibus,
O Maria, praemunitur.

328. Munitur Iesu gratia
Mariae laudes affectans,
Felix Iesu familia
Te, Maria, spem exspectans.

XXXIX.

329. Exspectans exspecto donum
Tuae, mater, largitatis,
Ut admittas ante thronum
Iesu preces pressi satis.

330. Satis lacu miseriae
Mersum atque luto faecis,
Educas me, fons veniae,
Virtus lapsi, iubar caecis.

331. Caecis, mutis ac mortuis
Faciens mirabilia
Donis manas continuis,
Mota misericordia.

332. Misericordia Christi
Per te peccantes recipit,
Quem sic ad nos convertisti,
Quod benigne non corripit.

333. Corripit Iesus furore
Te linquentes, quos liquisti,
Maria, quae tot amore
Iam reos corripuisti.

334. Corripuisti etiam
Praesulem, qui servo tuo
Unicae missae gratiam
Abstulerat posse suo.

335. Suo reddidit subdito
Missae suae mysteria,
Monens, ut more solito
Fungeretur cum gloria.

336. Gloria tibi, regina,
Pauperum exspectatio,
Quam substantia divina
Perlustrat privilegio.

XL.

337. Beatus qui intelligit
Te gratia tota plenam,
Maria, per quam erigit
Iesus gentem iam egenam.

338. Egenam tu familiam
Non despicis et respicis,
Vitae dans alimoniam,
Mater superni principis.

339. Principis mortis tenorem
Abstulisti, virgo pia,
Tui militis uxorem
Resuscitans quadam die.

340. Die mortis, die mala
Hunc, Maria, liberasti
Et sub pietatis ala
Te quaerentem conservasti.

341. Servasti matrem gravidam,
Quae se ipsam occiderat,
Restituens huic vividam
Prolem, quam sic oppresserat.

342. Oppresserat se subito
Maritum habens suspectum
De amore illicito,
In te, Maria, perfectum.

343. Perfectum reddas etiam
Me tibi et tuo nato
Per piam diligentiam
Ferens opem supplantato.

344. Supplantato miserere,
Resuscita iam mortuum
Et hostes de me gaudere
Non sinas in perpetuum.

345. Perpetuum hunc honorem
Tibi cor meum offerat,
Et tu sibi da vigorem,
Quemadmodum desiderat.

XLI.

346. Quemadmodum desiderat
Ad aquarum fontes cervus,
Sic ad te, virgo, properat
Volens aquam vivam servus.

347. Servus tuus esse volo,
Deditus tuo nomini,
Et ideo sic te colo
Ante faciem Domini.

348. Ante faciem Domini
Apparens, mater gloriae,
Sitienti huic homini
Fundas fluenta gratiae.

349. Gratiae tuae copiam
Et dulcem effusionem
Pandisti indulgentiam
Precans habere latronem.

350. Latronem gens iudicavit
Ipsum in ligno suspendens,
Sed ad te, virgo, clamavit
In te suam spem extendens.

351. Extendens tunc continuo
Tu, Maria, piam manum
Suscitasti hunc triduo
Incolumem atque sanum.

352. Sanum quoque custodisti
A telis transeuntium
Et a ligno dissolvisti,
O vita morientium.

353. Morientium animae,
Quibus tu fis propitia,
Ab angelis laetissime
Rapiuntur cum gloria.

354. Cum gloria te laudantem
Mox me mundo mortifica
Infernaque formidantem
Temporaliter iudica.

XLII.

355. Iudica, virgo, cor meum
Hic compungi tam acriter,
Ut purgatus ante Deum
Appaream hilariter.

356. Iter ad caeli gloriam
Ostendas, via gloriae,
Suam tibi miseriam
Ostendenti cotidie.

357. Cotidie in tenebris
Mihi, quaeso, sis proxima,
Maria, lucis celebris
Lucerna praeclarissima.

358. Praeclarissima meritis
Lux fulgens inter nebulas,
Radiis tuis solitis
Internas terge maculas.

359. Maculas a me diluat
Per te altaris hostia,
Reficiat et induat
Sanctitatis me gloria.

360. Gloria tibi, regina,
Pauperum exspectatio,
Quam substantia divina
Perlustrat privilegio.

XLIII.

361. Deus, nostris audivimus
Auribus mira opera,
Quae pandis, actor maximus,
In virgine puerpera.

362. Puerpera virgo facta,
Mater ornans omnes matres,
Iesum portans sic intacta,
Liberasti nostros patres.

363. Patres nostri narraverunt
De te, mater benedicta,
Quod per te sunt et fuerunt
Deleta mundi delicta.

364. Delicta per te laxavit
Iudici Deus urbanus,
Quem Stephanum suscitavit
Te precante Iesu manus.

365. Manus tua disperdidit
Inimicos infernales,
Et verbum tuum reddidit
Fructus nobis immortales.

366. Immortales nunc virtutes
Mitte tuis manu pia,
Quibus tuos semper tutes
A seductore, Maria.

367. Maria, te laudabimus
Tota die, laudabilis,
Et nomen invocabimus
Tuae personae nobilis.

368. Nobilis et nobilior
Et semper nobilissima,
In tua laude glorior
Omnisque prudens anima.

369. Anima quidem clerici
Despecta fuit a Deo,
Sed prece tua supplici
Mox pepercit Iesus reo.

370. Eo, Maria, salvato
A poena crudelissima,
Iesu per te sic placato,
Deo fruitur anima.

371. Anima cuiusdam multum
Te, Maria, blasphemavit,
Sed occidit Iesus stultum,
Mox cum nefas eructavit.

XLIV.

372. Eructavit verbum bonum
Cor tuum, virgo Maria,
Per spiritus sancti donum
In humili vitae via.

373. Via oboedientiae
Te firmans perfectissime
Imperatori gloriae
Fuisti placens maxime.

374. Maxime tuis labiis
Diffusa Dei gratia
Hominum datur filiis
Nunc per tua suffragia.

375. Suffragia tua placent
Forma speciosiori,
Cuius laudes nunquam tacent
Gloriae dati decori.

376. Decori, mater decora,
Cui dat regna Iesus sua,
Salubriter iam honora
Gratulantes laude tua.

377. Tua quidam visitare
Pergens antistes limina,
Te sibi tunc obviare
Vidit cum multis, domina.

378. Domina, cum virginibus
Hunc sua circumdedisti
Et cum caelicis cantibus
In templum introduxisti.

379. Isti tantam dans Maria
Gratiam in vita sua,
Ut quam larga sis et pia,
Penset inde domus tua.

380. Tua clausus basilica
Miles in bello militum
Absens agens magnifica
Sumpsit honorem inclitum.

381. Inclitum ipsum, Maria,
Reddidisti virtutibus
Eo, quod missas in via
Exspectaret cum laudibus.

382. Laudibus vacans poscebat,
Ut tu ductrix esses sua,
Nec pergens multos vincebat,
O Maria, manu tua.

383. Tua mansuetudine,
Qua polles mirabiliter,
Cinge me fortitudine,
Ut dimicam sinceriter.

384. Sinceriter et directe
In viam dilectionis
Animae sensus abiectae
Duc virga directionis.

385. Directionis ferula
Dirigens ad caelestia,
Maria, murra primula,
Cor servans, cordis gloria.

386. Gloria tibi, regina,
Pauperum exspectatio,
Quam substantia divina
Perlustrat privilegio.

XLV.

387. Deus noster, refugium,
Per te, virgo singularis,
Praetendat nobis brachium
Lapsis in cor huius maris.

388. Maris amari saeculi
Multos urget adversitas,
Quod pertranseunt populi,
Quibus patens es civitas.

389. Civitas iucunda Dei,
Caelitus sanctificata,
Ad te currunt omnes rei,
Ut his vita sit servata.

390. Servata Helsini vita
Et secum fluctuantium
Celavit per te munita,
Maria, luna noctium.

391. Noctium lux mentalium
Misisti conceptionem
Tuam nobis per nuntium
In commemorationem.

392. Orationem faciens
Cum suis abbas Helsinus
Ac cum fletu confugiens
In tuos, Maria, sinus

393. Sinus tui pietatem
Percepit per te salvatus,
Facere festivitatem
Conceptus tui paratus.

394. Paratus ergo etiam
Conceptionem colere,
Hoc, Maria, perficiam
Decenter tuo munere.

395. Munere sancti spiritus
Fuisti sanctificata,
Antequam, mortis exitus,
Tu ex Anna fores nata.

396. Nata nobis lux, Maria,
Ad aeternum remedium,
Suffragatrix esto pia
Sensualium noctium.

397. Noctium nequam spiritus
Me reliquit seminudum,
Cuius arces circuitus
Eius virga facta dudum.

398. Dudum multa daemonia
Ab iniquis eiecisti
Tua magna potentia,
Qua perfidos convertisti.

399. Convertisti iam ad caelos
Qui colebant mundum istum,
Quare tibi laudis melos
Dant colentes omnes Christum.

XLVI.

400. Omnes Christum confitentes
Tuis subdunt se pedibus
Et cum laude venientes
Superbe plaudunt manibus.

401. Manibus ad te levatis,
O Maria, clamo reus,
Ut me salvet per te gratis
Pater Iacob atque Deus.

402. Deus enim nobis suam
Elegit hereditatem
Per gratiam, virgo, tuam
Et sanctam fecunditatem.

403. Fecunditatem obtines
Prolis incomparabilis
Atque pudorem retines,
Maria, mater humilis.

404. Humilis autem animae
Amatrix, virgo regia,
Humilitatem imprime
Mihi cum morum gloria.

405. Gloria tibi, regina,
Pauperum exspectatio,
Quam substantia divina
Perlustrat privilegio.

XLVII.

406. Magnus Dominus est nimis,
Maria, tuus filius
Deus laudetur imprimis,
Praeter quem non est alius.

407. Alius non constituit
Documenta sanctae legis,
Nisi qui nasci voluit
Ex te, mater primi regis.

408. Regis magni tu civitas,
Maria, plena gaudio,
Cuius gratiae largitas
Dat terminum flagitio.

409. Flagitio carnis pronus,
Cum te iuvantem aspexit,
Mox effectus sensu bonus,
Motus carnales despexit.

410. Despexit carnis affectum
Contemplans tuam faciem,
Quid ergo te per effectum
Cernens aget in aciem?

411. In aciem inimicam
Carnis cum ad te fugio,
Ut verum, Maria, dicam,
Mox salvor a contagio.

412. Contagio carnis carens,
Divino languens amore,
Parturisti, sancta parens,
Sine quocumque dolore.

413. Dolore gravi gravato,
Et carnali et mentali,
Remedio plena grato
Subveni cura vitali.

414. Tali subventu subventum
Exponam me laudi rite,
Virgo, per cuius obtentum
Sunt mox preces exauditae.

XLVIII.

415. Audite nunc, omnes gentes,
Gesta Mariae virginis,
Hanc cogitant cunctae mentes,
Quae salvatrix est hominis.

416. Hominis Ioachim iusti
Coniunx, Anna valde pia,
Sumpsit angeli venusti
Verbum super te, Maria.

417. Maria, haec mater tua,
Mater incliti seminis,
Tres dans in senecta sua
Marias magni luminis.

418. Luminis vero divini
Tu mater prima, Maria,
Vulnus verbi serpentini
Curans, virgo, prole pia.

419. Pia prece Annae matris
Suffragiisque sororum
Iesu, per te nostri fratris,
Lumen mihi da decorum.

420. Decorum Dei filium,
Repulsorem caliginis,
Prodis nobis praecipuum
Reprobis, quae pax hominis.

421. Hominis vires interni
Bonis vitae sunt desertae,
Nisi viroris superni
Sint virtute fotae per te.

422. Per te gratiam capiunt,
Maria, pauper et dives,
Precesque tuae faciunt
Homines sanctorum cives.

423. Cives superni gaudii
Te adorant sine fine,
Quanto magis nos miseri,
Placatrix irae divinae.

424. Divinae iam visionis
Solita dare gaudia,
Redime me tuis bonis,
Ne caeli priver gloria.

425. Gloria tibi, regina,
Pauperum exspectatio,
Quam substantia divina
Perlustrat privilegio.

XLIX.

426. Deus deorum colitur,
Maria, tuus filius,
Deus tuus sum, loquitur,
Praeter me non est alius.

427. Alius non nos redemit,
Nisi natus ex te Deus,
In conspectu cuius tremit
Caelum, terra, sanctus, reus.

428. Reus omnis exardescit
In extremo iudicio,
Nisi solum cui compescit
Tua Iesum oratio.

429. Oratio tui oris
Dulcis super favum mellis
In die magni furoris
Me liberet a flagellis.

430. Flagellis flagitiorum
Monialem daemonium
Suffocavit, cum decorum
Tui sprevit obsequium.

431. Obsequium illicitum
Haec iuveni dare volens,
Per templum quaerens exitum
Nequivit ire te colens.

432. Colens rursum te temptata
Iterum volens exire,
Mox Maria invocata
Non valuit praeterire.

433. Ire tamen ad peccatum
Conans in se proposuit,
Quod Mariae nomen gratum
Taceret, et sic corruit.

434. Corruit non invocato
Tuo, Maria, nomine,
Tunc ostio reserato
Diabolico numine.

435. Numine tam pestifero
Ne cadamus sic in via,
Signa nos salutifero
Nomine tuo, Maria.

436. Maria, mare bonorum,
Inopem hunc intuere
Et pressi mole malorum
Misericors miserere.

L.

437. Miserere semper mei,
Mater misericordiae,
Miserere nimis rei,
Virgo, largitrix gratiae.

438. Gratiae tis plenitudo
Peccata mea deleat,
Et meriti magnitudo
In me fidem adaugeat.

439. Adaugeat et spem veram,
Laetitiam et gaudium
Caritatemque sinceram,
Gratiae beneficium.

440. Beneficium utile
Aciei dans mentali,
Maria, firmans humile
Cor spiritu principali.

441. Principali digna laude,
Dignitate singularis,
Redde procul hostis fraude
Laetitiam salutaris.

442. Salutaris, inquam, tui,
Quod saeculum desiderat,
Ut sanguinis multi sui
Iniquitatem auferat.

443. Auferat et per te, peto,
Meum a me flagitium,
Ut spiritu vobis laeto
Offeram sacrificium.

444. Sacrificium obtulit
Gregorius Dei irae
Imaginemque protulit,
Quam depinxit Lucas mire.

445. Mire imago delata
Tuae, virgo, speciei
Valida peste fugata
Mitigavit iram Dei.

446. Dei angeli, Maria,
Auditi sunt tunc cantare
In processione pia:
Regina caeli, laetare.

447. Regina caeli, laetare,
Sicut dixit, resurrexit,
Quem meruisti portare,
Et ad caelos se transvexit.

448. Transvexit tuus filius
Patres per aquam nimiam,
Per te filius amplius
Effundens suam gratiam.

449. Gratiam Iesu, Maria,
Sumam, servem tete duce,
Te pulsante prece pia
Mundi Gregorio luce.

450. Luce quoque prece digna
Casti viri sine dolo
Da virtutis atque signa
Imagini, qua te colo.

451. Colo te, mater divina,
Tuam cernens imaginem,
Quam colens quondam regina
Vicit omnem libidinem.

452. Libidinem abhorrentem
Frater regis concupivit,
At ipsa concupiscentem
Turri clausum custodivit.

453. Custodivit hanc praecedens
Mariae manus pro certo,
Cum rex verbis fratris credens
Occidi iussit deserto.

454. Deserto eam tradentes
Nitebantur cognoscere,
Quam illic iter agentes
Fecisti secum rapere.

455. Rapere dives decrevit,
Quam nutricem parvi fecit,
Cui, quia moechari sprevit,
Vir puerum interfecit.

456. Fecit ob hoc parvi pater
Dare nautis submergendam,
Sed huic rupi datae, mater,
Dedisti vitae praebendam.

457. Praebendam herbae virtutis
Tunc, Maria, pandens ei,
Qua gratiam sunt salutis
Adepti leprosi rei.

458. Rei quidam existentes
Erga devotam reginam,
Lepra morbidi languentes
Ceperunt plagam divinam.

459. Divinam curationem
Per herbam percipientes,
Cum reginae passionem
Fuerunt clare fatentes.

460. Fatentes erant sanati
Nomen tuum, o Maria,
Sic manum adversitati
Reginae mittens in via.

461. In via adversitatis
Sic a malis hominibus
Me salva, dux pietatis,
Reginae talis precibus.

462. Cibus consummationis
Tua mihi laus, Maria,
Et potus laetationis
Sit, quacumque versor via.

463. Via vir valde viliter
Ruit atque subsannatur,
Nisi in eo fortiter
Nomen tuum imprimatur.

464. Imprimatur hoc igitur
Sic in me per te, Maria,
Quod omne, quod persequitur
Me, per hoc vincam in via.

465. In via tua, mens mea,
Cur non semper meditaris
Mariam hanc et in ea
Modicum quid gloriaris?

LI.

466. Quid gloriaris in vanum,
Quid, cor meum, gloriaris?
Nonne caro dat insanum
Te, cum secum delectaris?

467. Delectaris ad ruinam
Carnaliter delectando,
Sed placas iram divinam
In Maria gloriando.

468. Gloriando tua laude
Reclusa quaerens salutem
Procul per te pulsa fraude
Daemonis vicit virtutem.

469. Virtutem tuam percepit
Te, Maria, invocata,
Nec daemon eam decepit
Imagine simulata.

470. Simulata ostensio
De te fulgentis feminae
Transiit falsa visio
Tuo, Maria, nomine.

471. Nomine tuo nituit
Ferens claves sacristiae,
Quam in gradum restituit
Largitas tuae gratiae.

472. Gratiae mater, Maria,
Claves eius deportasti,
Cum oleret luxus via,
Revertentemque salvasti.

473. Salvasti sic Beatricem,
Maria, mirabiliter,
Des etiam salvatricem
Te mihi immobiliter.

474. Immobiliter teneas
Claustrales, ne hinc exeant,
Apostatasque moneas,
Maria, donec redeant.

475. Redeant tuis meritis
Ad veram humilitatem,
Renuntient illicitis,
Amplectentur paupertatem.

476. Paupertatem per te veram
Quaeram, feram hilariter,
Maria, gratiae peram
Expones cunctis iugiter.

477. Iugiter et tu, cor meum,
Lauda nomen tam urbanum,
Ne facias magis reum
Per favorem te mundanum.

478. Mundanum amorem fuge,
Qui non servat fidem suam,
Et super te ipsum luge,
Qui foedasti vitam tuam.

479. Tuam famam pestiferam
Committe dulci virgini,
Quae olivam fructiferam
Offert se domo Domini.

480. Domini Iesu divitis
Veras dantis divitias
Heres tuis sim meritis,
Virgo, dividens gratias.

481. Gratias vanas hominum
Tua, Maria, gratia
Respuam propter Dominum,
Cui sempiterna gloria.

482. Gloria tibi, regina,
Pauperum exspectatio,
Quam substantia divina
Perlustrat privilegio.

LII.

483. Dixit in se insipiens:
Divitias quaeram mundi,
Denationem nesciens
Thesauri sui abundi.

484. Abundi sunt mundi doli
Et dolores et pavores,
Quis me perdi pati noli,
Vivificans virgo mores.

485. Mores latomus foedavit
Ad avaritiam tractus,
Qui pauperes pauper pavit,
Illos sprevit dives factus.

486. Factus inde reus Deo
Fideiussor eremita
Accusatus coram eo
Pro latomi fuit vita.

487. Itaque tunc reprehensus
A iudice Iesu Christo
Per te, Maria, defensus
Mox a casu fuit isto.

488. Isto modo datus tibi,
Ut corriperet superbum,
Annuntians visa sibi
Et salutis suae verbum.

489. Verbum dives non audiens
Eremitam hinc reppulit,
Quem angelus accipiens
Ante tribunal sustulit.

490. Tulit increpationes
Rursum raptus graviores,
Sed tuas orationes
Percepit salubriores.

491. O res discreta plurimum,
Eremitam protexisti
Alium, vertens pessimum
In pauperem rursum Christi.

492. Christi mater tu, Maria,
Ambos Iesu gratiores
Reddidisti cura pia
Ad laudis tuae rumores.

493. Mores et tu meos fove,
Ne cum turbis corrumpantur,
Virgo, mater prolis novae,
Per quam cuncta renovantur.

494. Renovantur per te sedes
Dignitatis angelicae,
Et sub tuos sternunt pedes
Angeli se mirifice.

495. Mirifice mansuescit
Visitatus a te reus,
Per te, Maria, virescit,
Per te salvat illum Deus.

LIII.

496. Deus in nomine tuo
Posuit magnam virtutem,
Ut prolatum ab homine
Conferat ei salutem.

497. Salutem omnis animae
Alieni praepediunt,
Sed fortes nocent minime,
Cum Mariae vim sentiunt.

498. Sentiunt iam bonitatem
Nominis tui, Maria,
Quotquot Iesu deitatem
Confitentur fide pia.

499. Pia virgo, pia mater,
Cui laus, honor post et ante,
Pius pater sit et frater
Nobis Iesus te precante.

500. Precante me te Mariam
Intentoque suae laudi
Fac, laudare Iesum sciam,
Ut exaudiar, exaudi.

501. Exaudita laus a Deo
Non est, Maria, reorum,
Nisi pie coram eo
Advocata sis eorum.

502. Horum autem Iesus pius
Inclinat se cito laudi,
Quos exaudis pie prius,
Igitur me mox exaudi.

LIV.

503. Exaudi, mater, orantem
Filium adoptionis
Et supplicem te precantem
Non repellas sine donis.

504. Donis tuis, o Maria,
Alexii laus ascendit,
Quam imago tui pia
Templi custodi praetendit.

505. Praetendit adfans iterum
Hominem devotionis,
Collegam esse pauperum,
Sed divinis dignum donis.

506. Donis gratia Mariae
Bis commendans sanctum istum,
Per precem eius hodie
Placa mihi Iesum Christum.

507. Christum quaerens Alexius
Terga vertit mundi bonis
Teque pulsans hinc saepius
Hunc invenit tuis donis.

508. Donis etiam humanis
Illicitis terga vertam
Omnibusque rebus vanis
Et ad Iesum me convertam.

509. Convertam quoque, Maria,
Os ad te laudationis,
Ne me calcet in hac via
Infernalis pes praedonis.

510. Donis misericordiae
Respiret pusillanimis,
Quibus mentis inopiae
Languorem, virgo, reprimis.

511. Reprimis iniquitates
Et labores tu mitigas,
In omnibus potens pates,
Quae Satanae vim adligas.

512. Adligas quoque virtutem
Satanicorum membrorum,
Ne Iesu plebis salutem
Praepediat lex eorum.

513. Eorum sollerter vitam
Contempler ac prodigia,
Qui te tamquam margaritam
Invenerunt cum gloria.

514. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LV.

515. Miserere, virgo, mei
Ab homine conculcati,
Qui legem carnis, non Dei
Pandit cordis vanitati.

516. Vanitati multae dato
Fertur bellum occultatum,
Sed me, mater, dulci nato
Commendes sic impugnatum.

517. Impugnatum invocantem
Nomen tuum audi pie,
Fortissima, formidantem
Fortificans omni die.

518. Die quadam invocavit
Te Mariam monialis,
Quam daemon saepe vexavit
Illusionibus malis.

519. Malis carnis haec impia
Lucro vacans mortifero
Coloniae provincia
Ministrabat presbytero.

520. Presbyteroque mortuo
De peccatis compungitur
Et paenitens continuo
Monialis efficitur.

521. Efficitur hinc furore
Valde plenum daemonium,
Unde terribili more
Illusit ei nimium.

522. Nimium illa vexata
Sparsit aquam benedictam,
Crucis faciens sacrata
Signa super se adflictam.

523. Adflictam sic non cessavit
Ex toto daemon turbare,
Donec datum observavit
Consilium salutare.

524. Salutare remedium
Ad te clamans impetravit,
Nam ab ea daemonium
Ut sagitta evolavit.

525. Volavit ab hac in viam
Remotam malus spiritus,
Semper fugiens Mariam,
A Maria perterritus.

526. Territus parum postea
Te, Maria, non audiens
Temptat, ne sit praeterea
Confessionem faciens.

527. Faciens tamen priori
Confessionem vividam,
Per te data sic honori
Vicit hostis vim horridam.

528. Horridam vincam et ego
Sic hostilem nequitiam
Per te, Maria, quam lego
Collatam reis gratiam.

529. Gratiam nusquam mereor,
Iesu, miser obtinere,
Qui nec mei misereor,
Sed tu mihi miserere.

LVI.

530. Miserere, virgo, mei,
Miserere mihi, mater,
Qua confidunt semper rei,
Qua fit Iesus noster frater.

531. Frater noster per te factus
Iesus Christus, Deus homo,
Per te mortis rasit actus,
Quos Adam egit in pomo.

532. Pomo vetito gustato
Fit homo servus inferni,
Sed fructu tuo collato
Heres regni fit aeterni.

533. Aeterni portas gaudii,
Maria, multis aperis,
In terris Dei filii
Vices gerens et superis.

534. Superis raptus minister
Sui praesulis in festo
Vidit, quam summus magister
Sit precibus tuis praesto.

535. Praesto magnis, non parvulis
Archidiaconus quidam
Tui devoti praesulis
Sese fecit homicidam.

536. Homicidam sic effectum
Praesule pro servo tuo
Contundi os interfectum
In festo fecisti suo.

537. Suo spiritu positus
Ante supernum iudicem
Vidit minister inclitus
Stare matrem te supplicem.

538. Supplicem querimoniam
Te, Maria, tunc facere,
Ut haberes iustitiam
Cito de tanto scelere.

539. Scelere sic exposito
Per te, Maria, in caelis
Iussit Iesus, ut subito
Citaretur infidelis.

540. Infidelis ante Deum
Citatus mox exspiravit
Ministro citante eum,
Cum visa festo narravit.

541. Narravitque se vidisse
Praesulem excerebratum,
Te praesulis ostendisse
Christo caput cruentatum.

542. Cruentatum sic nequiter
Cum, Maria, te laudavit,
Coronari feliciter
Impetrasti, cum migravit.

543. Cum migravit et dyscolus
Praesul peremptor praesulis,
Hunc, Maria, diabolus
Strinxit igneis vinculis.

544. Vinculis sic vinculantur
Servos tuos persequentes,
Si, antequam moriantur,
Non sint vere paenitentes.

545. Paenitentes, virgo, veros
Nos reddere persevera,
In laude Iesu sinceros
Et in laude tua mera.

546. Mera fide nos illustra
Tu, quae Maria diceris,
Ne anima nostra frustra
Nusquam inhiat superis.

547. Superis iungas gaudiis
Tua, Maria, gratia
Nos expletis exsequiis
Finis nostri cum gloria.

548. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LVII.

549. Si vere te, virgo vera,
Filii colant hominum,
Utique fide sincera,
Placabis eis Dominum.

550. Dominum Iesum negavit
Miles effectus egenus,
Cum daemoni praesentavit
Hunc rusticus dolo plenus.

551. Plenus daemon versutia
Hunc negare te monuit,
Maria, plena gratia,
Quod facere mox renuit.

552. Renuit te, spes lapsorum,
Negare miles, Maria,
Daemonisque frangens forum
Adiit templum in via.

553. Viatorem nimis reum
Se fecisse pandens tibi,
Ut respiceres in eum
Coram te plorantem ibi.

554. Ibi per os imaginis
Vidit te Iesu loquentem,
Animam tibi hominis
Dari instanter petentem.

555. Petentem primo reppulit
Nec responsum dans filius,
Secundo tibi retulit,
Quod negaret hunc impius.

556. Impius cum gemitibus
Magis instans prece tibi
Vidit te flexis genibus
Placare Dominum sibi.

557. Ibi videns te linquentem
Super altare filium
Ac de ara descendentem
Rogare propter impium.

558. Impium, Maria, tibi
Salvum Iesus tunc donavit
Teste alio, qui ibi
Clam orans visa narravit.

559. Narravit miles militi
Haec, Maria, magnalia
Factusque pauper diviti
Consors accepta filia.

560. Filia David, Maria,
His vitalem dans terminum,
Sic sis mihi propitia,
Sic places mihi Dominum.

561. Dominum Iesum spernimus
Nos errantes peccatores,
Sed, domina, te petimus,
Huic reformes nostros mores.

562. Mores, morum sacrarium,
Meos, mater, sic depara,
Quod voces incantantium
Non me trahant ad tartara.

563. Tartara iam confregisti
Cum infernali principe,
Nos, Maria, mater Christi,
A poenis horum eripe.

LVIII.

564. Eripe me, dux virtutum,
De virtutum inimicis,
Iter mihi parans tutum,
Iter termini felicis.

565. Felicissima domina,
Quid fecisti presbytero,
Ferenti tot certamina
In corpore mortifero?

566. Mortifero lapsu labens
Et consensu et opere
In teque suam spem habens,
Te spem vidit in vespere.

567. Pereunte quidem eo,
Maria, iam in peccatis
Nocte quadam iuncta reo
Carne suae voluptatis

568. Voluptatis amputatrix,
Mox mutans desideria
Salvasti, vitae salvatrix,
Ambos a petulantia.

569. Petulantia carnalis
Ex tunc linquit presbyterum,
Per te, Maria, a malis
Versum in virum alterum.

570. Alterum se videns factum
Pridem pronus luxuriae,
Per te tersit mortis actum
Omnem a sua facie.

571. Faciei sanctae tuae
Intentus factus, Maria,
Psalterium laudis tuae
Tibi cantans in spe pia.

572. Pia tua suffragia
Implorando continue,
Gratias agens labia
Tibi movit assidue.

573. Assidue se abscondens
A turba pro te, Maria,
Te in sinu suo condens
Mensa, lecto, sede, via.

574. Via tribulationum
Per te iam fortificatus,
Omne dixit esse bonum,
Os fidelis incolatus.

575. Incolatus finem sui
Non legi, sancta Maria,
Sed hunc iuvent servi tui,
Si indiget prece pia.

576. Pia mater, salves eum,
Si poenas adhuc subeat,
Sin autem videat Deum,
Me meritis promoveat.

577. Moveat te me iuvare
De te, cuius eloquia
Ut mel menti sunt amarae,
Lux et via per devia.

578. Via mundi luce Dei
Meum, mater, cor ambias
Et fortitudinem ei
Praestes atque custodias.

579. Custodias vitam meam
Custodia rationis,
Ne condemnet poenis eam
Ira consummationis.

580. Consummationis meae
Tremebunda angustia,
Sis animae praesto reae
Tunc apparens cum gloria.

581. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LIX.

582. Deus, reppulisti preces
Mea et vota solita
Propter peccatorum faeces
Et opera illicita.

583. Illicita vero facta
Tollat beata munere,
Quae te Deum stans intacta
Meruit mundo parere.

584. Parere, qui te plasmavit,
Meruisti, virgo pura,
Lactareque, qui te pavit,
Stupet hinc omnis natura.

585. Natura prorsus humana
Tuum petit praesidium,
Quia salus illi vana,
Cui non praestas auxilium.

586. Auxilium tu salutis
Reginaldo dans decano
Unctionemque virtutis
Stimulo carnis vesano.

587. Sano Aurelianensi
Hoc decano sic effecto,
Remedii spes immensi
Medearis huic infecto.

588. Infecto carnis sordibus
Da, Maria, remedium,
Dominici dans precibus
Praedicto iam auxilium.

589. Auxilium da iugiter
Assistenti tuae laudi
Ac, Maria, celeriter
Pro me precantes exaudi.

LX.

590. Exaudi me, virgo, precor,
Orantem et pro proximis,
Hominum laus, decus, honor,
Gestis fulgens clarissimis.

591. Clarissimis miraculis
Coruscas in hominibus,
Assistens in periculis
Nomen tuum timentibus.

592. Timentibus daemonia
Fis turris fortitudinis,
O Maria, lux pervia
In obscuris libidinis.

593. Libidinis malos motus
Reginaldus non sentivit,
Ex quo, cum foret aegrotus,
Tua virtus hunc linivit.

594. Ivit ob hoc in ordinem
Dominici vir placitus,
Cui dans prius originem
Dedisti formam habitus.

595. Habitus, Maria, formam
Ostendens, auctrix ordinis,
Dominicum das in normam,
Destructorem libidinis.

596. Libidinis exstirpatrix,
Castitatis lex propria,
Esto mihi procuratrix
Meritorum in gloria.

597. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LXI.

598. Domnae tibi subiciam
Cor et corpus, o regina,
Ut habeam propitiam
Te confestim in ruina.

599. In ruina novissima
Mei gravis corpusculi
A te sumatur anima
Tui, Maria, famuli.

600. Famuli secundae mortis
Me ponent ut maceriam,
Nisi pandas, virgo fortis,
Tuam mihi potentiam.

601. Potentiam mirabilem
Tuam, Maria, sitio,
Quae iuvit non culpabilem
Clericum in incendio.

602. Incendio carne pia
Laesa nudo iam pulmone
Cantavit *Ave Maria*
lucunda devotione.

603. Devotione tam mira
Percepta, quam huic dedisti,
Magis motus quidam via
Suffocavit servum Christi.

604. Christi genetrix, Maria,
Campo sepultis ossibus
Decoras pro fide pia
Miraculis hunc pluribus.

605. Pluribusque virtutibus
Ostensis tua gratia
Ibidem tuis laudibus
Facta fuit ecclesia.

606. Ecclesia tota Dei
Tuam praedicat gloriam,
Veniam das enim ei
Et in hostes potentiam.

607. Potentiam morte tuam
Iuxta me, Maria, pone,
Ut virtutem hostes suam
Tua perdant visione.

608. Visione iam virtutum
Tuarum visa litera
Carnalia velut lutum
Evitem et ut onera.

609. Onera mundi fugiam,
Quis iam pressus fui reus,
Per tuam, mater, gratiam
Sitque pondus meum Deus.

LXII.

610. Deus, Deus, lux de luce,
Ad quem mente vigilandum
Matris prece tete duce
Vitem iter evitandum.

611. Vitandum somnum, Maria,
Fac me semper evitare,
Visione dignans pia
Quendam quondam excitare.

612. Arae loco dormientem,
Maria, corripuisti,
Asserens rem indecentem
In templo Domini Christi.

613. Christi mater, tunc apparens
Ad monachum excitandum,
Pellam, ut virescam arens,
Otium a me vitandum.

614. Vitandum carnalem motum
Vitare, virgo, cupio,
Quamobrem activum potum
Gratiae tuae sitio.

615. Sitio tantae gratiae
Adipem et pinguedinem,
Quae repleat cotidie
Interiorem hominem.

616. Hominem exteriorem
Vincam tactus hac gratia,
Ut laudis tuae decorem
Magis laudem cum gloria.

617. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LXIII.

618. Exaudi, Deus, orantem
Pro cognatis et amicis
Ob Mariae dignitatem,
Per quam cuncta benedicis.

619. Dicis etiam, Domine,
Quod oremus pro malignis,
Orante mecum virgine
Malos tangat vivus ignis.

620. Ignis, mater caritatis,
Quem Iesus misit in mundum,
Persequentium me gratis
Cordium intret profundum.

621. Profundum intret etiam
Cordis mei sacer ignis,
Ut amore perficiam
Cum benignis et malignis.

622. Malignis pro me resistas,
Ne me calor horum necet,
Et votis meis assistas,
Nam, Maria, laus te decet.

LXIV.

623. Te decet hymnus et votum,
Maria, pacis visio,
Caeli, terra, mare totum
Sub tuo sunt imperio.

624. Imperio Frederici
Suspensus triduo vixit,
Manus vicit inimici
Nam *Ave Maria* dixit.

625. Dixit is *Ave Maria*
Spe quinquies cotidie,
Deo *Pater noster* tria
Et unum sacrae hostiae.

626. Hostiae communionem
Hinc postulans sibi dari
Ante mortis passionem,
Qua tandem possit salvari.

627. Salvari vivum, Maria,
Fecisti in patibulo,
Donec fuit fide pia
Alitus vitae pabulo.

628. Pabulo panis vitalis
Refectus mox exspiravit
Fideique cinctus alis
Per te ad Iesum migravit.

629. Gravi tantum infamiae
Et scandali suspendio
Honori bonae gratiae
Tuo reddas imperio.

630. Imperio tui nati
Reddis animas sublatas;
O virgo, quam sunt beati
Dantes tibi laudes gratas!

631. Gratas enim Iesu facis
Talium conscientias,
Ab eis lupi rapacis
Longe fugans saevitias.

632. Saevitias autem irae
Et aemulorum odia
Illaesum me fac transire,
Maria, pacis gloria.

633. Gloria mea, Maria,
Et mentis refrigerium,
Fac me mori morte pia,
Morte vera fidelium.

634. Fidelium viaticum,
Scilicet eucharistia,
Ad gaudium me caelicum
Per te ducat cum gloria.

635. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LXV.

636. Iubilate dulci nato
Virginis matris Mariae,
Eius munere beato
Indigentes tota die.

637. Die qualibet ac nocte
Te quaerunt, virgo, populi,
Nam mentes plebis indoctae
Intuentur tis oculi.

638. Oculi quoque cunctorum,
Qui regnum Dei cupiunt,
Ut miserearis horum,
In te, mater, respiciunt.

639. Respiciunt spem insignem
Te corda patientium,
Quae transeuntes per ignem
Ducis in refrigerium.

640. Refrigerium etiam
Tuae, virgo, dulcedinis
Pressus, passus inveniam,
Plenus amaritudinis.

641. Amaritudinis plenus
Invenit te dulcem reus,
Maria, cui cunctum genus
Gratiarum dedit Deus.

LXVI.

642. Deus misericordiae,
Deus benedictionis,
Da mihi lumen gratiae
Vi matris orationis.

643. Orationis puritas
Tui redolentis oris
Meas, Maria, semitas
Illuminet cunctis horis.

644. Horis cunctis et momentis
Per te timeam Dominum,
Ut claudantur ora mentis
Latoribus peccaminum.

645. Peccaminum mox maculas
Oratio tua purgat,
Nam puritatem baiulas,
Quae purgare nos exsurgat.

LXVII.

646. Exsurgat virtus miranda
Tuae, virgo, sanctitatis,
Quae dissipet mox nefanda
Blandimenta voluptatis.

647. Voluptatis tu carnalis
Expers omnino fuisti,
Proles tamen immortalis
Mater coli meruisti.

648. Meruisti transcendere
Cunctorum culmen sanctorum,
Digna dignans nos visere,
Bona mater orphanorum.

649. Orphanorum curam habes,
Ut rursum patrem habeant,
Peccatorum pians labes,
Ut iusti sint et gaudeant.

650. Gaudeant in te intima
Mei cordis incessanter,
O gratia plenissima,
Quam distillas abundanter.

651. Abundanter emicuit
Iam humanum per te genus,
Maria, per quam claruit
Et Iohannes Damascenus.

652. Damascenus hic presbyter,
Doctor plenus veritate,
Corde, voce te iugiter
Laudans non decessit a te.

653. A te, Maria, percepit
Subsidium inde sanum,
Cum imperator praecepit
Amputari sibi manum.

654. Manum suam amputatam
Aemula vidit a gente,
Literam false dictatam
In mortem iusti mittente.

655. Mittente iusto, Maria,
Ad te sua suspiria,
Visione secum pia
Miscuisti colloquia.

656. Quia tibi haec decenter
Ministrabat manus pia,
Decuit, ut tu clementer
Hanc sanares, o Maria.

657. Maria, tu recepisti
Manum in templo suspensam
Iohannique reddidisti
Ad laudem tuam immensam.

658. Immensam tuam virtutem,
Maria, plebs tunc laudavit,
Cum percepisse salutem
Per hanc Iohannem probavit.

659. Probavit et imperator
Iohannem non offendisse,
Sed discipulus dictator
Repertus est hoc fecisse.

660. Fecisse te miracula
Per hunc orbem innumera
Fide credimus sedula,
O Maria christifera.

661. Fera semper infernalis
Hic homines deglutiret,
Nisi manus triumphalis
Tua eos custodiret.

662. Iret ad mortem aeternam
Gens peccatrix incessanter,
Nisi gratiam supernam
Huic conferres abundanter.

663. Abundanter intingatur
Cor meum tua gratia,
Virgo, per quam impugnatur
Arida conscientia.

664. Scientia sancta plenus,
Iam, Maria, videns Iesum
Hic Iohannes Damascenus
Offerat me tibi laesum.

665. Laesum et tu sana reum
Per Iohannis suffragia,
Quo habere digna Deum
Sit mea conscientia.

666. Conscientia tabescit
Errans per orbis devia,
Cui, Maria, non lucescit
Nominis tui gloria.

667. Gloria tibi, Maria,
Per quam piatur impius,
Cuius ipse laude pia
Maneam solitarius.

LXVIII.

668. Salvum me fac, o Maria,
Mersum aquis tempestatis,
Rursum ponens me in via
Aeternae securitatis.

669. Securitatis beatae
Praevia dux et semita,
Ex carnis infirmitate
Trepidam mentem visita.

670. Visita me, visitatrix,
Visitando iuvans satis,
Quae dolorum mitigatrix
Fers effectum sanitatis.

671. Sanitatis medicinam,
O Maria, protulisti,
Per quam plagam serpentinam
Radicitus amovisti.

672. Amovisti daemonium,
Qui regnabat in homine
Iam in libro viventium
Tuo scripto precamine.

673. Precamine sancto tuo
Dolentem Iesus audiat
Et in salutari suo
Me pauperem suscipiat.

674. Suscipiat et caritas
Tua, virgo, quod supplico,
Laudesque meas placitas
Reddat regi magnifico.

675. Magnifico laus filio,
Qui te matrem praeelegit,
Teque laudet cum gaudio,
Quicumque sub eo degit.

676. Degit saeculo corpore,
Sed corde caelis habitat
Homo, qui omni tempore
Laudes Mariae recitat.

677. Recitat hinc et os meum
Tuae laudis insignia,
Ut praesentes ante Deum
Cordis mei suspiria.

678. Suspiria non ascendunt
Ad thronum vitae perennis,
Nisi, quae prius intendunt
In te. praelata sollennis.

679. Sollennis ergo praeventrix,
Quae praevenis in gratia,
Maria, sis interventrix
Pro me sursum in gloria.

680. Gloria tibi, Maria,
Qua fit rursus rectus reus,
Cuius, precor, prece pia
Peccatori parcat Deus.

LXIX.

681. Deus, in adiutorium
Meum velis intendere,
Per Mariae suffragium,
Quae meruit te parere.

682. Parere te, virgo, Christum
Res fuit necessaria,
Ut salvarent mundum istum
Nati passi mysteria.

683. Mysteria tui partus
Ineffabilia manent,
Ad quae sensus noster ortus,
Quorum virtutes nos sanent.

684. Sanent et mentes hominum,
Qui quaerunt animam meam,
Per te, regina virginum,
Ut laedere cessent eam.

685. Eam et tu de cetero
Serves cum diligentia,
Pro qua, Maria, refero
Tibi laudem cum gloria.

686. Gloria tibi suprema,
O Maria, Iesu mater,
Primaque laus et extrema
Filio, cui Deus pater.

687. Pater noster, qui in caelis
Imperat regens omnia,
Per te manu Michaelis
Animas lustrat gloria.

688. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXX.

689. In te, domina, speravi,
Ut me salves, accelera,
Cordis mei vermi gravi
Pietatis da viscera.

690. Viscera valde dulcia
Tuae misericordiae
Amara conscientia
Percipiat cotidie.

691. Cotidie refugio
Ad te, mater spei bonae,
Quia salvari cupio
Sub tua defensione.

692. Defensione stupenda
Stipas, qui tibi serviunt,
Imperatrix reverenda,
Cui omnia oboediunt.

693. Oboediunt per te Christo
Gentes pridem huic rebelles,
Et a mundo plures isto
Adhuc ad caelum compelles.

694. Pelles humanas inflatas
Humilians humillima
Et dudum humiliatas
Virtute replens maxima.

695. Maxima mirabilia
Manuum, virgo, tuarum,
Insignia prodigia
Facit nomen tuum clarum.

696. Clarum nomen hoc ruminet
Sic animus semper meus,
Quod me per id illuminet,
O Maria, Iesus Deus.

LXXI.

697. Deus iudicium magnum
In fine mundi tenebit,
Et ardentis ignis stagnum
Malos subire iubebit.

698. Iubebitque recreari
Animam meam impiam,
Nisi velis deprecari,
Mater, eius clementiam.

699. Clementiam enim suam
Nullatenus denegabit,
Pro quo fundes precem tuam,
Sed, quos voles, acceptabit.

700. Acceptabit et bonitas
Tuae sacrae maiestatis
Preces pauperum licitas,
Adamatrix paupertatis.

701. Paupertatis amatorem
Sectatoremque pauperum
Fac me, virgo, ne laborem
In divitiis scelerum.

702. Scelerum purificatrix
Et virtutum firmamentum,
Benedictionis collatrix,
Benedic nostrum conventum.

703. Conventum tangens malignum
Adeo tua gratia,
Quod per te, Maria, dignum
Reddatur rursus gloria.

704. Gloria tibi, Maria,
Materia magna laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXII.

705. Quam bonus sit Iesus Deus
Servis tuis, o Maria,
Cito sentit homo reus
Universae carnis via.

706. Via quidem migrantium
Lupum non sinis rapacem
Hic te, mater, colentium
Peccatorum videns pacem.

707. Pacem mihi nunc procura,
Virgo, pacis exordium,
Ne mittar ira ventura
In aeternum incendium.

708. Incendium per te vivum
Divini sumam amoris,
Quo cunctum irae motivum
Exuratur et rancoris.

709. Horis cunctis, Iesu, mortis
Sit animus memor meus,
Cur rex tulit crucem fortis
Pro homine, ut quid, Deus?

LXXIII.

710. Utquid, Deus, me repellis,
Quia plenum scis me malis?
Expers fellis, plenus mellis
Es tu, Deus immortalis.

711. Mortalis iam recorderis,
Qui non potest non peccare,
Et salvare me digneris
Prece tuae matris carae.

712. Care sibi vendicavit
Nos, virgo, tuus filius,
Cum pro nobis baiulavit
Crucem mali non conscius.

713. Conscius hactenus ego
Per te, iusta, iustificer,
Et carne quam vane dego,
Ut mens vivat, mortificer.

714. Mortificer in saeculo,
Ut caelesti vita vivam
Et caritatis vinculo
Dem laudem cotemplativam.

715. Contemplativam gloriam
Dem vobis, mater et fili,
Per vestram sacram gratiam,
Quae purum facit ex vili.

716. Ex vilique limo factus
Sic eligam humilia,
Quod, Maria, mei actus
Per te digni sint gloria.

717. Gloria tibi, Maria,
Materia magna laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXIV.

718. Confitebimur, Maria,
Facta, quae de te legimus,
Plus milies gratissima,
Quam dicere sufficimus.

719. Sufficimus, inquam, mater,
Gratiae fari copiam,
Qua te dotat Deus pater
Propter nostram inopiam.

720. Inopiam quam citius
Nostram et defectiones
Tuae tollant celerius
Salubres orationes.

721. Orationes, Maria,
Admittas ante filium
Pro cunctis, qui manu pia
Nobis praestant auxilium.

722. Auxilium summe sumat
Nomini tuo devotus,
Quo in servum me resumat
Per te Iesus orbi notus.

LXXV.

723. Notus parum in Iudaea
Deus ex te, virgo, natus
In qualibet iam platea
Israel est commendatus.

724. Commendatus, inquam, Iesus
Multum inter christianos,
Vitalis est illis esus,
Qui oculos habent sanos.

725. Sanos autem sano corde
Oculos habent, Maria,
Qui non squalent culpae sorde,
Uncti fide Iesu pia.

726. Pia fide hac, Maria,
Illustra me, lux celebris,
Nam cui luces in hac via,
Non ambulat in tenebris.

727. Tenebris vero clauditur
Cum hoste manens mendace,
Qui Mariam non sequitur.
Cuius locus fit in pace?

728. In pace fit locus ei,
Qui sequitur te, Maria,
Horas noctis et diei
Securus transit in via.

729. Viatores enim cunctos
Ducis ad domum Domini,
Mente, Maria, coniunctos
Gratiae suae lumini.

730. Luminibus me virtutum
Privarunt saepe vitia,
Sed sis mecum, lumen tutum,
Maria, lucis gloria.

731. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXVI.

732. Voce mea ad te clamo,
Expulsorum recreatrix,
Quia laudem tuam amo,
Esto mihi reformatrix.

733. Reformatrix deformium,
Non me sinas deformari
Per voluptatis vitium
Nec nimium tribulari.

734. Tribulari me sentiens
Exquiram te continuo,
Qua cor et os praemuniens
Ad haec pati non renuo.

735. Non renuo nec renuam
Hic pro culpis venerari,
Si me per te spem mutuam
Non desinas consolari.

736. Sola rite desolatos
Consolari soles clare
Ac, Maria, contristatos
Quam plurimum confortare.

737. Arena maris plurima
Nusquam potest numerari,
Sic nec tua dulcissima
Gratia quit aestimari.

738. Maria quidem diceris,
Amara multum hostibus,
Maria, mare miseris
Abundans bonis omnibus.

739. Omnibus plane, Maria,
Gratiae sinum aperis,
Aegrum sanas manu pia
Atque reples cor pauperis.

740. Peris procul pecuniae
Abiectis currunt devoti,
Ut thesaurum his gratiae
Des, Maria, quo sint foti.

741. Foti sensus hac gratia
Non labuntur mortaliter,
Sed inter adversantia
Stant, Maria, viriliter.

742. Viriliter, o Maria,
Per te certem cum serpente,
Vigilans feram in via
Annos aeternos in mente.

743. Mente laeta, carne spreta
Ad te, Maria, veniam,
Ut doceas me discreta,
Quando Iesum inveniam.

744. Inveniam Iesum per te,
Qui placito te responso
Exaudit, ut credo certe,
Et palam et in absconso.

745. Consolari velis ergo
Per Iesum, cum desolabor,
Me, qui mente ad te pergo,
Ut hinc fiat levis labor.

746. Labor mentis mitigatur
Laudibus tuis deditae,
Quid Mariae debeatur
Laudis, mente attendite.

747. Attendite, quam sit bonum
Ad Mariam accedere,
Quae vim valet passionum
In dulcorem convertere.

748. Convertere, convertere,
O cor meum, ad Mariam,
Ut deducat te prospere
In aeternae vitae viam.

749. Viam meam sic ambias
Hinc, Maria propitia,
Quod hostiles nequitias
Per te vincam cum gloria.

750. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXVII.

751. Attendite, desolati,
Mariam consolatricem,
Ut vestrae infirmitati
Porrigat manum victricem.

752. Victricem te Caesar novit,
Igni dans imperatricem,
Hanc, quia se tibi vovit,
Ignis fecisti victricem.

753. Victricem hanc per te factam
Vox de caelo insonuit,
Quia prudens se intactam
Ab omni viro servavit.

754. Servavit hanc virtus tua
A candentis supplicio,
Et a culpa salvus sua
Donatur vir Laurentio.

755. Laurentio sancto quendam
Dedit Caesar hic calicem,
Quem sanctus gratam emendam
Fecit per precem supplicem.

756. Supplicem precem faciat
Ad te pro me Laurentius,
Ne morientis rapiat
Animam hostis impius.

757. Impius per te redimam
Poenam pravorum ultricem,
Ut Mariam dignissimam
Hinc te dicat plebs victricem.

758. Victricem patientiam
Hinc, Maria, da famulo,
Gratiae fluens pluviam
Cordis mei latibulo.

759. Latibulo scripturarum
Diu, virgo, figurata,
Modo per orbem terrarum
Praedicaris declarata.

760. Declarata per Sibyllam
Fuit proles tua grata
Caesari, per te ad illam
Visionem declarata.

761. Clara thalamo subito
Visio facta caelitus
Caesarem ab illicito
Culmine movit penitus.

762. Penitus Octavianus
Coli deus mox despexit,
Cum inter virginis manus
Puerum sursum aspexit.

763. Aspexit enim insuper
Cum Sibylla sibi cara
Et sonuit vox desuper:
Caeli, inquit, haec est ara.

764. Ara, Maria, dicitur
Ecclesia facta ibi,
Quae testis huius redditur,
In qua dat plebs laudem tibi.

765. Tibi credimus, Maria,
Angelos in obsequium
Fuisse cum laude pia,
Cum peperisti filium.

766. Filium, Maria, tuum
Colebant animalia,
Utpote factorem suum,
Creantem haec et omnia.

767. Omnia regna penitus
Uti pace disposuit,
Cum nasci Dei genitus
Ex te, Maria, voluit.

768. Voluit quippe salvator
In tempore nasci pacis,
Qui venerat verus lator
Salutis nostrae veracis.

769. Veracis matris genitus
Hoc complevit veraciter,
Tibi, Maria, subditus
Atque Ioseph humiliter.

770. Humiliter volens nasci
Civis caelestis gloria
Et a te, Maria, pasci,
Qui semper alit omnia.

771. Omnia idola fracta
Fuerunt daemoniorum
Ex te, Maria, intacta
Genito Deo deorum.

772. Deorum Domino nato
Ex matre immaculata
Eius est stilo beato
Nativitas declarata.

773. Declarata sunt sacrata
Mysteria scripturarum
Te virgine fecundata
Ad salutem animarum.

774. Animarum humanarum
Fis, Maria, suscitatrix,
Decoratrix feminarum
Virorumque relevatrix.

775. Relevatrix Adam patris
Et in limbo iacentium,
Optantes virginis matris
Desideratum filium.

776. Filium tuum viderunt
A mortuis resurgentem
Et per eum perceperunt
Hi gloriam permanentem.

777. Permanentem veritatem
Tantorum mirabilium
Per omnem fatur aetatem
Plebs te, virgo, scientium.

778. Scientium scientia
Nullatenus aedificat,
Quae de te credibilia
Scripta, mater, non indicat.

779. Indicat sancta lectio,
Quae vitam tuam praedicat,
Quod omnium perfectio
Virtutum te clarificat.

780. Clarificat, amplificat
Laudes tuas et replicat
Homo, quem sibi vendicat
Per te Deus et dedicat.

781. Dedicat benedictio
Tua Christo nato mundum,
Virgo, cuius oratio
Spiritum fugat immundum.

782. Immundum hunc ergo spernam
Foeda respuens omnia,
Cum ante te me prosternam,
Maria, digna gloria.

783. Gloriari me oportet
In tuo nunc servitio,
Ut, Maria, me supportet
Tua commiseratio.

784. Orationes, Maria,
Quas tibi supplex facio,
Miseratione pia
Praesenta Iesu filio.

785. Filiolus tuus fiam
Te, Maria, concedente,
Ut secure Iesum sciam
Doctus a te carne, mente.

786. Mente tota vos diligam,
Vos cogitem, vos teneam,
Pro vobis mundum negligam
Et me ipsum abhorream.

787. Abhorream, inquam, ea,
Quae noxia sunt in via
Voluntasque tota mea
Sit et Iesus et Maria.

788. Maria, lingua dicere
Nequit, quam sis laudabilis,
Nec litera exprimere,
Quam dulcis, quam amabilis.

789. Amabilis fit repente
Per te Iesus peccatori,
Reos salvas a serpente
Et lacu inferiori.

790. Inferioribus multos
Iam absorptos liberasti
Mortuosque iam sepultos,
Maria, resuscitasti.

791. Suscitasti de pulvere
Egenum astans pauperi,
Eruens servos propere
Tuos a porta inferi.

792. Inferiora penetrat,
Maria, tua gratia,
Superiora impetrat
Nos adire cum gloria.

793. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXVIII.

794. Deus, venerunt iam gentes
In tuam hereditatem,
Filium matris stupentes,
Quae servat virginitatem.

795. Virginitatem stupendam
Tuam, mater, adoramus,
Reverendam, diligendam
Et colendam te laudamus.

796. Laudamus per te Dominum,
Cuius eramus obliti,
A tenebris peccaminum
Per te prius expediti.

797. Expediti per te simus
Ab omnibus inimicis,
Qui te praesto fore scimus
Iesu servis et amicis.

798. Amicis laudis Mariae
Parce, Iesu, fili regis,
Et nos rege per hanc pie
Noctem diemque qui regis.

LXXIX.

799. Qui regis fide videntes,
Quod tibi beneplacitum,
Fac crescere nostras mentes
Per matris tuae meritum.

800. Meritum Otho, Maria,
Accipere volens sibi,
Peregrinus se in via
Commendavit saepe tibi.

801. Tibi laudis obsequium
Is, Maria, conans dare
Caeleste beneficium
Per te cepit iuxta mare.

802. Iuxta mare quidem eum
Visione visitasti
Promittens huic ergo Deum,
Quo eum laetificasti.

803. Astiterunt et tunc ei
Socii sui mirantes
Gaudentemque servum Dei
Super hoc interrogantes.

804. Interrogantes citius
De visis certificavit,
Sicut refert Caesarius,
Et confestim exclamavit.

805. Clamavit patere sibi
Per te caelum, o Maria,
Et mox expirantis ibi
Ascendit anima pia.

806. Pia Maria, taliter
Illustra meum obitum,
Fac me mori feliciter
Per horum magnum meritum.

807. Meritum tuum excedit
Omne, Maria, meritum,
Cor, quod ad te non accedit,
Quidquid sperat, est irritum.

808. Irritum est, quod oramus,
Et ingratum, quod agimus,
Nisi tibi committamus,
Quod acceptari cupimus.

809. Cupimus ergo gratiam
Apud te nos invenire,
Virgo, quae per potentiam
Salvas, quod solet perire.

810. Perire nusquam poterit,
Qui nunc tibi servierit,
Et si mortuus fuerit,
Vita sibi non deerit.

811. Deerit et meae menti
Tua, Maria, gratia?
Absit, sed sic te quaerenti
Dabis vitam in gloria.

812. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXX.

813. Exsultate Deo nato
Mei sensus et non mundo,
Nam consensu supplantato
Separat vos ab immundo.

814. Ab immundo me spiritu
Mater munda mundissima,
Ut sine carnis strepitu
Vivat Iesus in anima.

815. Anima illa tabescit,
A qua, virgo, te divertis,
Sed protinus convalescit,
Ad quam pie te convertis.

816. Convertis mox ad salvantem
Deum, qui, quod vis, adnuit,
Alienum adorantem
Deum, qui suos destruit.

817. Destruit adversarius
In me semper substantiam,
Cum non do solitarius
Tibi, Maria, gloriam.

818. Gloriam dant ora, mentes
Tibi, mater egregia,
Quae tibi aperientes
Os suum reples gratia.

819. Gratia tua, Maria,
Sic aspergar ipse reus,
Ut in omni mecum via
Non vertetur Iesus Deus.

LXXXI.

820. Deus stetit incarnatus
In utero, virgo, tuo,
Laetificans omnes status
In adventu sancto suo.

821. Suo pacis imperio
Parent confestim omnia,
Cuius, mater, dominio
Mancipes cordis devia.

822. Devia mens quam nescia
Quaerere Iesum nesciet,
Nisi sibi in invia
Tua claritas obviet.

823. Obviet ergo, Maria,
Lux tua menti miserae,
Quae devio in hac via
Recta firmet hanc prospere.

824. Prospere quidem ambulat
Tua succinctus gratia,
Isque, Maria, pullulat
Honos mores cum gloria.

825. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

LXXXII.

826. Deus, quis tibi similis,
Faciens, quod inimicos
Puella vicit humilis?
Praedicandum hoc per vicos.

827. Per vicos habitabiles
Civitatum, oppidorum
Actus tui laudabiles
Micant, victrix tyrannorum.

828. Tyrannorum tu capita,
Mulier sancta, trivisti,
Tua tanta sunt merita,
Quod Seraphim transcendisti.

829. Transcendisti ad gaudium
Christi Iesu, nati tui,
Ut des nobis remedium
Facta princeps regni sui.

830. Sui ergo imperii
Imperatrix et perfecta,
Munus eius da gaudii,
O Maria, quam dilecta.

LXXXIII.

831. Quam dilecta, virgo recta,
A Domino fis virtutum,
Quam electa, quam perfecta
Per Domini facta nutum.

832. Nutum Dei praesentiens
Humano carens exemplo,
Sine macula serviens
Deo manebas in templo.

833. In templo te vox caelitus
Viro dandam insonuit,
Cuius virga divinitus
Floreret, quae et floruit.

834. Floruit tecum, Maria,
Is Ioseph crescens gratia,
Deserviens fide pia
Tibi cum pudicitia.

835. Pudicitia humili
Virgines aptas exemplo,
Laudem semper dans iubili
Domino cordis in templo.

836. In templo corporis tui
Verbum Dei concepisti,
Sed sancti spiritus sui
Plena prius micuisti.

837. Micuisti mundo toti
Vita, fama et doctrina,
Effecta orbis aegroti
Salus atque medicina.

838. Medicina spiritalis,
Qua curantur flagitia,
Illis solum datur malis,
Quibus tu es propitia.

839. Propitiare igitur
Meis infirmitatibus
Prece Ioseph, qui fruitur
Iam tecum caeli fructibus.

840. Fructibus fruar mellitis
Gaudiorum in patria,
Maria, Ioseph meritis,
Gloriae Iesu gloria.

841. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXXIV.

842. Benedixisti, domina,
Tua benedictione,
Quod laesit prima femina
Sua maledictione.

843. Maledictione fugata
Per tuam sanctitudinem
Operis, virgo sacrata,
Reatus turpitudinem.

844. Turpitudinem peccati
Omnem, mater, ignorasti,
Et tamen ritum mandati
Legis, Maria, servasti.

845. Servasti, Maria, legem,
Lex purificationis,
Praesentando Iesum regem
Ulnis templo Simeonis.

846. Simeonis hunc senectus
Venerabilis suscepit,
Qui gaudio tunc refectus
Laudare Dominum coepit.

847. Coepit quoque prophetare
De te et tuo filio,
Animam tuam amare
Filii caedi gladio.

848. Gladio passi filii
Corde caesa iuxta crucem,
Palmam summi martyrii
Tenes et fidei lucem.

849. Lucem praesentans, Maria,
Iesum lucis originem,
A mentali terge via
Carnalem turpitudinem.

850. Turpitudinem horridam
Daemonum ut non timeam,
Te decoram, te lucidam
Fac morte mecum habeam.

851. Eamque societatem
Sanctorum atque sanctarum,
Quorum colo dignitatem
Indigne licet et parum.

852. Parum, heu me, vos colui,
Sed vos pleni caritate
Peccatoris precatui,
Sancti, vos nunc inclinate.

853. Inclina te pro me iuste,
Simeon, ad hanc Mariam,
Ut per te culpae vetustae
Adhibeat curam piam.

854. Piam et te percipiam
Simeonis dignitate,
Mater, ad cuius gratiam
Animae sunt inclinatae.

LXXXV.

855. Inclina te, mi domina,
Ad inopem et pauperem
Nec non inter certamina
Iuxta me sis, ut superem.

857. Certissime tu suavis,
Super omnes dulcis, mitis,
Bonis succurrens et pravis,
Cuilibet opem immittis.

856. Superem adversarium
Salutis meae animae
Per tuum adiutorium,
Mater spei certissimae.

858. Mitisque, Maria, fiam
Astante te prece pia,
Memoriam tui piam
Agens cum laudis gloria.

859. Gloria tibi, Maria,
Materia magnae laudis,
Quae libenter aure pia
Ad te clamantes exaudis.

LXXXVI.

860. Fundamenta firmissima
Unicae fidei Christi
Tu sola, fidelissima,
Constanter retinuisti.

864. Pia, pura, placens, pulchra
Haec vere copulatio,
Corrupta mortis sepulcra
Vitans vitalis unio.

861. Retinuisti, Maria,
Fidem iuxta Iesu crucem,
Ceteris in morte pia
Linquentibus vitae ducem.

865. Unionem tam pudicam
Recolenti cum laudibus
Te, Maria, des amicam
Sancti Iohannis precibus.

862. Ducem Iesum videns tecum
Iohannes in cruce mori,
Te in matrem cepit secum
Adoptionis non thori.

866. Precibus tantae virginis
Me servare, mater Christi,
Fac vim sacri voluminis,
Quae legem retinuisti.

863. Thori non hunc in filium
Iohannem habens, Maria,
Ab eodem obsequium
Percepisti fide pia.

867. Retinuisti cadentes
Remittens eis delicta,
Quamobrem sunt inter gentes
Gloriosa de te dicta.

868. Dicta de te, facta per te
Humano bona generi,
A linguis cunctis aperte
Haud valent plene disseri.

869. Disseri cuncti nequeunt
Tuas miserationes,
Quibus ad vitam redeunt
Multae generationes.

870. Rationes de tempore
Pro reo solvas homine,
Qui servit corde, corpore,
Maria, tibi dominae.

LXXXVII.

871. Domine Deus salutis,
Per matris tuae precatum
Gravis meae iuventutis
Ne recorderis reatum.

872. Reatum multum et gravem
Vitae meae praeteritae
Dele ferens caeli clavem,
Inventrix ovis perditae.

873. Perditae sunt omnes horae,
In quibus te non cogito,
Tunc enim a temptatore
Motu pulsor illicito.

874. Licitoque mox aperi,
Voluntate sum proximus,
Cum, Maria, pons inferi,
Ad te meus est animus.

875. Animus, inquam, hominis
Qui te, Maria, cogitat,
Vincit motus libidinis,
Quia Iesus hunc visitat.

876. Visitat Iesus Dominus,
Qui visitat te, Maria,
Sed relinquit hunc protinus,
Cuius ad te non est via.

877. Via siquidem es vitae,
Quae vita Iesus creditur,
Qui ergo te quaerit rite,
Vita Iesus huic iungitur.

878. Iungitur et is, Maria,
Principi daemoniorum,
Vitae cuius non es via,
Nec est in libro vivorum.

879. Vivorum etenim vitam
Amisit in mundi via,
Quia viam expeditam
Non quaesivit te, Maria.

880. Maria, via virtutis,
Exquiram te sollicite,
Ne perdam vitam salutis,
Salus animae perditae.

881. Perditae sunt, existimo,
Animae te non quaerentes,
Sed in die novissimo
Ridebunt te nunc colentes.

882. Colentes te Iesum colunt,
Et pax est in horum domo,
Mundum nolunt, caelum volunt,
Qui te colit, felix homo.

883. Homo, qui te habuerit,
Iunctum Deo se noverit,
Sed qui te deseruerit,
Et illum Deus deserit.

884. Deserit hic daemonia,
Deserit quoque vitia
Qui te tenet memoria,
Maria, iusti gloria.

885. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

LXXXVIII.

886. Misericordias multas
Faris, mater, hominibus
Et super bonis exsultas
Fidelium operibus.

887. Operibus magnificis
Tuarum, virgo, manuum,
Quibus homines perficis,
Decus, laus in perpetuum.

888. Perpetuum testamentum
Pacis et indulgentiae
Hominibus in augmentum
Statuis, mater gloriae.

889. Gloriae compos divinae
Praeposita sis sanctorum
Dominaque sine fine
Terrae, marisque polorum.

890. Polorum reddis sedibus
Homines factos humiles,
Pro repulsis spiritibus,
Superbia inutiles.

891. Inutiles nos eramus,
Antequam, virgo, pareres,
Sed post partum respiramus
Effecti Christi proceres.

892. Proceres tui heredes
Vere sunt beatissimi
Humanaeque metu caedis
Mente non valent adimi.

893. Adimi meo spiritu
Non valeam in obitu,
A malo, mater, spiritu
Tuo salves intuitu.

894. Tui tuo astiterunt
Almi fratres obitui,
Quos et nubes attulerunt
Repente tuae domui.

895. Domui tuae proximi
Apostoli tunc, Maria,
Miraculi tam maximi
Mirabantur signa pia.

896. Pia mox devotione
Ac omni reverentia
Exsequias matris bonae
Peragentes cum gloria.

897. Cum gloria non modica
Et angeli descenderunt,
Qui tibi laudum cantica,
O Maria, concinerunt.

898. Cecinerunt et omnia
Agmina tibi sanctorum
Laudem multam cum gloria
Una cum rege eorum.

899. Eorum rex tibi dedit
Primatum in caelestibus,
Quo te fides nostra credit
Orare pro fidelibus.

900. Fidelibus migrantibus
Statim assunt daemonia,
Ut de suis defectibus
Hos accusent per omnia.

901. Omnia vero linquentes,
Quae ad te pertinuerunt,
Te viventem iam paventes
Et migrantem effugerunt.

902. Erunt ergo tuae laudes
In cunctis regionibus,
Maria, quae fugas fraudes
Daemonum a fidelibus.

903. Fidelibus succurrere
Saepe soles in obitu,
Me, Maria, in vespere
Tuo salves intuitu.

904. Intuitu quidem tuo
Non peribunt illustrati,
Licet pro reatu suo
Virgis Dei sint plagati.

905. Plagati temporaliter
Et aliter ab homine
Per Mariam perenniter
Salva animam, Domine.

LXXXIX.

906. Domine, sis refugium
Reverenti tuam matrem
Compulsoque in invium
Ostendas te dulcem fratrem.

907. Fratrem nostrum se faciens
Iesus ex te nasci volens,
Per te nos sit eripiens
Peccatorum mortem nolens.

908. Nolens homines perdere,
Pro quibus fis mater Dei,
In vitae meae vespere
Recordare, virgo, mei.

909. Mei cunctos tunc defectus
Volet Satan recitare,
Sed tuus fulgens aspectus
Hunc faciat latitare.

910. Latitare non potero,
Sed apparens despiciar,
Nisi die tam aspero
A te, mater, respiciar.

911. Respiciar ergo reus
A te die tam anxia,
Maria, quam fecit Deus
Praeceptricem in gloria.

912. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

XC.

913. Qui habitat vero corde
Tecum, mater altissima,
Ab omni peccati sorde
Expias eius intima.

914. Intima meae animae
Suscipe, precor, in curam,
Quatenus ferae pessimae
Dei sinant creaturam.

915. Creaturam me munias
Angelis, furum fessato
Qui latentes insidias
Effugant tuo mandato.

916. Mandato tuo parati
Angelorum principatus
Basilisci venanti
Tergant a me visus, flatus.

917. Flatus praestent paracliti,
Quibus afflari sanum est,
Per nomen unigeniti,
Quod confiteri bonum est.

918. Bonum est magnum, Maria,
In te semper confidere,
Res salubris in hac via
Te cum Iesu recolere.

919. Recole, regina clemens,
Te pro reis factam esse,
Et nunc in cor ad te gemens
Mitte, quidquid est necesse.

920. Necesse est in hac via
Iesu gratiam habere,
Qua vivat, et tu, Maria,
Hanc habens velis praebere.

921. Praebere, Maria, soles
Tuis donum speciale,
Hosque Iesus, tua proles,
Prudentiae condit sale.

922. Sale sacro scientiae
Condito iam Basilio
Sedens in throno gloriae
Visa es loqui filio.

923. Filio Iesu suggerens
Dare pacem ecclesiae,
Quod et fecit mox atterens
Apostatam in acie.

924. Acie nequam hostium
Circumdato cordi meo
Per precantem Basilium
Subvenias coram Deo.

925. Deo Iesu me, Maria,
Commendans, cui cor pium est,
Memoria cuius pia
Mentem refici bonum est.

XCI.

926. Bonum est et confiteri
Tibi, mater, et psallere,
Nomen tuum revereri
Mane semper et vespere.

927. Vespere et hora cuncta
Debet tui memorari
Sacramentis plebs inuncta
Christi, nati tui cari.

928. Cari sunt, qui te diligunt,
O Maria, Deo summo
Uberes fructus colligunt
In futuro sine nummo.

929. Sine nummo pecuniae
Non habetur hic gratia,
Sed dantur Iesu gratiae
Per te gratis et gloria.

930. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

XCII.

931. Dominus regnans decenter
Super omnes reges terrae
Veniam velit clementer
Per te mihi mox conferre.

932. Conferre Simon, Maria,
Te Iesum cruce signatis
Vidit visione pia
In sermone veritatis.

933. Veritatis praedicator
Iacobus de Vitriaco
Narrat, crucis nuntiator,
Visum converso monacho.

934. Monacho Cisterciensi
Apparens, spes omnis terrae,
Vice rei poena tensi,
Velis levamen conferre.

935. Conferreque cum filio
Digneris, virgo sublimis,
Verba pacis pro impio,
Qui offendit eum nimis.

936. Nimis enim apud Deum
Es, Maria, credibilis
Et per te fit erga reum
Deus multum placabilis.

937. Habilis ad laudem Dei
Per te fiat sensus meus,
O Maria, mater spei,
Per quam reis parcet Deus.

XCIII.

938. Deus, Deus ultionum,
Per tuae matris honorem
Metu tribulationum
Cordi meo da vigorem.

939. Vigorem tuae gratiae
Da, mater, ut convaleam,
Donec sit corpus furiae
Missum in terrae foveam.

940. Foveam autem inferi
Subire animam meam
Non permittas, spes miseri,
Sed eleves sursum eam.

941. Eam tenens superius
Per sancta desideria,
Quae recolit inferius
Te, Maria, cum gloria.

942. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

XCIV.

943. Venite, exsultemus
In laudibus salvatricis,
Procidentes adoremus
Spem animae peccatricis.

944. Peccatricis familiae,
Commendatae saepe tibi,
Memor, mater, sis hodie,
Peccata remittens sibi.

945. Sibi fere praecipiam,
Te turbae petunt hominum,
Ut horum ignorantiam
Excuses apud Dominum.

946. Dominum Iesum offendit
Abatissa mortaliter,
Cum tentata condescendit
Dapifero carnaliter.

947. Carnaliterque concepit
De servo suo masculum,
Quod mox revelare coepit
Conventus offendiculum.

948. Offendiculum audiens
Hoc praesul a sororibus,
Illuc privare veniens
Cogitat hanc honoribus.

949. Honoribus vero multis
Te, Maria, haec honorans
Curis totis tunc sepultis
Solum fugit ad te orans.

950. Orans ergo cum fletibus
Ante tuam imaginem
Obdormiens in precibus
Mariam vidit virginem.

951. Virginem te loqui sibi
Audivit et praecipere,
Ut angeli darent ibi
Auxilium puerperae.

952. Puerperae mox genitum
Angeli deportaverunt
Ad eremitam inclitum,
Cui fovendum commiserunt.

953. Commiserunt septennio
Illum illi te volente;
O Maria, quid audio,
Quid agis in te colente?

954. Olente graviditate
Duos misit praesul viros,
Qui uteri accusatae
Retuleruut visus miros.

955. Miros reddunt per aspectus
Praesuli probra denuo,
Qui veniam ob defectus
Petit ab hac continuo.

956. Continuoque deici
Aemulas eius voluit,
Sed abatissa supplici
Prece pacem obtinuit.

957. Obtinuit tantam certe
Gratiam haec abatissa,
Cui sic opprobia per te
Et peccata sunt dimissa.

958. Dimissa sit et, Maria,
Cuncta mihi contagio
Per merita tua pia
Et criminis abiectio.

959. Abiectio si qua fiat,
Pax sistat patientia,
Tua gratiaque piat
Reos multos cum gloria.

960. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

XCV.

961. Cantate summae virgini
Canticum novum, virgines,
Et omnes eius nomini
Benedicatis, homines.

962. Homines magnificantes
Tuam magnificentiam,
Sacra virgo, suspirantes
Ad vitae sanctimoniam.

963. Sanctimoniam habere
Vitae me desiderantem
Quandoque fac obtinere
Hinc, Maria, te rogantem.

964. Rogantem enim dominam
Audiet Iesus protinus,
Qui in matrem te feminam
Elegit sibi Dominus.

XCVI.

965. Dominus regum omnium,
Quem baiulasti parvulum,
Se det per te propitium
In imminens periculum.

966. Periculum huius vitae
Magnum plenum versutia
Evadere fac me rite,
Maria, Sion filia.

967. Filia Dei et mater,
In meritis praecipua,
Luce per te Deus pater
Me perlustret assidua.

968. Assidua laetitia
In vobis simul gaudeam
Et in cordis memoria
Perpetim vos retineam.

969. Retineamque firmiter,
Quanta benevolentia
Nos, mater, fili, pariter
Pertractatis cum gloria.

970. Cum gloria magna multum
Sanctum Petrum suscepisti,
Ob fidei verae cultum
Factus novus matyr Christi.

971. Christicola Florentiae
Rapta vidit, quid is frater
Honoris tunc et gloriae
Obtinuit per te, mater.

972. Mater summae bonitatis,
Per amborum suffragia
Meis ignosce peccatis,
Quae sanctorum es gloria.

973. Gloria ineffabilis
Tibi, Maria, iugiter,
Qua gens innumerabilis
Gloriatur feliciter.

XCVII.

974. Cantate nostrae dominae,
Quae fecit mirabilia,
Hanc pulsantes precamine
Omnes pro indulgentia.

975. Indulgentia donetur
Per te, mater, hominibus,
Mundus super se laetetur,
Exsultet caelum laudibus.

976. Laudibus tuis gaudere
Debemus omnes, domina,
Quos facis Iesum videre
Et vera mundi lumina.

977. Lumina per te capiunt
Corda, corpora plebium,
Maria, cui deserviunt
Salus et languor omnium.

978. Omnium tu medicina
Vulnera curans protinus,
Laetare, caeli regina,
Quia surrexit Dominus.

XCVIII.

979. Dominus rex iudicabit
Animas cuncti populi,
Corpus nostrum reformabit
Beatus auctor saeculi.

980. Saeculi iustum iudicem
Offendi multo scelere,
Sed mihi placa vindicem,
Beata mater munerum.

981. Munere nos sustentare
Tuo, virgo, continua,
Tu paradisi altare,
Tu regis alti ianua.

982. Ianuam tuo servulo
Aperias in patria,
Per quam lucis cubiculo
Ovans tenet caelestia.

983. Caelestia, terrestria
Per te fiunt stabilia,
Maria, cui per omnia
Omnis honor et gloria.

984. Gloria manens immensa
Vobis a vestris subditis,
Fili pure, mater pura,
Qui caelum verbo clauditis.

XCIX.

985. Iubilate Iesu matri,
Cunctae Christi familiae,
Ut vivatis Deo patri
Per hanc reducti gratiae.

986. Gratiae nostrum inanes
Sine Iesu sunt gratia,
Qua, Maria, plena manes,
In qua reflorent omnia.

987. Omnia per te laetantur
Caeli civium agmina,
Et homines iucundantur,
O gloriosa domina.

988. Domina, da mihi reo
Remissionis gratiam,
Ut tibi datam a Deo
Laudem misericordiam.

C.

989. Misericordiam Dei
Reos facis percipere,
Qui iam pleni per te spei
Deum fatentur munere.

990. Munere tuo suffultus
Carnis spernit participem,
Saeculi fugit tumultus,
Mundi triumphat principem.

991. Principem autem gloriae
Cum sua non vult anima
A tua, virgo, facie
Egressus honestissima.

992. Honestissima virginum,
Mihi semper appropria
Remissionem criminum
Dans, Maria, cum gloria.

993. Gloria manens immensa
Vobis a vestris subditis,
Fili pure, mater pura,
Qui caelum verbo clauditis.

CI.

994. Domine rex, exaudias
Matris tuae mancipium
Et per hanc me perficias,
Christe, redemptor omnium.

995. Omnium Christi servorum
Te adorat exercitus,
Maria, spes salvandorum,
Illapsa nobis caelitus.

996. Caelitus nobis effluit
Per te misericordia,
Et cor nostrum, quod aruit,
Caelestis intrat gratia.

997. Gratia tua mihi det
Salubrem potum fletuum,
Qui me purget et solidet
Et nunc et in perpetuum.

998. Perpetuum dant honorem
Nomini tuo populi,
Hisque se dat salvatorem
Christus in fine saeculi.

999. Saeculi salvas scelestos,
Omni laude dignissima,
Mariae per dies festos
Omnis benedic anima.

CII.

1000. Benedic, anima mea,
Sanctae Mariae virgini,
Ut proxima tibi ea
Cedant tenebrae lumini.

1001. Lumini tuae gratiae
Iungar, virgo clarissima,
Per quod soli iustitiae
Sint pura cordis intima.

1002. Intima sit humilitas
Te laudare sollicita,
Mater, cuius fecunditas
Solis reduxit orbita.

1003. Orbita desideria
In me diu caelestium
Suscita tua gratia,
Beata spes mortalium.

1004. Mortalium spiritibus
Aegris salus refunditur,
Tuis, virgo, virtutibus
Lapsis fides revertitur.

1005. Revertitur et placatus
Ad corda paenitentium
Per tuos Deus precatus
Donans eis remedium.

1006. Remedium gratum, mater,
Tua prece dat sedula
Filius sive is pater,
Qui est et ante saecula.

1007. Saecula regens omnia,
Quem adlactasti, Dominus
Dat tibi pro familia
Aurem benignam protinus.

1008. Protinus ergo rogita,
Maria, pro familia,
Ut ea facta placita
Deo patri sit gloria.

1009. Gloria manens immensa
Vobis a vestris subditis,
Fili pure, mater pura,
Qui caelum verbo clauditis.

CIII.

1010. Benedic, anima mea,
Mariae praelationem,
Ut recipias ab ea
Largam benedictionem.

1011. Benedictionem gentium
In omni, virgo, patria
Dedit tibi rex omnium,
Qui regna dat caelestia.

1012. Caelestia munimina
Percipiam feliciter
Nomen tuum, o domina,
Hic confitendo iugiter.

1013. Iugiter tuam faciem
Pande mihi, christifera,
Quae homines ad requiem
Partim levas in aera.

1014. Aera me fac perflare
Gratiae valde lucida,
Ut ad Iesum evolare
Mens iam resurgat torpida.

1015. Torpida caro nimium
Animae mortem ingerit,
In qua per te daemonium
Viam nocendi deserit.

1016. Deserit tibi devotus
Mundum carni dans limitem,
Calcat Christo suo fotus
Superbum ac satellitem.

1017. Satellitem superbiae
Excludas a me penitus
Mihique, mater gratiae,
Largire dona spiritus.

1018. Spiritus humilitatis
Per te detur huic homini,
O medullae meae, satis
Mariae confitemini.

CIV.

1019. Confitemini Mariae,
Corda, voces et opera,
Vos illustret omni die
Excelsa super sidera.

1020. Sidera, sol atque luna
Sunt amicta quamvis velo,
Virgo, pari carens una,
Nova veniens e caelo.

1021. Caelo Iesu te vicinam
Devota mente credimus
Et ad te caeli reginam
Mentes manusque tollimus.

1022. Tollimusque nostras laudes
Ad te superna gratia,
Ut nostrum ad mundi fraudes
Nullum levet iactantia.

1023. Iactantia hac carere
Fac me, mater amabilis,
Ut queam tibi placere
Pauper, servus et humilis.

1024. Humilis virgo Maria,
Domus pudici pectoris,
Per te munda stet in via
Compago nostri corporis.

1025. Corporis mei miseri
Expelle somnolentiam,
Et, ne terat, hoc conteri
Dona per abstinentiam.

1026. Abstinentiamque per te
Servent mea praecordia,
Maria, quam decet certe
Laus et perennis gloria.

1027. Gloria manens immensa
Vobis a vestris subditis,
Fili pure, mater pura,
Qui caelum verbo clauditis.

CV.

1028. Confitemini nomini
Dominae dominantium,
Quae misericors homini
Dat robur, fert auxilium.

1029. Auxilium in adversis
Tuis praesta cultoribus,
Effulgens a te conversis
Nocturna lux viantibus.

1030. Viantibus in hac via
Cooperta caligine
Lucens clare, lux Maria,
Reple nos tuo lumine.

1031. Lumine tuo placito,
Quo virtutes corda ferant,
Reddantur clara subito,
Quae obscura prius erant.

1032. Erant ante tuam lucem
Errantes Dei servuli,
Nunc sequuntur lucis ducem
Terrore victo saeculi.

1033. Saeculi iam munimina
Spernunt homines plurimi,
Per te sumentes, domina,
Donum Dei altissimi.

1034. Altissimi ergo matris
Laus et honor sit nomini,
Et vos, fratres Iesu fratris,
Parenti confitemini.

CVI.

1035. Confitemini in primis
Matri misericordiae,
Per quam bonam factam nobis
Datur triumphus gratiae.

1036. Gratiae tuae splendore,
Quo demptio fit criminum,
Corde fatemur et ore
Resurrexisse Dominum.

1037. Dominum, virgo praeclara,
Lactatasti satis ubere,
Qui nos salvans crucis ara
Victor surgit e funere.

1038. E funere quoque surgens
Te visitat diluculo.
Daemonum vires confringens,
Tyrannum trudens vinculo.

1039. Vinculo mortis soluti
Per partus tui gratiam
Te laudamus laeti, tuti
Et nos novi per veniam.

1040. Veniam mox inveniam,
Cuius sensus saepe cadunt,
Quoniam, me per gratiam
Si respicis, lapsi stabunt.

1041. Stabunt cuncti potentia
Tuo stantes servitio,
His inerit munditia
Et spiritalis unctio.

1042. Unctio per te pneumatis
Sic cor ungat et labia,
Quod formam Christi dogmatis
Servem inde cum gloria.

1043. Gloria manens immensa
Vobis a vestris subditis,
Fili pure, mater pura,
Qui caelum verbo clauditis.

CVII.

1044. Paratum, virgo, cor meum,
Paratum tibi psallere,
Ut praebeas illi Deum
Maiore tuo munere.

1045. Munere caeli munerat
Vacantes tuis laudibus
Iesus Christus et numerat
Cum angelis caelestibus.

1046. Caelestibus autem donis
Plenissima prae omnibus,
Memor miserationis
Nostris faveto precibus.

1047. Precibus meis maxime
Aurem tuam accommoda
Meae, mater, dans animae
Vitae perennis commoda.

1048. Commoda das vitalia,
Sed vana salus hominis,
Non habens prompta labia
Ad laudem tui nominis.

1049. Nominis tui virtutem
Si ruminet rite reus,
Illi per te dat salutem
Plasmator hominis Deus.

CVIII.

1050. Deus, laudem sacra meam,
Qua laudo dignam laudibus,
Nec dilui sinas eam
Credentium de finibus.

1051. Finibus nostris, domina,
Haec laus tua permaneat,
Dilectio stet gemina,
Laetus dies hic transeat.

1052. Transeat dies cor meum
Sine sorde, sine fraude,
Per te, virgo, laudans Deum,
Plena modulis in laude.

1053. Laude Iesu firma meam
Linguam atque praecordia,
Gustem gaudium per eam
Mundana vincens gaudia.

1054. Gaudium da menti, mater,
In adversis ne concidat,
Assit per te iuvans frater,
Quo vita nusquam decidat.

1055. Decidat adversarius
Omnis, qui me persequitur,
Per te, virgo, qua longius
Mucro latronis conditur.

1056. Conditur Dei gratia
Tuis astans obsequiis
Saginatur laetitia,
Laetus potitur praemiis.

1057. Praemiis iam maioribus
Caeli fruens in gloria
Tuis tandem in precibus
Beata nobis gaudia.

1058. Gaudia tibi et melos,
Iubilus ac psalmodia,
Maria, cui super caelos
Laus, honor, virtus, gloria.

1059. Gloria vobis pariter,
Qui caelum verbo clauditis,
Maria, Iesu, pariter
Serasque eius solvitis.

CIX.

1060. Dixit Dominus cunctorum
Ad Dominum dominorum:
Ponam perfidos errorum
Scabellum pedum tuorum.

1061. Tuorum lex mandatorum
Crescit in terra multorum,
Fili Domini caelorum,
Lux splendoribus sanctorum.

1062. Sanctorum sanctum, Maria,
Virga Sion, protulisti,
Gratia cuius in via
Reges irae confregisti.

1063. Confregisti mortis portas,
Quae virtutem, virgo, fluis,
Vitae porta, vitam portas,
Dominus a dextris tuis.

1064. Tuisque per te famulis
Assit brachium supernum,
Quo nos solvat a vinculis
Stans sacerdos in aeternum.

1065. In aeternum in laudibus,
Virgo, tuis exercebor
Nominisque virtutibus
Tui semper confitebor.

CX.

1066. Confitebor tibi, mater,
In conventu fidelium,
Cui dat per te Deus pater
Hereditatem gentium.

1067. Gentium mater multarum,
Casum ponens caligini,
Nomen tuum reddunt clarum
Magna opera Domini.

1068. Domini tui filii,
Qui pascit omnem populum,
Omnis contemptor vitii
Memor erit in saeculum.

1069. In saeculumque saeculi
Erit tui memoria,
Maria, salus populi,
Solacium et gloria.

1070. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

CXI.

1071. Beatus te timens Deum,
O fili matris gratiae,
De caelo fluent ad eum
Gloria et divitiae.

1072. Divitiae, quae sunt caelis,
Ditant, virgo, servos tuos,
Ob quod a te plebs fidelis
Disponit sermones suos.

1073. Suos iactans in te gressus
Et interna lux superna,
Cuius laudis est processus
In memoria aeterna.

1074. Aeternales sanctiones
Sunt, Maria, per te datae,
Tuae miserationes
In saeculum sunt laudatae.

CXII.

1075. Laudate, sensus hominis,
Iesum nocentem nemini,
Laudate partum virginis,
Laudate nomen Domini.

1076. Domini mater celebris,
Fac in Deo nos stabiles,
Qui superbos dans tenebris
Iam exaltavit humiles.

1077. Humiles nos redde Deo,
Ne tradamur tortoribus,
Sed parvulos nos sub eo
Colloca cum principibus.

1078. Principibus angelorum
Commenda me propitia,
Maria, salvatrix horum,
Qui orant te cum gloria.

1079. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

CXIII.

1080. In exitu de saeculo
Lumen meis da gressibus,
Quae luces Dei populo,
Pusillis cum maioribus.

1081. Maioribus maior mater,
Dulcis manens in aeternum,
Fac, erigat Deus pater,
Qui descendunt in infernum.

1082. Infernum duc meam mentem,
Aeterne dux animarum,
Quae portasti convertentem
Rupem in fontes aquarum.

1083. Aquarum sanctificator
Elementis te praefecit,
Qui tui, virgo, sacrator,
Quaecunque voluit, fecit.

1084. Fecit te dominam poli,
Terrae, maris et omnium,
Se faciens et te coli,
Non simulacra gentium.

1085. Gentium damnant idola
Ea colentem hominem,
Sed salvatur Iesucola
Colens tuam imaginem.

1086. Imaginem puer tuam
Contemplans mirabiliter
Te perfecit sponsam suam
Per annulum fideliter.

1087. Fideliter consueta
Te petentis desponsare
Recepisti mansueta
Annulum digito clare.

1088. Clare videns miraculum
Puer socios vocavit
Astrictumque sic annulum
In imaginem monstravit.

1089. Stravit sese tunc iuvenis
Sub iugo tui amoris,
O Maria, quae subvenis
Caris tuis cunctis horis.

1090. Horis memorans omnibus
Tui carnis sponsam sprevit,
Quo quippe cum virtutibus
Amor Iesu per te crevit.

1091. Crevit et desiderium
Post haec in eo carnale
Tractansque matrimonium
Votum liquit spiritale.

1092. Tale conubium stare,
Maria, non permisisti
Propter votum salutare
Tibi factum, mater Christi.

1093. Isti namque quiescenti
In lectulo cum uxore
Fuit turris tutamenti
Tis imago miro more.

1094. More sponsae prohibuit
Sponsum vota violare,
Dum in medio iacuit
Volens eum conservare.

1095. Servare, Maria, tibi
Nitens, quem sic desponsasti,
Rursus minas ferens sibi
A coniuge revocasti.

1096. Castitate tunc succinctus
Mundum sprevit et vitia
Eremoque Iesu vinctus
Te coluit cum gloria.

1097. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

CXIV.

1098. Dilexi tuum filium,
Qui per precem, virgo, tuam
Ad tribulatum nimium
Inclinavit aurem suam.

1099. Suam iustus iustitiam
Perfici per te fatetur
Et petentibus veniam
Deus noster miseretur.

1100. Miseretur memoribus
Tui beneficiorum,
His se tuis dans precibus
In regione vivorum.

1101. Vivorum in mortis umbra
Sedentium sede sedi,
Sed mihi, mater, obumbra,
Quae lux vera debes credi.

CXV.

1102. Credidi te succurrere
Collapso, mater, in imis,
Qui volens alta sapere
Humiliatus sum nimis.

1103. Nimis vero conculcatus
Amare mundum desino
Et tibi sic emendatus
Quid retribuam Domino?

1104. Domino redde, domina,
Me, qui dicor fore suus,
Rumpens culpae ligamina,
Quia ego servus tuus.

1105. Tuus esse desidero
Et de tua familia,
Maria, cui me offero
Sub tuae laudis gloria.

1106. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

CXVI.

1107. Laudate sanctam Mariam,
Qui diligitis Dominum,
Quae in pacis verae viam
Dirigit pedes hominum.

1108. Hominum reddunt labia
Tibi votum sempiternum,
Quibus misericordia
Per te manet in aeternum.

1109. In aeternum miseretur,
Maria, mater Domini,
Ut nobis propitietur,
Huic rei confitemini.

CXVII.

1110. Confitemini Domino
Dominae, quoniam bonus,
Bonis laboris termino
Est ad dandum regnum pronus.

1111. Pronus ad te, o Maria,
Laudes tuas in spe promo,
Da, non timeam in via,
Quid faciat mihi homo.

1112. Homo iam iniquitatis
Mihi minuit amicos,
Sed praesta quod pressus satis,
Despiciam inimicos.

1113. Inimicos evertere
Velis, mater potentiae,
Aperiens in vespere
Mihi portas iustitiae.

1114. Iustitiae da virtutem,
Maria, cum modestia,
Qua post istam senectutem
Coroner per te gloria.

1115. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

CXVIII.

Aleph.

1116. Beati immaculati,
Agni matrem, expers sordis,
Confiteantur renati
In directione cordis.

1117. Cordis mei mens laetatur,
Virgo, tuis obsequiis,
Sicut dives delectatur
In omnibus divitiis.

1118. Vitiis ne nimis graver,
Ad te, mater, adpropinquo,
Ut autem immundus laver,
Da, Maria, fontem, in quo.

Beth.

1119. In quo corrigit impiam
Adulescentior viam?
Per frequentem memoriam
Exquirendo te Mariam.

1120. Mariam, cor meum, quaere
Dantem sacrae potum aquae,
Ut potum carnis severe
Declinemus usquequaque.

1121. Aquae salubris liquorem
Da, Maria, continue
Ac danti tibi honorem
Famam bonam retribue.

Gimel.

1122. Retribue servo tuo
Virtutem inter populos,
Ut figatur Deo suo,
Revela meos oculos.

1123. Oculos, mater, convertens
Ad meum soliloquium
Et a turba me divertens,
Aufer a me opprobrium.

1124. Opprobrium invidorum
Vitam meam multum laesit
Eo, quod post spem vanorum
Cor meum nimis adhaesit.

Daleth.

1125. Adhaesit anima mea
Tibi, virgo, quae lac fluis,
Ut exerceatur ea
In mirabilibus tuis.

1126. Tuis meritis agere
Gratias promptus per Deum,
Quem merui recipere,
Cum dilatasti cor meum.

1127. Meum cor, Maria, stetit
Procul a tua gratia,
Nunc iuxta te bona metit,
Unde vivat in gloria.

1128. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

He.

1129. Legem mihi, Iesu, pone,
Ut deponat caro suam
Matris intercessione,
Et scrutabor legem tuam

1130. Tuam per precem, regina,
Ad paupertatis gloriam
Cor meum semper inclina
Et non in avaritiam.

1131. Avaritiam spernere
Fac me, virgo christifera,
Et semper concupiscere
Aeterna Christi munera.

1132. Munera tua, Maria,
Saepe capiunt egeni,
Surgas ergo, potens, pia,
Cum muneribus et veni.

Vau.

1133. Et venias adorare
Castitate preces eas,
Quibus coepi te laudare
Et levavi manus meas.

1134. Meas vias, fac, ambiat,
Munda mater, munditia,
Et mundatas custodiat
Tua misericordia.

1135. Misericordia tua
Tectum linquit malus tremor,
Maria, quae vota sua
Tibi solventis sis memor.

Zain.

1136. Memor fiam summi verbi,
Quod intacta peperisti.
Quo corruerunt superbi,
In quo mihi spem dedisti.

1137. Dedisti gentibus pacem
Litem movente Iudaea,
Dans fidei, virgo, facem
In humilitate mea.

1138. Mea consumpsit merita
Meae mentis elatio,
Sed humilitas placita
Ex tunc mea sit portio.

Heth.

1139. Portio mea, Maria,
Verbum veram dans requiem,
Ob quod tuam prece pia
Deprecatus sum faciem.

1140. Faciem terrae pessima
Operuit fera guerra,
Nunc per te pace maxima
Pleni sunt caeli et terra.

1141. Terra gaudet fidelium
Per tuam fecunditatem,
Vitale fert remedium
Et virtutum bonitatem.

Teth.

1142. Bonitatem et gloriam
Condunt boni sinu suo
Per te, virgo, quae gratiam,
Fecisti cum servo tuo.

1143. Tuo meum auxilio
Cor desideria sua
Figat in Dei filio
Et in bonitate tua.

1144. Tua, Maria, gratia
Efficiar ipse sanus,
Quia sanantur omnia,
Quaeque tangit tua manus.

Iod.

1145. Manus tuae largitatem
Pauperibus dives flue,
Quia in omnem aetatem
Miserationes tuae.

1146. Tuae misericordiae
Des optimum, virgo, datum,
Quo Iesu fiat hodie
Cor meum immaculatum.

1147. Immaculatum faciens
Me semper ab invidia,
Maria, satis largiens,
Unde sumatur gloria.

1148. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

Caph.

1149. Defecit omnis amicus
Mihi facto mundo gravis,
Sed respirem, qui mendicus
In verbum tuum speravi.

1150. Speravi te spiraculum
Mittere mihi, regina,
Facto, cum amo saeculum,
Sicut uter in pruina.

1151. Pruina ergo carnalis
Non premat sensum internum,
Nec dilectio moralis,
Sed amor stans in aeternum.

Lamed.

1152. In aeternum mater Dei
Manens, fac me gratum sibi,
Quoniam, quae parent ei,
Omnia serviunt tibi.

1153. Tibi servientis vita
Participet dextrae bonis
In ira per te munita
Omnis consummationis.

1154. Consummationis meae
Die cogitans amodo,
Consulere vitae reae
Sciam, Maria, quomodo.

Mem.

1155. Quomodo dilexi parum
Te, Maria, cum filio,
Inde reddens cor amarum
Mea est meditatio.

1156. Meditatio, quam de te
Habeo Iesu laudibus,
Reddit verba Christi laete
Dulcia meis faucibus.

1157. Cibus est delectabilis
Laus tua fovens interna,
Potus desiderabilis
Vita, virtus, lux, lucerna.

Nun.

1158. Lucerna meis pedibus
Sit Iesus natus pro reis
Tuis, Maria, precibus
Et lumen semitis meis.

1159. Meis, proh dolor, semitis
Et laqueos et timores,
Ut ponerer in abditis,
Posuerunt peccatores.

1160. Ores instanter, Maria,
Ut me servet et amicos
Iesus Christus in hac via,
Ne ruamus per iniquos.

Samech.

1161. Iniquos actus odio
Habui nimium sero,
Sed, virgo, coram filio
Adiuva me, salvus ero.

1162. Ero adhuc vir inclitus,
Si mihi vis opem ferre,
Mater, cui dant reditus
Omnes peccatores terrae.

1163. Terrenis nimis adhaesi,
Ideo parum profeci,
Verbo, velle multos laesi,
In horis quoque defeci.

Ain.

1164. Feci malum iudicium,
De personis fictionum
Sed conieci eloquium,
Fac servum tuum in bonum.

1165. Bonum, precor, imitari
Fatum fac me, fons gratiae,
Malum in bonum scrutari,
Eloquium iustitiae.

1166. Iustitiae, veritatis
Lingua subtrahit merita,
Sed os taciturnitatis
Da, Maria, cum gloria.

1167. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

Phe.

1168. Mirabilia exsistunt
De te dicta in populis,
Per te, qua cuncta subsistunt,
Intellectum da parvulis.

1169. Parvulis factis devote
Offerens, virgo, Dominum,
Redime me obsecro te
A calumniis hominum.

1170. Hominum linguis igneis
Scis, Maria, sum exustus,
Cum regulis idoneis
Vacarem licet iniustus.

Sade.

1171. Iustus manens in aeternum
Da per matris suffragium,
Ut non det me tortoribus
Rectum tuum iudicium.

1172. Iudicium, mater Dei,
Iustitia in aeternum
Convertas sic, ne nos rei
Deducamur in infernum.

1173. In infernum dantur reges.
Quorum acta sunt profana,
En, pereunt sanctae leges,
Sed ad Iesum inde clama.

Coph.

1174. Clamavi corde et ore
Ad te, virgo, diluculo,
Ut gaudio et maerore
Praesto meo sis corculo.

1175. Corculo turbato meo
Faciem tuam requiram,
Ut tollas, mater, ab eo
Indignationis iram.

1176. Iram malam et odium
Ferunt sub pacis chlamyde
Proditores simplicium,
Sed tales a me divide.

Resch.

1177. Vide nunc humilitatem
Me prementis angustiae,
Dispergens suavitatem
Multae misericordiae.

1178. Misericordiae multae
Multi memores fuerunt,
Qua rursus ad vitae suae
Lumen adpropinquaverunt.

1179. Caverunt sibi a malis,
Qui fuerunt participes
Gratiae tuae vitalis
Per hanc vincentes principes.

Sin.

1180. Principes me persecuti
Sunt, cum sequi vellem Deum,
Armis mundi sunt induti,
Et formidavit cor meum.

1181. Cor meum autem firmius
Stet tuo patrocinio,
Semper habens peramplius
Iniquitatem odio.

1182. Odio carnem habeat
Mens mea et te non linquat,
Tecum, Maria, maneat,
Ut Iesus hinc adpropinquat.

Tau.

1183. Adpropinquat ergo laeso
Tua, virgo, respectio,
Quod ad Iesum mea, quaeso,
Intret nunc postulatio.

1184. Postulatioque tua
Dirigat, qui te quaesiit,
Errantem in fuga sua
Sicut ovis, quae periit.

1185. Periit iam gens peccatrix
Mutata tua gratia,
Per te, Maria, sectatrix
Iesu facta cum gloria.

1186. Gloria tuo filio,
Veritas et iudicium,
Et tibi laus cum gaudio,
Quae misereris omnium.

CXIX.

1187. Ad Dominum salvatorem
Tu convertens plebem ream,
Per precis tuae valorem
Libera animam meam.

1188. Meam vitam tribulatam
Vallans, valens, virtuosa,
Ne gratiam mihi datam
Distrahat lingua dolosa.

1189. Dolosa conventicula
Vitem et irae fornacem
Florens quiete sedula
Cum his, qui oderunt pacem.

1190. Pacem habens pacem ponis,
Virgo vere pacifica,
Pacis et salvationis
Renatorum spes unica.

1191. Unica pacis tutela,
Qua feritur fera saeva,
Maria, manum releva
Et ab ira laesum leva.

CXX.

1192. Levavi oculos meos
Ad tuam respectionem,
Quatenus vanitas eos
Non det in commotionem.

1193. Commotionemque mentis
Et Satanae preme guerram,
Mater illius potentis,
Qui fecit caelum et terram.

1194. Terram levans, ornans caelum,
Hominum delens facinus,
Ob humanum fecit zelum
Animam tuam Dominus.

1195. Dominus, inquam, gratiae
Te praefecit matrem suam,
Ut humanae miseriae
Det manum dexteram tuam.

1196. Tuam, Maria, gratiam
Percipiam carne spreta,
Ut in Iesu dem gloriam
Tibi semper mente laeta.

CXXI.

1197. Laetatus sum, o Maria,
Quotiens te laudo satis,
Nam tunc custodia pia
Exstas meae castitatis.

1198. Castitatis inimici,
Laedentes in iudicio,
Hos, qui tui sunt amici,
Non torquebunt incendio.

1199. Incendio pretioso
Amoris fac me cremari,
Ut in regno glorioso
Merear tecum laetari.

1200. Laetari iam omne facis
Cor te quaerens, te sapiens,
In turribus multae pacis
Firmiter hoc stabiliens.

1201. Stabiliens stabilita
Praesta mihi constantiam,
Maria, pacis perita,
Procurans pacis gloriam.

1202. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXXII.

1203. Ad te levavi oculos
Rogitans virgo, Maria,
Ut quid obliger populos
Dirigas in Iesu via.

1204. Via mala hac aperte
Te cor meum veneratur,
Donec sui, mater, per te
Dominus misereatur.

1205. Misereatur etiam
Meorum benefactorum
Ob tui reverentiam,
Ut salvatrix sis eorum.

1206. Eorum, qui te adorant,
Ad Iesum corda dispone,
Ne pulsi, qui te honorant,
Sint semper desperatione.

1207. Honesti redduntur Christo
In te, Maria, confisi,
In orbe nos ob hoc isto
Te laudare sumus nisi.

CXXIII.

1208. Nisi quia fores mecum,
Quae virtutibus emines,
Me cepisset Satan secum,
Dum resurgerent homines.

1209. Homines et daemonia
Iam me vivum deglutissent,
Nisi tua potentia
Repressi vim amisissent.

1210. Amisissent vim virium
Plures mecum facti fumus,
Sed dedisti subsidium,
Et nos liberati sumus.

1211. Sumus, Maria, erepti
Per manum tuam agilem,
Cum transiremus decepti
Aquam intolerabilem.

1212. Habilem ad peccamina
Sensum devoti concidunt
Per te, Maria domina,
Fortes, in te qui confidunt.

CXXIV.

1213. Qui confidunt in te, mater,
Teguntur pacis habitu
Horumque stat tamquam pater
Dominus in circuitu.

1214. Circuitu cordis mei
Sta, protectrix pusillorum,
Nusquam super servum Dei
Linquens virgam peccatorum.

1215. Peccatorum graviorum
Saepe cinctus multa sorde,
Fac, sim spretor iam malorum
Cum bonis et rectis corde.

1216. Corde non sunt cogitatus
Iusti ad iniquitatem,
Ego autem inclinatus
Frequenter ad voluptatem.

1217. Voluptatem carnis saevae
Per te, Maria, fugiam,
Quae per ingluviem Evae
Amissam reddit gloriam.

1218. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXXV.

1219. In convertendo captivos
Nos ad te, spes captivati,
Vincentes motus passivos
Facti sumus consolati.

1220. Consolati mei sensus
Sunt in tuo servitio,
Tunc spiritus est suspensus
Et repletum os gaudio.

1221. Gaudio tecum gaudere
Fac me meis novissimis,
Virgo, per quam cessant flere,
Qui seminant in lacrimis.

1222. Lacrimis irriger bonis
Peccator in laude tua,
Mater, quae in messe ponis
Mittentes semina sua.

1223. Suavis, sume semina
Laudum, quae tibi praemisi,
Et tribulos extermina,
Quae ferre sunt hostes nisi.

CXXVI.

1224. Nisi, virgo, respicias
In eos, qui peccaverunt,
Agentes paenitentias
In vanum laboraverunt.

1225. Laboraverunt in vanum
Lingua, manus multis horis,
Quia cor non erat sanum
Edentis panem doloris.

1226. Doloris abundantiam,
Quae inhaeret meae menti,
Convertas in laetitiam
In manu tua potenti.

1227. Potenti, mater, columna
Fulcitur, quem benedicis,
Non confundetur aerumna,
Cum loquetur inimicis.

1228. Micis illapsis de mensa
Catelli sunt impinguati,
Et gratiae tis in mensa
Miseri fiunt beati.

CXXVII.

1229. Beati sunt, qui veniunt
Ad te, fecunda fecundans,
His etenim, cum sitiunt,
Sicuti vitis abundans.

1230. Abundans bonis omnibus
Da munera gratiarum,
Quibus vigeam fructibus
Ut novellae olivarum.

1231. Olivarum das liquorem
His, in quorum manes domo,
Hunc gratiae sumens rorem,
Sic benedicetur homo.

1232. Homo pauper te petere
Debet, oliva virginum,
Quia refoves prospere
Omnes, qui timent Dominum.

1233. Dominum per te formidam,
Qui odit iniustitiam,
Maria, per cuius fidem
Reddidit Deus gloriam.

1234. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXXVIII.

1235. Saepe offenderunt Deum
Iuventutis meae mores,
Ob quod supra dorsum meum
Fabricarunt peccatores.

1236. Peccatores hos per vires
Tuas vince, vis passorum,
Ut aemulorum cervices
Fiant ut foenum tectorum.

1237. Tectorum per stillantia
Evitem per precem tuam,
De quorum irae pluvia
Os implevit manum suam.

1238. Suam iram is reprimit,
Qui vacat tuo nomini,
Ab adversis hunc redimit
Benedictio Domini.

1239. Minime perit anima,
Cui gratiam tuam fundis,
Maria, manu maxima
Trahens lapsos de profundis.

CXXIX.

1240. De profundis clamaverunt
Ad te, mater, pereuntes,
Et eis semper fuerunt
Aures tuae intendentes.

1241. Intendentesque velocem
Dant succursum plebi reae,
Exaudiat ergo vocem
Deprecationis meae,

1242. Meae menti multotiens
Adpropinquavit ruina,
Cui fias, virgo sapiens,
Custodia matutina.

1243. Matutina lux Maria,
Quae fudisti lucem Deum,
Esto mihi lux et via
Copiosa apud eum.

1244. Eum fide nunc videnti
Da Iesum caeli lumine,
Et Mariae servienti
Da te, Iesu, mi Domine.

CXXX.

1245. Domine, non est similis
Matri tuae in moribus
Nec virtute tam nobilis
Neque in mirabilibus.

1246. Mirabilibus sunt tuis
Conversae gentes ad Deum,
In te, quae gratiam pluis,
Exaltatum est cor meum.

1247. Meum cor cum te cogitat,
Laetum habet spiraculum,
Virgo, post quam plebs cursitat
Nunc et usque in saeculum.

1248. Saeculum me absorbuit
Angustiarum in stagnis,
Vita cuius te caruit,
Cum ambulavi in magnis.

1249. Magnis vero periculis
Percepi tuam gratiam,
Maria, tuis servulis
Servans insignem gloriam.

1250. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXXXI.

1251. Memento, Iesu Domine,
Tuae mansuetudinis
Et orante te virgine
Dimitte noxam criminis.

1252. Criminis expers Maria,
Fac, quod saepe te rogavi,
Uti reddam vota tria,
Sicut Domino iuravi.

1253. Iuravi et non tenui,
Sed oblitus factus Dei
Cito carnem non respui
Intrans lectum strati mei.

1254. Mei oderunt oculi
Corporis surrectionem,
Sed lux eis cubiculi
Aufert dormitationem.

1255. Dormitationem mentis
Vi fugans orationis,
Arca foederis potentis,
Arca benedictionis.

1256. Benedictionis dator
Te iubilo iam erexit,
Verus matris honorator
Carnem suam caelo texit.

1257. Texit sanctum corpus tuum
Stola immortalitatis,
Unde corpus sumpsit suum
Ipse Deus veritatis.

1258. Veritatis praedicator,
Augustinus, lux doctorum,
Huius fidei probator
Per sermonem est decorum.

1259. Chorum credens angelorum
Te, Maria, transcendere
Et iuxta sanctum sanctorum
Corpus tuum existere.

1260. Hereditas haec est tua,
Ut regina sis caelorum,
Cui omnia dedit sua
Iesus, rex regum cunctorum.

1261. Horum memorem perfice
Per Augustini merita,
Qui te, Maria, publice
Laude praedicant inclita.

1262. Itaque iam fide pia
Testantur viri probati
Assumptionem, Maria,
Corporis tui sacrati.

1263. Sacrati tui corporis
Factam resurrectionem
Credimus sani pectoris
Tui per devotionem.

1264. Devotionem hanc sectans
Elisabeth rapta rursum,
Corpus tuum vidit spectans
Glorificatum iam sursum.

1265. Sursum preces ad te latas
Offer ante Iesu thronum,
Laudes tibi ergo gratas
Offerre, ecce, quam bonum.

CXXXII.

1266. Ecce, quam bonum, iucundum
Te laudare sollicite,
Cuius munus est fecundum
Ut unguentum in capite.

1267. Capite, mea intima,
Mariae collationem,
Per quam Deus ad infima
Mandat benedictionem.

1268. Benedictionem multam
Virgo ferens ad populum,
Benedic meam adultam
Vitam usque in saeculum.

1269. Saeculum amens arescit,
Cordis, carnis plenum poenae,
Sed amans te requiescit
Et crescit, ecce, nunc bene.

CXXXIII.

1270. Ecce, nunc benedicite
Sanctae Mariae virgini,
Grates dignas rependite
Huic, omnes servi Domini.

1271. Domini et servi mundi,
Magni, parvi, iusti, rei
Per te, virgo, stant iucundi
In atriis domus Dei,

1272. Dei veri venerantes
Per te sanctam ecclesiam,
Sibi atque tibi dantes
Et honorem et gloriam.

1273. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXXXIV.

1274. Laudate nomen virginis,
Labia mea protinus,
Per quam animam hominis
Elegit sibi Dominus.

1275. Dominus, qui reges regit,
Dat, Maria, reos tibi
Et per te multos elegit
In possessionem sibi.

1276. Sibi quoque fac me gratum,
Maria, spes propitia,
Quae per ipsum facis natum
Signa atque prodigia.

1277. Prodigia semper pandit
Is Deus in servis tuis,
Qui per orbem hunc expandit
Ventos de thesauris suis.

1278. Suis ventis in me laesum
Mortis perflare consortes,
Quos confregisti per Iesum,
Qui occidit reges fortes.

1279. Fortes fiunt in vim hostis
Psallentes tuo nomini;
Qui virtutem eius nostis,
Mariae confitemini.

CXXXV.

1280. Confitemini Domino
Et dominae cum effectu,
Qui lustrant sine termino
Omnes caelos intellectu.

1281. Intellectu miro clarens
Lux super luminaria,
Mira facis, sancta parens,
Et magna mirabilia.

1282. Mirabilia ostendis,
In potestatem diei
Et clarae lucis intendis
In obscuritatem rei.

1283. Rei, qui tuo nomini
Astant per devotionem
Solvantur manu Domini,
Qui excussit Pharaonem.

1284. Pharaonem et Aegyptum
Israel tradens amicis
Per te nos, ut scimus scriptum,
Redimit ab inimicis.

1285. Inimicis circumdatis
Subveni, magna domina,
Miserere perismatis,
Proiecti super flumina.

CXXXVI.

1286. Super flumina sedentis
Ploratus et angustiae
Memento, te requirentis,
Maria, fons laetitiae.

1287. Laetitiae spiritalis
Auctrix, cautrix, pacis vena,
Tege semper tuis alis
Nos in terra aliena.

1288. Aliena fit mens Christo
Et expers gaudii sui,
Hanc in mundo perdam isto,
Si non meminero tui.

1289. Tui ergo memoriam
Mens habeat semper mea,
Et tu, Maria, gratiam
Fac fundamentum in ea.

1290. In ea, quaeso, caterva
Non maneam, sed fugiam,
Quae non reliquit proterva
Ob Iesu Christi gloriam.

1291. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXXXVII.

1292. Confitebor tibi, Deus,
Et Mariae, matri Dei,
Per quam tutor factus meus
Audis verba oris mei.

1293. Mei oris laus unica,
Laus caelorum, laus iustorum,
Laudes meas magnifica
In conspectu angelorum.

1294. Angelorum es domina,
Cui dat Deus verbum suum,
Sanctorum laudant agmina
Semper nomen sanctum tuum.

1295. Sanctum tuum eloquium
Non cessant ora proferre,
Tuumque patrocinium
Petunt omnes reges terrae.

1296. Terrae cunctae fidelium
Signantur tuo nomine
Pro culpis sacrificium
Terentes, caeli Domine.

CXXXVIII.

1297. Domine, probans depressam
Creaturam tibi, ream,
Prece matris fac professam
Resurrectionem meam.

1298. Meam cogitationem
Multam et cordis intima
Ponas in salvationem,
Quae cognoscis novissima.

1299. Novissima et antiqua
Gens emendat vitam suam
Per te, quae non ad iniqua
Petivisti manum tuam.

1300. Tuam obdormitionem
Iudaei quondam scientes
Oculorum visionem
Amiserunt irruentes.

1301. Irruentes quoque manus
Principis mox aruerunt,
Sed te credens vidit sanus,
Quae super se claruerunt.

1302. Claruerunt excaecati
Tibi dantes fidem suam,
Cum manus primi sanati
His deferret palmam tuam.

1303. Tuam misericordiam
Tam perfido dans populo
Ad Christi para gloriam
Pennas meas diluculo.

1304. Diluculo ac serulo
Velis opem mihi ferre,
Ne tradar mortis pabulo
Inferioribus terrae.

1305. Terrae rectrix, spes gentium,
Nauta maris, lux, lucerna,
Me post praesens naufragium
Deduc in via aeterna.

1306. Aeterna regnans requie
Cum Iesu, pacis principe,
Ab omni mala specie,
Maria, me nunc eripe.

CXXXIX.

1307. Eripe me, dominatrix,
Ab olente carnis sorde
Ferentium sis sublatrix
Iniquitates in corde.

1308. Corde mali sunt locuti
Linguas suas acuentes
Et me plagarunt imbuti
Veneno sicut serpentes.

1309. Serpentes invisibiles
In me suscitarunt eos,
Ut quosque queant humiles
Supplantare gressus meos.

1310. Meos eapropter pedes
Iam dirige, dux Iudaeae,
Et dissipes horum sedes,
O virtus salutis meae.

1311. Meae mentis mansionem
Sternant sicut maceriam,
Nisi des defensionem,
Maria, quae das gloriam.

1312. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXL.

1313. Domine, clamavi multum
Ad te matris obsequio,
Qua mis ante tuum vultum
Dirigatur oratio.

1314. Oratio, quam facio
Ad te et tuum filium,
Et manuum levatio
Sit gratum sacrificium.

1315. Sacrificiumque laudis
Immolem tibi et Deo,
Et da te, ne sit os fraudis,
Custodiam ori meo.

1316. Meo semper negotio
Astans, mater salvatoris,
Ne linguae tingat vitio
Me oleum peccatoris.

1317. Peccatoris in statera
Quondam ponens manum tuam,
Sic ab infernali fera
Salvasti animam suam.

1318. Suam vitam regulare
Nescientem, quaeso, doce
Decenterque collaudare
Te, Maria, corde, voce.

CXLI.

1319. Voce mea ad Dominum
Iacto deprecationem,
Ad te, regina virginum,
Effundens orationem.

1320. Orationem, Maria,
Redde gratam hanc filio,
Quam tribulatis in via
Ante ipsum pronuntio.

1321. Pronuntio tibi, mater,
Pressuras pridem sublimis,
Quis ad ima ductus frater
Humiliatus sum nimis.

1322. Nimis enim ante Deum
Erat mea vita rea,
Sed tu mihi places eum,
Cui dixi: tu es spes mea.

1323. Mea spes, dignans suere
Sancti Thomae cilicium
Ruptam, velis reficere
Stolam mearum virium.

1324. Virium per te vigorem
Sumpsit Thomas gravamine,
Per cuius precis valorem
Placeam meae dominae.

CXLII.

1325. Domine, exaudi meam
Dignanter orationem,
Praecipiens propter eam
Matris obsecrationem.

1326. Obsecrationem piam
Effundas ante filium,
Ut cum laudante Mariam
Non intret in iudicium.

1327. Iudicium sic cogitem
Dei per te vitae curis,
Quatenus me praecipitem
Non collocet in obscuris.

1328. Obscuris, Maria, malis
Clausi meum cor amarum,
Sed salver, spes immortalis,
Factis manuum tuarum.

1329. Tuarum memor virtutum
Ante te prosternor pronus,
Ut vitale mihi scutum
Sit spiritus tuus bonus.

1330. Bonus fiam, bonum secter,
Tenens tui memoriam,
Uti, Maria, delecter
Tecum tandem per gloriam.

1331. Gloriam tibi, Maria,
Debeo semper offerre,
Mea ductrix, mea via,
Cuius laus in fines terrae.

CXLIII.

1332. Benedictus omnipotens,
Qui nos docet ad proelium,
Per te, Maria, praepotens
Turbae pavent gentilium.

1333. Gentilium dant populi
Se cultui dominico,
Per te magistram saeculi
Ex more docti mystico.

1334. Mystico medicamento
Curans carnis contagia,
Mentis, Maria, memento,
Quae sorde exstat saucia.

1335. Sauciata sunt labia
Loquentia mendacium,
Sed his, virgo propitia,
Exstingue flammas litium.

1336. Litium strinxit aspero
Me vinclo mundi vanitas,
In quo per te de cetero
Flammescat igne caritas.

1337. Caritas autem divina,
Dans tibi Dei filium,
Per te nobis, o regina,
Vitale tollat praemium.

1338. Praemium non perdam vitae,
Non sapiam ex nunc alta,
Sed humilitatem rite,
Maria, meam exalta.

CXLIV.

1339. Exaltabo te laudibus
Effugans hostem horridum,
Maria, quae virtutibus
Salvasti mundum languidum.

1340. Languidum prorsus famulum,
Gaudentem tibi psallere,
Salva, ne per piaculum
Vitae sit exsul munere.

1341. Munere a Deo tuo,
Diva, dites nunc hominem,
Quod hunc dotat regno suo
Mundi parans originem.

1342. Originem sanctitatis
Et pacis abundantiam
Sume, virgo, tui gratis
Mundi per abstinentiam.

1343. Abstinentiam igitur
Da mihi tuo numine,
Nam, Maria, quod perditur,
Tu reddis almo germine.

1344. Germine tuo germinat
Iam rerum universitas,
Te trinitas illuminat
Et principalis unitas.

1345. Unitas manus divinae
Tibi tradidit omnia
Maria, cui sine fine
Sit sempiterna gloria.

1346. Gloria tibi, Maria,
Decus, salus, laudatio,
Hymnus, psalmus et laus pia,
Honor et benedictio.

CXLV.

1347. Lauda, [o] anima mea,
Dignissimam mulierum,
Quia multum valet ea
Ad firmandum cor sincerum.

1348. Sincerum ut sit, Maria,
Ad te meum eloquium,
Labia decenter pia,
Aufer calorem noxium.

1349. Noxium corpus animae
Per offensam est variam,
Sed da cor, quod legitime
Carnis terat superbiam.

1350. Superbiam mens sobria
Tollat a carnis sensibus,
Tui tacta memoria
Verbis, cibis et potibus.

1351. Potibusque lacrimarum
Mergens meum cor, domina,
Per gratiae potum clarum
Dimitte nunc peccamina.

1352. Peccamina mortalia
In me noli relinquere,
Maria, stella praevia,
Vergente mundi vespere.

1353. Pereunt, mater, animae
Tui nusquam recordatae,
Cuius gratiae maximae
Ab angelis sunt laudatae.

CXLVI.

1354. Laudate virginem puram,
Medullae mei spiritus,
Quam dixerunt parituram
Lex et prophetae primitus.

1355. Primitus a lege Christi
Erant gentes alienae,
Quas, Maria, iam sanxisti
Observata lege plene.

1356. Plene legi Iesus stravit
Sui moras incolatus,
Qui per te nos reparavit,
Nobis datus, nobis natus.

1357. Natus ergo de virgine
Pro nobis peccatoribus
Tuo semper precamine
Nos servet a nocentibus.

1358. Nocentibus enim iris
Vita nostra fit dedita,
Sed gratia, qua potiris,
Mentes tuorum visita.

1359. Visitata quidem a te
Mens, Maria, non moritur,
Sancta cuius dignitate
Sursum agnus immittitur.

1360. Mittitur et manus pia
Salvatoris in cor rei
Volenteque te, Maria,
Templum repente fit Dei.

1361. Dei matri, cor, commenda
Tuam laudem, ne sit clauda,
Vitam meam et emenda
Et Mariam semper lauda.

CXLVII.

1362. Lauda, mens, totis viribus
Mariae laudis augmentum,
Ut eius tuis sensibus
Praestet fides supplementum.

1363. Supplementum da gratiae,
Auge bonum, quod poscimus,
Maria, mare veniae,
Laxa malum, quod fecimus.

1364. Fecimus multa peccata
Nec bibimus hunc calicem,
Sed per te, mater amata,
Flectamus iram vindicem.

1365. Vindicem quippe tremendum
Tua lactarunt ubera,
Parens, cuius ad parcendum
Nudata pendent viscera.

1366. Viscera pia pluribus
Dans, Maria, continuo
Parce nobis precantibus,
Vultu precamur cernuo.

1367. Cernua cervice, mater,
Tibi supplex do gloriam,
Ut det mihi per te pater
Remissor indulgentiam.

1368. Indulgentiam nimirum
Dare potes per filium,
Intacta nesciens virum,
Veramque pacem cordium.

1369. Cordium refrigerium,
Vita, virtus, victoria,
Maria, vis vincentium,
Aeterna Christi gloria.

1370. Gloria tibi, Maria,
Decus, salus, laudatio,
Hymnus, psalmus et laus pia,
Honor et benedictio.

CXLVIII.

1371. Laudate, sancti, de caelis
Castae parentis viscera,
Quae Christum virgo fidelis
Enixa est puerpera.

1372. Puerpera, a filio
Postula nobis gratiam,
In tuo puerperio
Ipsi canamus gloriam.

1373. Gloriam tibi canentes
Sint stolis albis candidi,
Sint, Maria, patientes
Et caritate fervidi.

1374. Fervidi quidem amoris
Fons vivus, ignis, caritas,
In te, mater, sunt splendoris
Et lux beata trinitas.

1375. Trinitas creans omnia
Per te nobis irae plagas
Tollat et desideria,
Quae subruunt mentes vagas.

1376. Vagas delectationes
Tollens a nobis insuper,
Virgo, consolationes
Effunde nobis desuper.

1377. Desuper dare solita
Seni manum et iuveni,
Maria, parens inclita,
Redemptis ope subveni.

1378. Veni, Mariam laudare
Cor, quod capis bona tanta,
Huic cantum singulare,
Os, distinte semper canta.

CXLIX.

1379. Cantate summae virgini
Laudes, filii hominum,
Cuius psallit et nomini
Chorus sacratus virginum.

1380. Virginum virginitatem
Vincis, virginum gloria,
Cui propter fecunditatem
Genua curvant omnia.

1381. Omnia bona possidens,
Maria, dives divitum,
Velis, in throno residens,
Laxare gratis debitum.

1382. Debitum sacrificium
Tibi, Maria, solvimus,
Ut alleves fastidium,
Horis quietis psallimus.

1383. Psallimus tuo nomini,
Cuius immensa dignitas,
Ut nos ducas, laus Domini,
Ad lucem, quam inhabitas.

1384. Inhabitas et emines
Caelis meritis providis,
Per quam palmis iam homines
Ditantur bene fulgidis.

1385. Fulgidis angelis Dei
Maria, committar a te,
Super quo vos, sensus mei,
Hanc rogate et laudate.

CL.

1386. Laudate matrem Domini,
Ora, corda fidelium,
Quam pie dedit homini
Salus ante principium.

1387. Principium, o Maria,
Aeterni facta foederis,
Semper, ne cadant in via,
Salutem posce miseris.

1388. Miseris, Maria, daris,
Plena misericordia,
Eis ergo singularis
Sis praesul et custodia.

1389. Custodia clausi tua
Optime sibi provident,
Tenentes te mente sua
Vitam beatam possident.

1390. Possident dona beata
Mortis sacrae compendio,
Quo patri fis copulata
Eiusque soli filio.

1391. Filio, Maria, tuo
Nos cito reconcilia,
Ut nobis in regno suo
Perennis instet gloria.

1392. Gloria, iubilatio,
Honor, decus, imperium
Tibi, mater, cum filio,
Sors et corona, praemium.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 419. A. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571. B. —

27, 4 Insidiae A. — 78, 3 Misere A. — 80, 4 Id me A. — 86, 3 Et tua A. — 88, 3 te fehlt A. — 129, 1 me fehlt A. — 131, 2 Romae centum A. — 152, 2 per militissima A. — 161, 3 Pugniri A. — 167, 2 In virtutis A. — 210, 1 Paternum A. — 210, 4 sese fehlt A. — 244, 2 Lilii combam A. — 350, 1 salutato A. — 388, 4 Dant A. — 394, 3 pro A. — 444, 3 Qui quia mecari A. — 447, 2 reginam fehlt A. — 464, 3 Renuntiant AB. — 464, 4 Amplectantur AB. — 488, 2 laus et honor AB. — 491, 2 Inclinavit A. — 491, 3 exaudi A. 504, 2 conculcanti A. — 525, 2 suo AB. — 541, 3 que fehlt A. — 573, 1 te fehlt A. — 592, 2 Praecepta A. — 597, 4 Evitem fehlt A. — 604, 4 Micuisti A. — 609, 1 mirabilia A. — 610, 4 Tua nos A. — 639, 3 Amaria A. — 646, 3 scamnum A. — 692, 4 palam in absconso A. — 705, 3 fehlt A. — 733, 3 Iesu A. — 745, 1 scimus A. — 754, 4 herum A. — 774, 1 similis tibi A. — 797, 1 praesentens AB. — 840, 4 Spiritu non valent A. — 842, 2 obitu A. — 868, 1 hac fehlt A. — 891, 1 fehlt eine Silbe AB. — 906, 1 sunt A. — 974, 2 Servent me A. — 988, 4 lapsi cadunt A. — 1130, 1 habebat A. — 1209, 1 memoriam AB. — 1209, 4 praedicat AB. — 1222, 3 fehlt A. — 1230, 2 Dei A. — 1231, 3 Domini fehlt A. — 1288, 3 Salvasti A. — 1295, 1 fehlt eine Silbe AB. — 1328, 4 curvantur AB. — 1333, 2 committas A.

A hat fol. IIIb die Bemerkung: „Explicit soliloquium sive psalterium perpetuae virginis Mariae. Cuius auctor dicitur adhuc vivere.“ B bemerkt: „Incipit prologus cuiusdam, cuius nomen ignoratur, in devotam psalmodiam ad beatam virginem Mariam.“ Dann heifst es in A: „Sequuntur pulcherrimae orationes de eadem, rhythmice compositae ab eodem auctore.“ Diese Lieder sind: Maria, virgo virginum, ab aeterno data rege (Anal. XXXII, 133 sq.), Ave, iubar aethereum (XXX, 202 sq.) und Regina caeli, laetare (XV, 128 sq.).

ROSARIA.

1. Rosarium de Passione Domini.

I.

1. Ave, Iesu, fili Dei,
Ave, salus meae spei,
Cordis mei gaudium,
Dulcis fructus ligni crucis,
Quo fruuntur verae lucis
Cives ad solacium.

2. Ave, rex, qui postulasti
Pro me, quando triumphasti
In crucis certamine,
In timore da servire,
Disciplinam fac subire
Emptum tuo sanguine.

3. Ave Iesu, qui dormisti,
Soporatus surrexisti,
Vita, resurrectio,
Die resurrectionis
Maculas confusionis
Tua tergat passio.

4. Ave, pax, in qua quiescam,
In qua nullum pertimescam,
Cordis mei nidulus;
Dulcis Iesu, tuis donis
Flores tuae passionis
Fiant mihi lectulus.

5. Ave, rex, cui astabo,
Cui rationem dabo
De talento credito,
Non est aurum, non argentum
Mihi, crucis me talentum
Absolvat a debito.

6. Ave, summa medicina,
Praestantissima resina
Tui sacri sanguinis
Mihi donet sanitatem
Et consumat qualitatem,
Quantitatem criminis.

7. Ave, iudex iudicate,
Quando gentis reprobatae
Subisti iudicium,
Hic nos seca, hic nos ure,
Ne nos ultionis durae
Sentiamus gladium.

8. Ave, caelum rubicundum,
Passione replens mundum
Rore tuae gratiae,
Vulnerum me stillae ducant
In hoc mari et perducant
Ad portum laetitiae.

9. Ave, qui in schola mundi
Studuisti, ut confundi
Possit hostis, capitur
Hamo crucis, sermo mortis
Profertur, succumbit fortis,
Sic ars arte fallitur.

10. Ave, Iesu, templum Dei,
Templum sanctum, in quo rei
Consequuntur veniam,
Dextrum latus ministravit
Aquam, quae peccatum lavit,
Contulit munditiam.

II.

11. Ave, meus salutaris
Custos et dux singularis
Stans in crucis specula,
Me conserva, me custodi,
Hostium nam mille modi
Admittuntur iacula.

12. Ave, cuius est consputa,
Suo flore destituta
Speciosa facies,
Haec a me non avertatur,
Sed a me intueatur
Centies et milies.

13. Ave, rex, qui libertatem
Donas, qui captivitatem
A nobis avertere
Captus, vinctus studuisti,
Tibi laus, qui voluisti
Nos captivos solvere.

14. Ave, cuius est adpensum
Corpus cruci, clavis tensum
Regis tabernaculum,
In quo miles protegatur
Et ei subveniatur
Ad omne periculum.

15. Ave, semper providendum,
Sponsae manibus ferendum
Redemptoris speculum,
Per te macula tergatur,
Formae decor augeatur,
Purga mentis oculum.

16. Ave, Iesu, qui proiectus
Extra portam es erectus
In crucis patibulo,
Qui misertus es latronis,
Tuae miserationis
Nos astringe vinculo.

17. Ave, virginis Mariae
Fili care, cuius viae
Paupertas, humilitas;
His virtutibus armemur,
Christi flosculis ornemur
Per te, sancta trinitas.

18. Ave, sponse speciose,
Thalamum qui gloriosae
Consecrasti virginis,
Nos dignare consecrare,
Templa mentis adornare
Rosa tui sanguinis.

19. Ave, holocaustum pingue,
Tuo adipe exstingue
Ignes et incendia
Vitiorum et inferni,
Nobis resera superni
Templi sanctuaria.

20. Ave, qui es exaltatus
Et a patre coronatus
Pretioso lapide,
Ut nos tibi corregnemus,
Da tuae communicemus
Passioni floridae.

III.

21. Ave, Iesu, dulcis frater,
Qui nos lactas velut mater
Vulnerum uberibus,
Roseum lac protulisti,
Quando sanguinem fudisti
De manibus et pedibus.

22. Ave, spinea corona,
Benedicta sit persona,
Cuius caput regium
Tu cinxisti, me coronet
Ipse, per te mihi donet
Vitam et imperium.

23. Ave, pastor, qui me ducis
Et in mensa mihi crucis
Dulcis es refectio,
Exi contra tribulantes,
Foris, intus impugnantes,
Mea consolatio.

24. Ave, fortis proeliator
Et salutis imperator
Crucis gestans gladium,
Nobis aeternales portae
Ut pandantur, fer in morte
Miseris auxilium.

25. Ave, Iesu, qui delicta
Per confessionem dicta
Passionis pallio
Tegis, ne irrideantur
Aut ab hoste confundantur
In tuo iudicio.

26. Ave, aureum altare,
Da te nobis honorare
Donis spiritalibus,
Munus laudis offeramus,
Tuis mille imprimamus
Oscula vulneribus.

27. Ave, Iesu, castrum forte,
Cuius non clauduntur portae,
Portae dico vulnerum.
Isti castro et his portis
Et nunc et in hora mortis
Me commendo miserum.

28. Ave, flos, per quem florebo,
Dum in fine apparebo
Resurgens cum mortuis,
Erunt paradisi rosae,
Quos nunc rore pretiosae
Passionis compluis.

29. Ave, a quo exierunt
Sanguis, aqua, qui fecerunt
In mundo diluvium,
In hoc culpa demergatur,
Arca mentis erigatur
Ad caeli fastigium.

30. Ave, Iesu, custos bone,
Tui sacci scissione
Confertur utilitas,
Sanguis fusus nos emundat,
Pus expurgat, cor fecundat,
Tollitur infirmitas.

IV.

31. Ave, Deus veritatis,
Passione cruentatus
Tuis sanctis manibus,
Me commendo exspirantem,
Suscipe me trepidantem
Pro meis excessibus.

32. Ave, dulcedo sanctorum,
Qui, ut nos a peccatorum
Flagellis absolveres,
Es nudatus ad flagella,
Sanguinis fudisti mella,
Ut amara tolleres.

33. Ave, qui abyssos ponis
In thesauros passionis,
Hoc est in vulneribus,
In his fossis absconduntur
Peccatores, abluuntur
In his quinque fontibus.

34. Ave, Iesu mea vita,
Cordis mei margarita,
Tua dulcis passio
Det videre dies bonos,
Angelorum dulces tonos
Audire cum gaudio.

35. Ave, Iesu, via lucens,
Paradisum introducens
Et ad regna caelica,
Gemma crucis luminosa,
Da cavere tenebrosa,
Da cavere lubrica.

36. Ave, per quem declinatur
A malo, exercitatur
Mens in bono opere,
Ista sanguis operatur
Roseus, qui propinatur
Tuo sancto latere.

37. Ave, Iesu, qui gestabas
Onus crucis, dum parabas
Onus mundi tollere,
Onus tolle, quo gravamur,
Ne caput impediamur
Ad crucem erigere.

38. Ave, dulcis peregrine,
In hoc mundo vivens sine
Rebus, sine proprio,
Qui ad te peregrinantur,
Nudi nudum te sequantur,
Crux sit eis lectio.

39. Ave, mea cantilena,
Carnem ducens ad serena
Paradisi cantica,
Ibi celebrando festa,
Ibi tuae crucis gesta
Erunt mea musica.

40. Ave, qui decubuisti
Lecto crucis, qui fuisti
Totus in doloribus,
Opem fer in lecto mortis,
Mihi sis adiutor fortis,
Defensor ab hostibus.

V.

41. Ave, Iesu, fons abundans,
Lacte, melle mons redundans,
Nectare et balsamo,
His deliciis frueris
Sponsa, quae efficieris
Digna regis thalamo.

42. Ave, mea fortitudo,
Qui in cruce hostes nudo
Debellasti corpore,
Sanguis tuus det virtutem,
Crux sustentet, ut non nutem
In hoc belli tempore.

43. Ave, Iesu nomen, ave,
Nomen super mel suave,
Plenum aromatibus,
Per te hostes debellabo
Insurgentes, te laudabo
Cum supernis civibus.

44. Ave, plenus unctione,
Plenus miseratione
Et misericordia,
Tua murra perungamur,
Ut tui constituamur
Consortes in patria.

45. Ave, Iesu, paradisus
Rubens rosis, nostri visus
Dulcis recreatio,
A te flumen derivetur,
Tibi quo sanctificetur
Nostri cordis mansio.

46. Ave, rex, qui ascendisti
Caelos et obtinuisti
Regnum crucis proelio,
Da, ut tui recordemur,
Accendamur, inflammemur
Tuo desiderio.

47. Ave, qui redemptionis
Armis me ab aquilonis
Separasti latere,
Contra aquilonis flatus
Tuum mihi pande latus,
Ibi da quiescere.

48. Ave, qui placationem
Tui per oblationem
Pro me patri exhibes,
Cruce, clavis et cruore,
Spinis, lancea, livore
Patris iram cohibes.

49. Ave, qui terram vocasti
Et terrenos visitasti
Dando eis gratiam,
Da per crucem nos salvari,
Dum continget congregari
Electos ad gloriam.

50. Iesu, mei miserere,
Iesu, mei curam gere,
Sanguis culpas abluat,
Me dealbet super nivem,
Tuae civitatis civem
Me sanguis constituat.

51. Iesu, mei miserere,
Da in paradiso vere
Amplecti te dulciter,
Iungi choris angelorum,
Iungi civibus sanctorum
Te laudando iugiter.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin) 19824. saec. 15. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. $^{14}/_{15}$ B.

1, 2 Sola salus B. — 1, 4 Dulcis fructus B. — 5, 5 Tuae crucis me B. — 6, 5 Quantitatem B. — 6, 6 (In) veterati criminis B. — 7, 3 Tulisti opprobrium B. — 8, 4 Vulnerum me stellae B. — 9, 6 vincitur B. — 10, 1 fili Dei B. — 10, 6 Et contulit B. — 11, 4 Tu me serva, tu custodi B. — 11, 5 Hostium nam mille doli B. — Str. 12 steht als Str. 49 B. — 12, 5 Sed per me B. — 13, 4 Captus vinctus qui fuisti B. — 15, 5 Decor formae B. — 17, 5 Istis flosculis B. — 18, 4 Tu dignare B. — 20, 5 Ac tuae B. — Str. 21 fehlt B. — 23, 4 impugnantes B. — 23, 5 tribulantes B. — 24, 2 Ad salvandum propugnator B. — 25, 4 Te (lies Tui) ut non confundantur B. — 25, 5 Tegis ne irrideantur B. — 26, 2 nobis te B. — 28, 2 Cum B. — 29, 2 In qua culpa B. — 30, 5 Cor impugnet (sic) cor fecundet B. — 32, 2 In thesauris passionis B. — 34, 5 dulces sonos B. — 38, 4 Qui post te B. — 41, 2 vas redundans B. — Str. 43 steht nach 49 B. — 43, 1 u. 2: Ave Iesu dulce nomen, Super mel suave nomen B. — 43, 3 Insurgentes fehlt B. — 43, 6 Prae superni B. — Str. 44 zweimal B. — 47, 3 Reparasti latere B. — 49, 1 Ave terram qui vocasti. B. — 49, 4 me salvari B. — 49, 6 ad patriam B. — 50, 1 Ave mei miserere B. — 50, 2 curam mei B. — 51, 2 paradisi B. — 51, 4 u. 5 Iungi civibus caelorum, Iungi coetibus sanctorum B. — 51, 6 Laudare te B. — „Carmen de passione Domini A; Incipit psalterium de passione Christi. Quinquagena prima B.“ Nach dieser Aufschrift läge also nur der dritte Teil eines Psalters vor.

2. Planctus de Passione Domini.

I.

1. Regem Christum deplangamus,
Eius mortem lugeamus
Planctu amarissimo,
Qui nos sibi commendamus
Et per crucem triumphamus
Corde fidentissimo.

2. Absit nobis gloriari
Aut quacunque re laetari
Nisi cruce Domini,
Sine qua nemo salvari
Quit in magno mundi mari,
Istam contemplemini.

3. Quisquis mortem regis plangit
Et doloribus cor angit,
Hic securus moritur;
Qui ut turtur luctum plangit,
Cum extrema tuba clangit,
Laetus hinc egreditur.

4. Hoc est proprium Minoris,
Recordari vim doloris,
Quam rex Christus pertulit,
Et sectari vias moris,
Quas repletum vas amoris
Franciscus hic intulit.

5. Opus erat hoc Francisci
Crucis Christi reminisci
Et plagas recolere,
Nunquam planctus oblivisci,
Sed in cruce revivisci
Corde, ore, opere.

6. Cum Francisco patrizemus,
Septem horis replicemus
Planctum unigeniti,
Crucifixum dum videmus,
Planctum magnum geminemus
Quasi modo geniti.

7. Planctum cordis peramarum
Prodant rivi lacrimarum
Magnis cum suspiriis,
Dum videmus tam praelarum
Regem plenum tot plagarum
Tantisque opprobriis.

8. Plange super regem Christum
Et conculces mundum istum
Cum sua cupidine,
Hic pertransit, sed hic manet,
Languet, plorat, ut te sanet
A culpae rubigine.

9. Hic in cruce sunt thesauri,
Hic sophia super auri
Rutilantem speciem,
Hic sunt sensus figurarum,
Hic plebs figit prophetarum
Suae mentis aciem.

10. Hic dum patitur soporem
Adam alter, ob amorem
Suum fit de latere
Sponsa, quam sic adamavit,
Quam suo cruore lavit
Fuso dulci vulnere.

II.

11. Hic est Abel trucidatus,
Holocausto Deo gratus,
Ira fratris moritur,
Cuius sanguis dum sacratus
Fluit, clamat, acceptatus
Fit, et caelum panditur.

12. Hic a vino debriatur
Caritatis et mundatur
Suo tabernaculo,
Noe somno figuratur
Christus, cum vituperatur
Crucis in patibulo.

13. Hic est semen benedictum,
Pro quo quondam cor adflictum
Supplicavit Abrahae,
Propter hoc se cirmumcidit,
Cum per eius crucem vidit
Cunctas gentes credere.

14. Hic in monte liberatur
Isaac et immolatur
Spinis haerens aries,
Et, in cruce dum levatur,
Iesus homo morti datur
Omnes ob progenies.

15. Hic est Iacob scala recta,
Per quam scandit mens electa
Ad caeli palatium,
Hic est Iesus crucifixus
Velut Domino innixus,
Maestorum solacium.

16. Hic, ut Ioseph occidatur,
Stulta gens vociferatur
Propter mira somnia,
Non perpendens, quid signatur,
Quod sic terra liberatur
A tanta penuria.

17. Hic est sanguinis litura,
Qua gens Christi fit secura
Mortis in interitu,
Hic est assus ducis agnus,
Quo salvatur coetus magnus
In paschali transitu.

18. Hic reducit nos per mare
Rubrum, Christus dum amarae
Mortis fert supplicium,
Noli, frater, vacillare,
Sed constanter contemplare
Nubis ad indicium.

19. Hic it semel in sanctorum
Sancta Christus per suorum
Dulces rivos sanguinum,
Quod per ritus mille morum
Olim signat antiquorum
Frequens pontificium.

20. Hic in cruce gloriari
Et in ipsa speculari
Discas anguem aeneum,
Ut sic valeas curari
Nec serpentis vulnerari
Si fers flatum igneum.

III.

21. Hic est Iesus Nazarenus,
Iesus Nave, dux serenus,
Hunc signare potuit,
Sed rex noster plus amoenus
Est triumphis mille plenus,
In quo mors succubuit.

22. Hic est Samson gigas fortis,
Per quem ruit rea mortis
Philistaea contio,
Hunc illudit, sed allidit
Postes domus, in quam fidit
Elata praesumptio.

23. Hic devote concurratis,
Noemi condoleatis
Flendo mortem filii;
O Maria, mara satis,
Quondam plena, sed pro datis
Repleris absinthii.

24. Hic est David manu fortis
Cum Gethaeo duce mortis
Singulare proelium,
Quem devicit nostrae sortis
Rex in cruce, dum cohortis
Grave fert opprobrium.

25. Hic ridentes astiterunt
Et in unum convenerunt
Reges cum principibus,
Manus, pedes perfoderunt
Ossaque numeraverunt
Dispertitis vestibus.

26. Babylonis hic collide
Cunctos parvulos in fide
Ad petrae duritiam,
Quam tu, frater, semper vide,
Ut evadas homicidae
Daemonis potentiam.

27. Hic, amici Iob dolentes,
Contemplemini videntes,
Non est dolor similis,
Hic doloris vehementis
Plagas magnas contrahentis
Penset quis amabilis.

28. Hic gens prava sapientis
Salomonis admonentis
Respuit indaginem,
Cum tendiculas abscondunt
Et insontis Christi fundunt
Tam praeclarum sanguinem.

29. Hic est murrae ligatura,
Quam dilecta grandi cura
Imprimat uberibus;
O profunda crucis iura,
Quod redimitur natura
Tam diris vulneribus!

30. Hic columba sit secura,
Dum in petra fit structura
Firma sui niduli,
Hanc accipiter non laedit,
In caverna dum resedit
Christi, regis Israel.

IV.

31. Hic vos, Sion natae carae,
Regem Christum visitare
Omnes egredimini,
Diadema nunc portare,
Caput spinis coronare,
Cum quo compungimini.

32. Hic est amor ut mors fortis
Et plus dura porta mortis
Crucis aemulatio,
Cui cum aqua tot accedunt,
Eius flammam non excedunt
In tanto supplicio.

33. Hic dum Christus gloriatur,
Dei prolem se testatur
Et profert novissima,
Tormentis interrogatur,
Tandem false condemnatur
Morte cum turpissima.

34. Hic sophiam renovavit
Iesus Sirach, cum calcavit
Mundi sapientiam;
Felix homo, qui gustavit
Et in Iesu exsultavit
Humilem stultitiam.

35. Hic novissimum virorum
Vide Christum et dolorum
Plenum cum livoribus,
Vere tulit pestes morum
Et ruinas supernorum
Restaurat laboribus.

36. Hic, dum fortis propugnavit,
Ad salvandum se paravit
Proloquens iustitiam,
Et torcular cum calcavit,
Solus vestes rubricavit,
Lapsis dat fiduciam.

37. Hic dum moritur Iosias,
Hunc in threnis Ieremias
Plorans planctus replicat,
Hic convertit prophetias,
Hic deplangit Sion vias,
Ad lamenta provocat.

38. Hic vos omnes, qui transitis,
Hoc attendere velitis,
Non est dolor similis,
Recordantes semper litis
Suae tam amarae sitis
Et mortis tam humilis.

39. Hic nos magno sacramento
Vir tau signat atramento,
Vidit hoc Ezechiel,
Nos a morte liberatos
Sine fine fac beatos,
Precamur, Emanuel.

40. Hic hebdomadae dierum
Sunt impletae, verbum verum
Danieli panditur,
Post quos Christus est occisus,
Totus mundus est gavisus,
Capta plebs redimitur.

V.

41. Hic cum vestibus sordescit,
Iesus gloria plus crescit
Iesu quondam Iosedech,
Zacharias obstupescit,
Sacerdotum ritus cessit,
Manet hic Melchisedech.

42. Hic coloni truculenti
Huic heredi venienti
Occurrunt atrociter,
Quem in vinea prosternunt,
Ut devoti sui cernunt
Ruminando dulciter.

43. Hic pius Samaritanus
Monstratur multum humanus
Vulnerato homini;
O mirum medicamentum
Et quam pium est inventum
Ferre crucem Domini!

44. Hic et pastor grandi cura
Quaerit ovem et tam dura
Sustinet pericula,
Ovis nunquam fit secura,
Ni ducatur in pastura,
Ubi laus per saecula.

45. Hic pro nato, qui prodegit
Cuncta bona, cum peregit
Veram paenitentiam,
Vitulus persaginatus
Est occisus, quo fit gratus,
Patri dat laetitiam.

46. O quam grandis fuit ira,
Qua placanda fert tam dira
Summi regis filius!
Vere gens haec est delira,
Cum per crucem facit mira,
Quae non plangit penitus.

47. O tu Christe benedicte,
Cur tu pendes tam relicte
Dolens amarissime?
Sed cum amas nos non ficte,
Perseverans tu tam stricte
Amore, dulcissime.

48. O tu pelagus amoris,
Cur non rumpit vis doloris
Cordis nostri vincula,
Ut erumpant quasi roris
Stillae fletus nostri foris,
Agne sine macula?

49. O quis det me tecum mori?
Tibi clamat redemptori
Vis, vox, sensus, anima,
Cuncta mihi sunt horrori,
Tuo vaco nunc amori,
Ardent cordis intima.

50. O rex Iesu, te requiro,
Ad te milies suspiro,
Haec lamenta videas,
Sub Francisco sancto viro,
Crucifixo modo miro
Me defendi iubeas.

Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A II. — Zeilenfolge in Str. 3: 1, 5, 2, 3, 4, 6. Hs. — 4, 5 vas repletum. — Die Anzahl der Strophen kennzeichnen das Gedicht als Rosarium.

3. Hymnus de Vita Christi.

I.

1. Memor ero memoria,
Quod caritate tam pia
Me attraxisti miserans,
Te pro me sic humilians.

2. Tuae passionis memor,
Per quam tam pie redimor,
Pro amore piae matris
Mihi placa vultum patris.

3. Tibi refero gratias,
Qui meas sic miserias
Tam benigne susceperas,
Te pro me sic humilias.

4. Te virgo carens vitio
Conceperat de flamine,
Dum Gabrieli nuntio
Consenserat humillime.

5. Te gravidata caelitus
Cognatam visit citius
Iohannemque celerius
Sanctificans divinitus.

6. Te civitate Bethlehem
Exsultando genuerat
Neque dolorem aliquem
Gignendo te pertulerat.

7. Te regis David genere
Mox natum adoraverat
Ac vagientem ubere
Virgineo lactaverat.

8. Te virgo pannis, fasciis
Constrictum reclinaverat
Et se tuis obsequiis
Omnino mancipaverat.

9. Te magno cum tripudio
Angeli collaudaverant
Atque pacem cum gaudio
In terris concinuerant.

10. Te, Iesu, pastor omnium,
Pastores tunc cognoverant,
Dum in praesaepi Dominum
Iacentem te invenerant.

II.

11. Hinc iuxta ritum hominis
Circumcisionem pertulis
Dulcisque Iesu nominis
Impositionem accipis.

12. Qui et a tribus regibus
Adoraris tam ferventer
Atque magnis muneribus
Veneraris tam decenter.

13. Te die quadragesima
In templum virgo tulerat
Ac Moysi legitima
Spontanee subierat.

14. Mater Herodem fugiens
Aegypto te conduxerat
Tandemque inde rediens
Ad Nazareth reduxerat.

15. Te ad festa pertransiens
Dolorose perdiderat,
Sed mox ad templum veniens
Gaudiose reppererat.

16. Te per manuum opera
Sollicite nutrierat
Et in aetate tenera
In omnibus providerat.

17. Te in Iordanis flumine
Iohannes baptizaverat
Et te cognoscens nomine
Digito demonstraverat.

18. Te Satanas astutiis
Trifarie temptaverat,
Sed eius tu versutiis
Prudenter obviaveras.

19. Iesu matris oraculo
Aquam in vinum verteras,
In quo tuos miraculo
Discipulos firmaveras.

20. Et obsessos quam plurimis
Salvaveras daemonibus
Ac infirmos quam variis
Curaveras languoribus.

III.

21. Lazarum tu cum filio
Orbatae suscitaveras,
Puellam cum prodigio
Ad vitam revocaveras.

22. Iesu, cum peccatoribus
Frequenter manducaveras
His atque paenitentibus
Peccata relaxaveras.

23. Cuius pedes cum lacrimis
Peccatrix irrigaverat,
Prorsus dolens ex intimis
Veniam impetraverat.

24. In monte Tabor deforis
Sic te transfiguraveras
Et gloriosi corporis
Splendorem declaraveras.

25. Cum palmis quam celeriter
In urbem te conduxerant,
Vespere sed quam turpiter
Te vacuum reliquerant.

26. Cena, Iesu, novissima
Pedes tuorum laveras
Escaque nobilissima
Cum sanguine cibaveras.

27. In horto mente anxia
Prolixius oraveras
Et aquam prae tristitia
Cum sanguine sudaveras.

28. Ministri te malefici
Crudeliter vexaverant
Atque Annae pontifici
Te ligatum adduxerant.

29. Vultum decorum turpibus
Sputis commaculaverant,
Diris pugnorum ictibus
Amare vulneraverant.

30. Dehinc Pilati sedibus
Damnandum praesentaverant
Atque te falsis testibus
Dolose accusaverant.

IV.

31. A Iudaeis exhibitum
Herodes te inviserat,
Sed per despectum habitum
Ut fatuum remiserat.

32. Post haec indutum purpura
Columnae adligaverant,
Corona punctum spinea
Flagellis verberaverant.

33. Te confossum vulneribus
Milites subsannaverant
Ac *Crucifige* vocibus
Iudaei conclamaverant.

34. Te reum quasi sceleris
Pilatus condemnaverat
Et crucis lignum umeris
Propriis baiulaveras.

35. Te calvariae vestibus
Loco, Iesu, nudaverant
Atque manus cum pedibus
Cruci clavis adfixerant.

36. Pro tam diris tortoribus
Preces pias effuderas,
Quando crucis doloribus
Extensus sic defeceras.

37. Iesu latroni omnia
Dimiseras peccamina
Ac paradisi gaudia
Promiseras dulcissima.

38. Iohanni tunc discipulo
Mariam commendaveras
Et ei in patibulo
In filium donaveras.

39. Te derelictum omnibus
Dum patri proclamaveras,
Inimicorum vocibus
Diras sumis blasphemias.

40. Qui dum exhaustis viribus
Sitio exclamaveras,
Fel et acetum faucibus
Morte raucis gustaveras.

V.

41. Prophetarum praesagia
In cruce consummaveras,
Primi parentis debita
Ratione persolveras.

42. In manus patris dederas
Hinc spiritum pretiosum,
Alta voce edideras
Carmen, Iesu, mellifluum.

43. Crucis mortem subieras,
In pace obdormieras,
Tuos ex limbo rapiens
Infernum sic introiens.

44. Satelles latus Domini
Hasta profunde foderat,
Hinc aqua iuncta sanguini
Abundanter profluxerat.

45. Tuum corpus sanctissimum
De cruce deposuerant
Et sepulcrum mundissimum
Eidem aptaverant.

46. Iesu, virtute propria
Victa morte surrexeras
Ac matrem a tristitia
Et dilectos exemeras.

47. Caelorum super sidera
Virtuose conscenderas
Et in paterna dextera
Gloriose resederas.

48. Pentecostali tempore
Spiritum sanctum miseras
Apostolis pro foenore,
Ut antea promiseras.

49. Mariam super aethera
Potenter exaltaveras,
In tua, Iesu, dextera
Decenter collocaveras.

50. Saeculi propter scelera
Venies ad iudicium
Et singulorum opera
Discuties ad ultimum.

51. Sit laus patri cum filio
Pro amore tam nimio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Pollingense anni 1501. Clm. Monacen. 11922. — 11, 3 que fehlt. — 12, 1 et fehlt. — 38, 1 tuo discipulo. — 46, 2 Devicta — 48, 4 Ut ante. — Nach Str. 50 folgt noch

Dira, Iesu supplicia
Daturus es tu reprobris
Atque selectis gaudia
In paradisi pascuis.

Diese Str. ist überzählig, wenn Str. 1—3 zum Rosarium zählen; wenn nicht, fehlen dem ganzen zwei Strophen. Mit diesem Rosarium ist zu vergleichen Nr. 6 O Maria florens rosa, welches Umdichtung des vorstehenden ist.

4. Rosarium D. N. Iesu Christi

Auctore Iacobo Merlone Horstio.

Introductio.

1. Summe pater, o creator,
Iesu, clemens o salvator,
Spiritus o conservator,
Deus regens omnia,
Mundo precor corde praesta,
Nostra pro salute gesta
Recolam mysteria.

2. Iesu, matrem elegisti,
Et serpentem contrivisti
Germine virgineo,
Matris tuae me clientem
Ac materno confidentem
Fove patrocinio.

3. Iesu, coetus te sanctorum
Iuncti choris angelorum
Mundi laudant iudicem,
His cum laudes me promentem
Sed ob noxas metuentem
Clemens audi supplicem.

I.

Iesu, thronum maiestatis
Sumens formam vilitatis
Nostri causa deseris,
O fac, nobis ad salutem
Tantus amor det virtutem
Et nos iungat superis.

1. Iesu, virgo salutata
Te concepit fecundata
Spiritus per gratiam;
O fac, Deum te tremendum,
Casto semper amplectendum
Pectore, concipiam.

2. Iesu, mater te gestabat
Dum per montes festinabat
Visitans Elisabeth;
O si mater Dei digna
Iuncta prole tam benigna
Me frequenter visitet.

3. Iesu, mater praeter morem
Virgo parit te, dolorem
Nesciens puerpera;
Caritate, fac, perfecta
Flagret in te mens affecta,
Quam non frangant aspera.

4. Iesu, tui terrae fines,
Sed vix, caput quo reclines,
Mundo nascens invenis;
Ut quid ampla meditari
Vel terrenis gloriari
Mens praesumit hominis.

5. Iesu, natum te pastorum
Visit plebs, et angelorum
Canit vox laetitiam;
Tuae laudis fac amantem,
Ut aeternam tibi cantem
In excelsis gloriam.

6. Iesu, Deus et salvator,
Legi pares ut peccator
Circumcidi sustinens;
O fac, carnem, sensus vagos
Circumcidat, mores pravos
Mens superna sapiens.

7. Iesu, reges te dotantes,
Regem regum venerantes,
Vultu colunt cernuo;
Quam tot donis mihi datis
Vicem reddam caritatis?
En, me totum tribuo.

8. Iesu, legi se subdentes
Deo sistunt te parentes,
Nulla quos lex obligat;
O fac, mihi cor sit rectum,
Omnem semper quod affectum
Lege tua dirigat.

9. Iesu, neci te quaerentem
Regem fugis, saevientem
Caedibus infantiae;
Cunctos me fac declinare,
Qui me possent spoliare
Tuae vita gratiae.

10. Iesu, mater ut absentem
Dolens quaerit te dolentem,
Templo gaudens reperit;
Felix, qui te custodire
Vel amissum reperire
Mox quaerendo poterit.

II.

Iesu, fonte baptizaris,
Placens patri declararis,
Testis adest spiritus;
O si vitae salutari
Fonte laver, ut probari
Possem tibi penitus.

11. Iesu, postquam ieiunasti,
Quam potenter profligasti
Satanae versutias!
Ne fraus mala me confundat,
Fortis fide mens retundat
Daemonis nequitias.

12. Iesu, vocas piscatores
Et sequuntur te, doctores
Mox futuri gentium;
O fac intus te vocantem
Mox sequamur, sed cunctantem
Gressum trahe mentium.

13. Iesu, sponsos cohonestas,
Dum rogante matre praestas
Vinum praesens nuptiis;
Fac amicos ordinatis,
Te prae cunctis caritatis
Prosequar officiis.

14. Iesu, terras peragrando
Et ubique praedicando
Quanta fers incommoda!
Pro te frigus et sudorem,
Famem, sitim et laborem
Mente feram placida.

15. Iesu, zelo caritatis
Flagrans, o quot a peccatis
Reparas ad gratiam!
O si meos primum mores,
Dein curem peccatores
Tuam zelans gloriam!

16. Iesu, multas diu gentes
Te docentem sustinentes
Verbo, cibo recreas;
O si corpus conservante,
Sed cor magis confirmante
Cibo semper nutrias!

17. Iesu, doces, facis mira,
Sanas morbos, pellis dira,
Sed quid refers? odia;
Mente semper, fac, benigna
Bona praestem, nec maligna
Movear invidia.

18. Iesu, monte Tabor grandis
Maiestatis typum pandis
Dans praegustum gloriae;
O si vita nunc insonte
Feram celso tandem monte
Praemia victoriae!

19. Iesu, petis Solymorum
Urbem deflens tot malorum
Cladibus obnoxiam;
O si tui vis amoris
Mihi praestet vim doloris
Et malorum veniam!

20. Iesu, vili te vendentem
Cerno Iudam et prodentem
Deum pro pecunia;
Unum tui fac amorem
Esse mihi potiorem
Bona super omnia.

III.

Iesu, Deus et magister,
Lavas pedes ut minister,
Damnas arrogantiam;
Lava, precor, me sordentem
Et, quae forsan foedat mentem,
Elue superbiam.

21. Iesu, Pascha dum fecisti,
Tuis cibum te dedisti,
O stupenda caritas!
Panis vive, me conforta,
Ne me vincant fors adorta
Mundus, caro, Satanas.

22. Iesu, sanguinem sudabas
Orans horto, cum te dabas
Patris in arbitrium;
O si cor des resignatum
Et quod semper sit paratum
Duci per imperium!

23. Iesu, lupis tradebaris,
Sed ut ovis ducebaris
Mox futurus victima;
Omnis expers sim rancoris
Sed affectum, fac, amoris
Cordis gerant intima.

24. Iesu, tractus per furentes
Tuos cernis fugientes;
Quis non tecum plangeret?
Fac adversis nos constantes,
Sic secundis non nutantes,
Nil a te nos separet.

25. Iesu, vinctus accusaris,
Quin et siles, dum culparis
Irae procul motibus;
Fac me linguam refraenare,
Sensus omnes castigare
Pravis ab affectibus.

26. Iesu, Petrus te negavit,
Sed flens crimen expiavit
Tuae vi clementiae;
O si nunquam te negarem
Vel me reum mox purgarem
Fletu paenitentiae!

27. Iesu, falso iudicaris,
Alba veste subsannaris,
Iudex summae gloriae;
Fac me nullum iudicare,
Solum sciam me damnare
Vitae iudex propriae.

28. Iesu, dire flagellatus,
Pugnis, sputis es foedatus,
Purus omni vitio;
O quam dignus sum puniri!
Sed da poenis his muniri
Mortis a supplicio.

29. Iesu, spinis coronaris
Et illusus adoraris
Regens orbem nutibus;
O fac, zelo semper vero
Affectuque te sincero
Dignis colam laudibus!

30. Iesu, praeses te spectandum
Foras ducit, sed damnandum
Plebs dimittit Barrabam;
Absit, ducar hoc errore,
Ut tam dirae gentis more
Quidquam tibi praeferam.

IV.

Iesu, crucem dum portabas,
Heu, quam mole laborabas!
O si post te gradiar!
Eia, crucem fac tollendo
Et constanter te sequendo
Fructum crucis assequar.

31. Iesu, veste denudaris,
Sed, heu, quantum cruciaris
Causa verecundiae!
Fac me nunquam spoliari,
Qua nos decet peronari,
Veste pudicitiae.

32. Iesu, dire te distentum
Crucifigunt, o tormentum
Vitam praestans homini!
Absit mihi gloriari
Nisi lytro salutari
Et in cruce Domini.

33. Iesu, trina nomen lingua
Tibi ponit gens maligna
Laeto fulgens omine;
Precor, Iesu Nazarene,
Salva nos, nam pendet plene
Salus ab hoc nomine.

34. Iesu, patri pro tuorum
Culpa supplex fis tortorum,
Sic nos docens vincere;
Hostes amem, sed non ficte,
Zelo quaeram ne vindictae
Mala malis reddere.

35. Iesu, summi fons o boni,
Quam clementer das latroni
Paenitenti veniam!
Cor contritum mihi dona,
Ut hinc migrans tecum bona
Paradisi capiam.

36. Iesu, matrem commendabas
Et Iohannem, quem amabas,
In solamen mutuum;
Fac amborum mihi cura
Semper assit in pressura
Salus et auxilium.

37. Iesu, clamas voce tristi:
Utquid, pater, me liquisti?
O tormenta fortia!
A te nunquam derelinquar,
Ne tentatus forte vincar
Mortis in angustia.

38. Iesu, siti flagras totus,
Sed, heu, quales tibi potus
Gens propinat impia!
Memor potus tam amari,
O quam velim refraenari
Carnis desideria!

39. Iesu, culpam protoplasti
Morte luens consummasti
Redemptoris munia;
Cor amoris vi concepta
Ad implenda duc praecepta
Sanctaque consilia.

40. Iesu, vita dum migrabas,
Temet patri commendabas,
Heu, sol luget obitum;
Fac, extrema mortis hora
Meum tibi sine mora
Reddam gaudens spiritum.

V.

Iesu, nostros ob reatus
Insons durae morti datus,
Reis donas veniam;
O per sacrae mortis fructum
Fac, ne sequens carnis ductum
Mala morte peream.

41. Iesu cor dum perforatur,
Fons amoris dilatatur
Corda rigans arida;
Salvatoris patent fontes,
Quid haurire vetat sontes
Aquas in laetitia?

42. Iesu, cruce te pendentem
Cernens mater, heu, quo mentem
Sensit ense sauciam!
Cor da cruci sit adfixum,
Ut te Iesum crucifixum
Scire solum cupiam.

43. Iesu, tandem sepeliris
Et aromate condiris,
Heu, quos inter gemitus!
In te meam sepeliri
Mentem praestes et condiri
Unctione spiritus.

44. Iesu, limbum spoliasti,
Dum captivos liberasti,
Triumphator nobilis;
O fac cunctis salvar malis
Nec inferni tam poenalis
Stringar unquam vinculis!

45. Iesu, victa resurgebas
Morte, maestis apparebas
Consolator cordium;
Fac, a morte vitiorum
Redivivus te decorum
Expers cernam sordium.

46. Iesu, comes queis ivisti
Petens Emaus, non fuisti
Cognitus a sociis;
O si fruar te praesente
Nec abducar unquam mente
Tuis ab eloquiis.

47. Iesu, caelos ascendisti
Et triumphans accepisti
Summum caeli bravium;
Ut et ego comprehendam,
Sic fac curram, ne offendam,
Per hoc mundi stadium.

48. Iesu, caelo paracletum
Mittens sacri gregis coetum
Sancto reples pneumate;
O per numen veritatis
Nostra reple pietatis
Pectora charismate!

49. Iesu, matrem exaltasti
Supra caelos et ornasti
Super omnes gloria;
O mi Iesu, me defende,
O de caelis huc intende,
Mater plena gratia.

50. Iesu, iudex es venturus
Et mercedem redditurus
Factis nostris similem;
Mitem te nunc in amore
Colam, ne tunc in furore
Sentiam terribilem.

Jacobus Merlo Horstius, Paradisus Animae Christianae, Coloniae 1670, p. 516 sqq. — Jeder Dekade geht eine Strophe zum Pater Noster vorauf und folgt die Doxologie:

O potens audi nos creator,
Audi, clemens o salvator,
Audi, sancte gubernator,
Deus meus et omnia;
Ora, dulcis o Maria,
Placa natum, mater pia,
Tu solamen sis in via
Ille salus [in] patria.

Vgl. das Rosarium Salve mater pietatis.

5. Sertum Christi.

I.

1. Ave, Iesu conditor,
veritas et vita,
Via, virtus, gratia,
salus infinita.

2. Ave, qui de lumine
lumen advenisti
Et de matris utero
nobis illuxisti.

3. Ave, splendor gloriae
paternae maiestatis,
Speculum munditiae
divinae pietatis.

4. Ave, vas clementiae,
summae pietatis,
Reparator gratiae,
lumen veritatis.

5. Ave, qui per angelum
nasci nuntiaris
Et in matris utero
Deus incarnaris.

6. Ave, qui de virgine
nasci voluisti
Et ex clauso thalamo
matris processisti.

7. Ave, qui praesaepio
pauper inclinaris
Et in pannis vilibus
dives occultaris.

8. Ave, qui pastoribus
natus nuntiaris
Et caelesti curiae
vere dominaris.

9. Ave, legis conditor
sub lege circumcisus,
Qui per semen Abrahae
redemptor es praevisus.

10. Ave, qui a regibus
quaeri voluisti,
Quibus signum caelicum
per stellam ostendisti.

II.

11. Ave, qui muneribus
a magis adiuvaris,
Quibus donis mysticis
ut Deus adoraris.

12. Ave, qui per virginem
in templo praesentaris
Et per senem indicem
pati praedicaris.

13. Ave, qui exsilio
per matrem deportaris
Et verbis propheticis
inde revocaris.

14. Ave, qui virgineo
lacte sustentaris
Et maternis brachiis
ut puer baiularis.

15. Ave, qui per triduum
absens quaerebaris
Et inventus dulciter
per matrem increparis.

16. Ave, qui a milite,
rex regum, baptizaris
Et post hoc a Satana
pro nobis tentaris.

17. Ave, qui apostolos
rudes elegisti
Et eos caelestibus
donis imbuisti.

18. Ave, qui ad nuptias
vocatus venisti,
Ubi tuam gratiam
primum ostendisti.

19. Ave, qui miraculis
multis coruscasti
Et tuam potentiam
interdum occultasti.

20. Ave, qui itinere
lassus fatigaris
Et caelesti gloria
viator satiaris.

III.

21. Ave, qui a mortuis
Lazarum vocasti,
Per quod signum perfidos
multum confutasti.

22. Ave, qui cum gloria
rex regum es receptus
Et cum ignominia
postmodum eiectus.

23. Ave, qui in paschate
pascha celebrasti,
Quod et in memoriam
posteris dicasti.

24. Ave, manna caelicum,
panis angelorum,
Caritatis epulum,
auctor meritorum.

25. Ave, qui sanguineum
sudorem effudisti,
Cum tormenta maxima
futura praevidisti.

26. Ave, rex liberrime,
qui vinctus ducebaris
Et crucifigi labiis
profanis conclamaris.

27. Ave, cuius facies
sputis defoedatur,
Alapis contunditur,
pannis obvelatur.

28. Ave, corpus inclitum,
funibus ligatum
Et virgarum ictibus
dire verberatum.

29. Ave, qui purpurea
veste circumdaris
Et derisus taliter
spinis coronaris.

30. Ave, qui ad victimam
ductus baiulasti
Crucem, in qua fortiter
pro nobis dimicasti.

IV.

31. Ave, cuius innocens
corpus denudatum
Stat in cruce manibus,
pedibus clavatum.

32. Avete, manus aureae,
tornatiles et mundae,
Per quas dona gratiae
profluxerant abunde.

33. Avete, pedes incliti
clavis perforati
Ac in crucis stipite
simul cancellati.

34. Ave, qui cum impiis
morti deputaris
Et pro transgressoribus
mitis deprecaris.

35. Ave, cuius gratia
latroni miseretur,
Dum compunctus animo
te Deum confitetur.

36. Ave, qui dulcissimam
matrem commendasti
Iohanni virgineo
custodi, quem amasti.

37. Ave, dulcor animae,
qui cruci conclavatus
Es fellis amarissimi
poculo potatus.

38. Ave, qui incendio
crucis es assatus,
Agmus sine macula
pro nobis immolatus.

39. Ave, qui cum valido
clamore tradidisti
Tuae vitae spiritum,
in cruce dum sitisti.

40. Ave, latus floridum
rosei coloris,
Ex te manant rivuli
fervidi amoris.

V.

41. Ave, cuius transitu
sol obtenebratur,
Et saxorum qualitas
dura conquassatur.

42. Ave, qui tartareas
portas confregisti,
Cum tuam potentiam
vinctis ostendisti.

43. Ave, qui de stipite
crucis es ablatus
Et in munda sindone
sepulcro commendatus.

44. Ave, custos omnium
sepulcro custoditus
Et a sanctis feminis
devote inquisitus.

45. Ave, qui post triduum
vere surrexisti,
Sicut tu discipulis
ante praedixisti.

46. Ave, qui apostolis
te vivum demonstrasti
Et coram eis etiam
vere manducasti.

47. Ave, qui videntibus
discipulis levatus
Es ad patris dexteram
in caelo collocatus.

48. Ave, qui paraclitum
spiritum misisti
Cordibus fidelium,
sicut promisisti.

49. Ave, iudex cordium
ultimo venturus,
Meritorum omnium
praemia daturus.

50. Ave, rex regnantium,
merces beatorum,
Praesta te colentibus
virtutem meritorum.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1446. Clm. Monacen. 19991. B. — Orat. ms. Scotorum Vindobonen. saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 54 h 8. C. — Mone I, 336 sqq. nach einer Brombacher Hs. saec. 15. D. — Collect. ms. Lambacense saec. 15. Cod. Lambacen. 480 (743). E.

Aufserdem: Cod. Sublacen. 195. saec. 14. — Cod. Parisin. 333. saec. 15. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — Cod. Sangallen. 485. saec. 15. — Cod. Iosephini Hildeshemen. 3 (6). F.

1, 1 mundi conditor D. — 2, 2 processisti CE. — 2, 3 de patris gremio D; de patris thalamo CE. — Str. 2 u. 3 umgestellt CE. — 3, 4 claritatis DE. —

4, 1 fons clementiae CDE. — 4, 2 bonitatis D. — 4, 3 Reparator patriae CE; Imperator patriae D. — 5, 3 matris alvulo CE. — 5, 4 mox Deus DE. — 6, 3 clauso utero CDE. — 6, 4 mox processisti D. — 7, 2 reclinaris E. — Str. 7 u. 8 lauten in D:

7. Ave, pro me vilibus
pannis involutus
Membris infantilibus
propter me indutus.

8. Ave, quem exercitus
salutat angelorum,
In praesaepi positus
sub foeno iumentorum.

9, 4 provisus D. — 10, 4 per fehlt CE. — Str. 10 lautet in D:

10. Ave, cui munera
tres reges ferunt tria,
Quem regem super sidera
fatentur mente pia.

Str. 11 fehlt D. — 11, 2 adoraris C; recrearis E. — 11, 3 A quibus CE. — 11, 4 veneraris C. — Str. 12 lautet in D:

12. Ave, quem puerpera
in templum praesentavit,
Quem in ulnas Simeon
complexus praedicavit.

13, 3 angelicis E. — Str. 13 und 14 umgestellt C. — 15, 1 post triduum CE. — 15, 4 amplexaris D. — 16, 3 Et ex tunc a D. — Nach Str. 16 schiebt D ein:

Ave, qui per plurimos
annos transivisti
Vivens inter pessimos
ut agnum [te] gessisti.

Str. 18 fehlt D. — 18, 4 primo CE. — 19, 2 veris coruscasti CE. — Str. 20 fehlt D. — 21, 2 Lazarum suscitasti B. — 31, 3 sq. Per quod signum maximum Iudaeos concitasti BCE. — 22, 4 post modicum D. — Statt Str. 23 hat D folgende zwei:

Ave, Iesu optime,
Ave, Iesu bone,
Reorum benignissime
Defensor et patrone.

Ave, qui cenantibus
tecum te dedisti,
Hoc dulce nobis omnibus
pignus reliquisti.

24, 3 vinculum D. — 26, 4 proclamaris E. — Statt Str. 26 hat D folgende zwei:

Ave, rex liberrime,
qui vinctus ducebaris
Scelestisque manibus
ut latro tractabaris.

Ave, qui iudicibus
bis binis praesentaris
Et profanis labiis
false criminaris.

27, 2 sputo CDE; deformatur DE. — 27, 4 panno CDE. — 28, 1 sq. Ave cuius inclitum corpus est ligatum CDE. — 29, 1 puerpera D. — 3, 1 cuius denuo D. — 31, 4 et pedibus DE; ligatum D. — Nach Str. 31 schiebt D ein:

Ave, qui amabiles
manus expandisti
Et poenas miserabiles
corde pertulisti.

32, 1 Ave B. — 32, 2 pariter et D. — 32, 4 profluunt D. — 33, 1 Ave D. — 33, 2 clavo CE. — 33, 3 Et in crucis CE. — 33, 4 concellati D. — 34, 3 mori B. — 34, 4 tuis deprecaris CE; pie deprecaris D. — 36, 1 sq. Ave, qui discipulo matrem commendasti D. — 37, 2 qui fehlt E. — 37, 3 amarissimis CE. — 37, 4 poculis CE. — Str. 38 fehlt B. — 39, 1 cum fehlt C. — Str. 39 lautet in D:

Ave, tradens spiritum
patri commendasti,
Opus tibi creditum
pie consummasti.

Hierauf schiebt D folgende zwei Strophen ein:

Ave, dulcis hostia
coram patre Deo,
Esto nunc propitia
peccatori reo.

Ave, quem in latere
lancea percussit,
Quae matris cor (ex) vulnere
valide concussit.

40, 2 rosei cruoris DE. — 40, 3 Ex quo D. — Str. 41 lautet in D:

Ave, sanguis floride,
sanguis generose,
Laus ei, qui te pro me
effudit copiose.

42, 3 Et tuam potentiam E, per potentiam D. — 42, 4 electos eduxisti D. — Str. 44 fehlt D. — 45, 1 in triduo D. — 45, 3 sq. Firmatisque fratribus caelos ascendisti D. — Str. 46 und 47 fehlen D. — 47, 2 es levatus CE. — 47, 3 Et ad CE. — 48, 3 In cordibus CE. — 49, 1 iudex omnium D. — 49, 3 sq. Meritorum praemia singulis daturus D.

„Incipit sertum Christi“ D. — „Iubilus de vita Christi“ B. — „Oratio de passione Domini“ C. — „Oratio et salutatio dominicae passionis sancti Bernhardi“ E. — „Incipit iubilus beati Bernhardi eiusdem de tota vita Christi per quinquaginta Ave“ F. — Die in D abweichenden Strophen, welche sich schon durch den Reim der ersten und dritten Zeilen kennzeichnen, sind alle dem Liede Ave, quem desidero (Mone I, 333 sq.) entlehnt, welches sich daher als eine teilweise Umdichtung dieses Rosariums ausweist.

6. Rosarium beatae Mariae V.

O Maria, florens rosa,
Prae omnibus electa,
Mater Christi speciosa,
Rosarium hoc accepta.

I.

1. Quem, virgo carens vitio
De flamine concepisti,
Dum Gabrieli nuntio
Humillime consensisti.

2. Quo impraegnata citius
Cognatam visitasti
Iohannemque celerius
Ventre sanctificasti.

3. Quem civitate Bethlehem
Laetando genuisti
Neque dolorem aliquem
Gignendo pertulisti.

4. Quem regis David genere
Mox natum adorasti
Ac vagientem ubere
Virgineo lactasti.

5. Quem pannis et fasciis
Constrictum reclinasti
Et suis obsequiis
Te totam mancipasti.

6. Quem magno tripudio
Angeli laudaverunt
Pacemque cum gaudio
In terris cecinerunt.

7. Quem salvatorem omnium
Pastores agnoverunt,
Dum in praesaepi Dominum
Iacentem invenerunt.

8. Iuxta ritum hominis
Passus circumcisionem
Dulcis Iesu nominis
Cepit impositionem.

9. Qui a tribus regibus
Ferventer adoratur
Magnisque muneribus
Decenter veneratur.

10. Quem die quadragesima
In templo obtulisti
Ac Moysi legitima
Spontanee subisti.

II.

11. Quem Herodem fugiens
Aegypto adduxisti,
Tandem inde rediens
Ad Nazareth venisti.

12. Quem ad festa transiens
Dolenter perdidisti,
Sed mox templum rediens
Gaudenter repperisti.

13. Quem manuum per opera
Sollicite nutrivisti
Et in aetate tenera
In omnibus providisti.

14. Quem Iordanis flumine
Iohannes baptizavit
Et agnoscens numine
Digito demonstravit.

15. Quem Satan astutiis
Trifarie temptavit,
Salvator sed versutiis
Prudenter obviavit.

16. Qui tuo pro oraculo
Aquam in vinum mutavit,
In quo suos miraculo
Discipulos confirmavit.

17. Qui obsessos plurimis
Daemonibus salvavit
Ac infirmos variis
Languoribus curavit.

18. Qui Lazarum cum filio
Viduae suscitavit,
Puellam cum prodigio
Ad vitam revocavit.

19. Qui cum peccatoribus
Frequenter manducavit
Hisque paenitentibus
Peccata relaxavit.

20. Cuius pedes lacrimis
Peccatrix irrigavit
Dolensque ex intimis
Veniam impetravit.

III.

21. In monte Tabor deforis
Iste transfiguratur,
Et gloriosi corporis
Maiestas declaratur.

22. Cum palmis celebriter
In urbem quem duxerunt,
Vespere sed turpiter
Vacuum dimiserunt.

23. Qui in cena novissima
Pedes suorum lavit
Escaque nobilissima
Cum sanguine cibavit.

24. Qui horto mente anxia
Prolixius oravit
Et aquam prae tristitia
Cum sanguine sudavit.

25. Quem viri malefici
Crudeliter vinxerunt
Annaeque pontifici
Ligatum adduxerunt.

26. Cuius vultum turpibus
Sputis maculabant
Et pugnorum ictibus
Dire verberabant.

27. Quem Pilati sedibus
Damnandum praesentabant
Atque falsis testibus
Dolose accusabant.

28. A Iudaeis exhibitum
Herodes quem invisit,
Sed per despectum habitum
Ut fatuum remisit.

29. Ipsum indutum purpura
Columnae adligatum
Corona pungit spinea
Flagellis verberatum.

30. Quem confossum vulneribus
Milites subsannarunt
Ac C r u c i f i g e vocibus
Iudaei conclamarunt.

IV.

31. Quem ut reum sceleris
Pilatus condemnavit,
Crucis lignum umeris
Propriis baiulavit.

32. Calvariae quem vestibus
Loco exuerunt
Et manus cum pedibus
Cruci adfixerunt.

33. Pro suis tortoribus
Attente qui precatur,
Dum crucis doloribus
Extensus tenebratur.

34. Iste latroni omnia
Crimina dimisit
Ac paradisi gaudia
Ilico promisit.

35. Qui Iohanni discipulo
Te matrem commendavit,
Quem tibi in patibulo
In filium donavit.

36. Qui se relictum omnibus,
Dum patri querulatur,
Inimicorum vocibus
Turpiter blasphematur.

37. Qui dum exhaustis viribus
Sitio cantavit,
Fel et acetum faucibus
Miles propinavit.

38. Qui prophetarum edita
Consummans passione
Primi parentis debita
Persolvit ratione.

39. In manus patris tradidit
Spiritum pretiosum,
Alta voce dum edidit
Canticum dulcorosum.

40. Crucis mortem subiens
In pace obdormivit,
Electos eripiens
Infernum introivit.

V.

41. Satelles latus Domini
Lancea perforavit,
Hinc aqua iuncta sanguini
Abunde emanavit.

42. Cuius corpus sanctissimum
De cruce receperunt
Et sepulcrum mundissimum
Eidem aptaverunt.

43. Qui virtute propria
A morte resurrexit,
Teque a tristitia
Discipulos erexit.

44. Super caelorum sidera
Ascendit virtuose
Atque in patris dextera
Residet gloriose.

45. Qui pentecostes tempore
Spiritum emisit
Apostolis pro foenore,
Ante ut promisit.

46. Qui te super aethera
Valenter exaltavit
Et in sua dextera
Decenter collocavit.

47. Propter mundi scelera
Qui iudex est venturus
Singulorum opera
Strenue discussurus.

48. Dira qui supplicia
Est reprobis daturus,
Sed electis gaudia
Aeterna collaturus.

49. Qui parcit peccantibus
Veniam pollicendo
Et in se sperantibus
Viam adiciendo.

50. Orantibus rosarium
Aureum tuae matris,
Christe Iesu, propitium
Fac vultum tui patris.

51. Finitur hic rosarium
Mariae deauratum,
Iesu per compendium
Actibus decoratum.

Collect. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11741. A. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV 29. B. — Antidotarius Animae imp. s. l. et a. C. — Aus einer Bronnbacher Handschr. saec. 15. bei Mone II, 263 ff. D.

Die einleitenden Verse nur A; 3 Mater Christi sponsa; statt dessen haben BCD folgende Verse, mit denen Str. 51 zu vergleichen:

B: Suscipe rosarium,
Maria, deauratum,
Iesu per compendium
Actibus decoratum.

CD: Suscipe rosarium,
Virgo, deauratum,
Iesu per crmpendium
Vita decoratum.

2, 3 celerius D. — 2, 4 In ventre D. — 4, 1 Hunc AB; David regis BCD. — 5, 1 et fehlt CD. — 6, 1 Hunc magno AB; cum tripudio A. — 7, 1 pastorem D; lies hominum statt omnium? — 8, 1 Qui iuxta BCD. — 9, 1 Hic a tribus AB. — 10, 1 Hunc die AB. — 11, 2 Aegyptum D. — 12, 1 Hunc ad festa AB. — 12, 3 templum adiens BCD. — 13, 1 manuum propera D. — 14, 1 Hunc Iordanis A. — 14, 3 nomine C; Et agnum Dei digito D. — 14, 4 Digito monstravit C; Mundo demonstravit D. — 15, 1 Quem Satan post ieiunium A. — 15, 3 Salvatorem CD; sed fehlt D; Sed salvator omnium. A. — 16, 2 mutat D. — 16, 4 confirmat D. — 17, 1 Is obsessos A; plurimis D. — 17, 3 variis D. — 18, 1 Hic Lazarum A. — 20, 1 Huius pedes A. — 21, 1 Qui in monte deforis D. — 20, 2 Lucide transfiguratur B; Qui tansfiguratur C. — 22, 1 Quem cum B; celeriter B. — 23, 1 In cena qui CD; In cena hic A. — 24, 1 In horto mente ACD; Qui in horto mente B. — 24, 2 Prolixe qui oravit D. — 26, 1 Vultum cuius CD; Vultum eius A. — 27, 1 Hunc Pilati A. — 27, 2 Damnatum A. — 28, 1 Quem a Iudaeis B; Iudaeis exhibitum D. — 28, 2 Herodes hunc A; Herodes hinc D. — 29, 1 Quem indutum BCD; lies vielleicht Quem indutum purpurea (scl. veste)? cfr. Reim. — 30, 1 Hunc confossum A; Quem conscissum D. — 30, 4 declamarunt D. — 31, 1 Ut reum quem CD; Ut reum hunc A. — 31, 2 Pilatus quem damnavit D. — 32, 1 Quem Calvariae B; Calvariae hunc A. — 33, 1 Qui pro suis B. — 33, 2 Attente hic precatur ABCD. — 34, 1 Qui latroni BCD. — 35, 1 Hic Iohanni A. — 36, 1 ab omnibus CD. — 36, 2 Deo patri querebatur B. — 36, 4 blasphemabatur D. — 37, 1 Is dum A. — 38, 2 Consumens CD. — 39, 1 Qui in manus B. — 39, 4 dolorosum A. — 40, 1 Qui crucis B. — 41, 1 Cuius satelles Domini B. — 41, 2 Latus lancea perforavit B. — 41, 3 Et aqua iuncta B. — 42, 1 Huius corpus A. — 43, 4 Et discipulos B; Discipulosque CD. — 44, 1 Supra A; Qui super B. — 44, 3 ad patris dexteram B. — 44, 4 Sedet gloriose A. — 45, 1 In pentecostes A; pentecostes ipsum D. — 45, 4 Rite ut promisit B. — 46, 2 Potenter CD. — 46, 3 Et ad suam dexteram B. — 46, 4 Recenter A. — 47, 1 Qui propter B. — 47, 2 Qui fehlt B; Hic iudex est A. — 47, 4 Stricte discussurus A. — 48, 1 Dira is supplicia A; Qui dira B. — 48, 2 Reprobis est B. — 48, 4 collocaturus A; est collaturus B. — Str. 49 fehlt ACD. — 50, 3 Iesu Christe CD. — Str. 51 fehlt BCD. — Da Str. 50 schon eine Schlufsstrophe, scheint noch eine Strophe an diesem Rosarium zu fehlen. Mit demselben ist weiter oben Nr. III zu vergleichen, welches Vorlage dieses Rosariums ist.

7. Roseum Crinale B. M. V.

I.

1. Salve, caeli, terrae decus,
Per te coetus vidit caecus
Captivorum et reorum,
Dum tu regem angelorum
Virgo genuisti.

2. Salve, virginale sidus,
Per te vivit homo fidus,
Per te fides inolevit,
In te verbum Dei crevit,
Virum nec scivisti.

3. Salve, puritatis flumen,
Per te venit ternum lumen,
Fuit et est verum numen,
De quo scripsit vatum rumen
Optans eius ortum.

4. Salve, virtus o virtutum,
Colluctantis tu es scutum
Contra carnis olens lutum
Paenitentibusque tutum
Tu vis dare portum.

5. Salve, caeli plena rore,
Omni digna es honore,
Virga arens es cum flore,
Dum naturae absque more
Genetrix es facta.

6. Salve, virgo dicta diva,
Per te rea gens fit viva,
Quae in valle est decliva;
Ergo nos peccatis priva,
Parens o intacta.

7. Salve, nectar diligentis,
Tu es robur decumbentis,
Es solamen gentis flentis
Et asylum morientis,
Virgo benedicta.

8. Salve, vitis ubertatis,
Salve, decor maiestatis,
Nos tuere a damnatis
Nec non universitatis
Dele tu delicta.

9. Salve, nubes rorans mella,
Salve, trinitatis cella,
Ad plasmantem tu appella
Pro nobis, ne in procella
Maris submergamur.

10. Salve, salutare donum,
Omnis laudis tenens tonum,
Redde nobis natum pronum,
Ut omnes ad summum bonum
Sursum rapiamur.

II.

11. Salve, mater Dei dia,
Salve, veritatis via,
Talem fatur prophetia,
Quod de te vera sophia
Christus nasceretur.

12. Salve, vellus Gedeonis,
O lucerna rationis,
Fortitudo tu Samsonis,
Fac, ut per te nunc draconis
Virus percassetur.

13. Salve, dulcis cordis risus,
Tu es verus paradisus,
Per te mundus est gavisus,
De te ortus dum est visus
Abraham caelestis.

14. Salve, odor balsamorum,
Quae vocaris rosa florum,
De te chori angelorum
Mirantur et populorum,
Est scriptura testis.

15. Salve, o orantis vitta,
Salve, mira magarita,
Duc nos ad superna sita,
Ubi est aeterna vita
Tempestate carens.

16. Salve, sponsi tu cancelle,
Tu, quae pronum habes velle
Caeli nos cibare melle,
Labis nefas mox repelle,
Per quam mens est arens.

17. Salve, castitatis villa,
Tu es vere virga illa,
Quam divini roris stilla
Fecundavit et scintilla
Flaminis incendit.

18. Salve, reparatrix pacis
Indeficiensque satis,
Tu es fervor ardens satis
Cum virtute, quod rapacis
Lupi faux nil prendit.

19. Salve, rubens o aurora,
Salve, nimis o decora,
Reos tunc in mortis hora
Transfer sursum sine mora.
Ut laus tua crescat.

20. Salve, virgo sine pare,
Salve, summae marmor arae,
Te creavit rex tam gnare,
Primi ut parentis thare
Per te evanescat.

III.

21. Salve, gemma o gemmarum,
Tuum nomen cunctis carum
In dulce vertit amarum
Et impurum facit clarum,
Haec sunt mira vere.

22. Salve, Aaron florens lignum,
Te praemonstrat caeli signum,
Laborare tu malignum
Computasti et indignum
Pro labenti aere.

23. Salve, caelum tangens scala,
Tu operiens es mala,
Quae dederunt Adae mala,
Da, ut tua nunc sub ala
Stemus in censura.

24. Salve, veri solis rota,
Es in mente munda tota,
Famulantum tolle vota
Et aerumnam nostram nota
Propter adfutura.

25. Salve, vere sciens iura,
Per te mens purgetur dura
In effectuque sit pura,
Esse ut possit secura,
Ipsam ne quis laedat.

26. Salve, nobilis regina,
Nulla quam terret ruina,
Tu sanctorum es piscina,
De qua vera medicina
Nobis arridebat.

27. Salve, nimis firma vectis,
Tu resistis retroiectis
Daemonum protervis sectis
Ipsosque horrore plectis
Nomine, Maria.

28. Salve, o lucens lunaris,
Tu in terris operaris
Quasi radius solaris,
Merito tu appellaris
Summa hierarchia.

29. Salve, quae catervas gentum
Illustrasti diffidentum,
Tu aureolas fers centum,
Quas tibi dat rex regentum,
Sponsus puellarum.

30. Salve, virgo o Maria,
Salve, paradisi via,
Tu es super omnes dia,
Tu es verax, mitis, pia,
Fugatrix poenarum.

IV.

31. Salve, speculum o purum,
Per te Deus struxit murum,
Hostis ut fugaret durum
Genus, animarum furum,
Quas ipse formavit.

32. Salve, nostra o tutela,
Nefas in agone cela,
Remove obscura vela
Illum nobis et revela,
Qui te sic beavit.

33. Salve, rubus flammans mire,
Te colenti te largire,
Illum placa die irae,
In quo fons est omnis scire,
Vitae dos aeternae.

34. Salve, o iustorum forum,
Cohors fugit te stultorum,
Ardentes in caelis quorum
Inter choros angelorum
Non erunt lucernae.

35. Salve, altitudo montis,
Salve, claritudo fontis,
Vere vita es insontis,
Fortitudo tu es pontis
Mare transientis.

36. Salve, gaudium gementum,
Salve, firmum fundamentum,
Vires excellis potentum,
Scrinium es opulentum
Imperas et ventis.

37. Salve, quae nunquam ruisti
Ac per hoc promeruisti
Super omnes choros sisti,
Ubi dextera te Christi
Mire laureavit.

38. Salve, caeli dulcor, panis
Valens sanis et insanis,
Da, ut nostra mens inanis
Per te trahatur a vanis,
Linquat, quod amavit.

39. Salve, virga stirpis Iesse,
Da nos in superna messe
Sine fine omnes esse
Semper cum aeterno Esse,
Qui est vera quies.

40. Salve, o secura navis,
Salve, o thesauri clavis,
Quam Iohannes vidit, avis,
Tu in tenebris es pravis
Claritatis dies.

V.

41. Salve, summi favum mellis,
Castis immoraris cellis,
Omne genus tu excellis
Et, quod sordet, tu depellis
Tua cum virtute.

42. Salve, galaxia Dei,
Miserere, virgo, mei,
Tu da sursum corda vehi,
Possint ut uniri legi,
Sic vivamus tute.

43. Salve, terrens o balista,
Salve, militantis cista,
Errat sine te iurista,
Nam de te scripsit psalmista
Veritatis normam.

44. Salve, throni o sedile,
Salve, aureum monile,
Tu ipsius es cubile,
Qui cunctorum dedit hylae
Obnascentum formam.

45. Salve, aula summi regis,
Tu illustras cor exlegis,
Desperantis crimen tegis
Et in paradisum vehis,
Qui te amavere.

46. Salve tu, quae deviantes
Dirigis et iuvas stantes,
Terres tu nos infestantes,
Et te semper venerantes
Nunquam periere.

47. Salve, sceptrum o regale,
Praeformosum atque tale,
Cui non patet aequale ;
Ergo dic, o virgo, vale,
Nunc me trahe sursum.

48. Salve, dulce tempus veris,
Tu virtutum sertum geris,
Tuque omne pravum teris
Et sanctorum semen seris,
Meum rege cursum.

49. Salve, sponsa, quae curantem
Genuisti ut infantem,
Serva, pia, te laudantem
Per hoc scriptum et orantem,
Roga, ut salvetur.

50. Salve, pietatis vena,
Hunc a culpa et a poena
Absolve, virgo serena,
Qui te cum hac quinquagena
Dietim veretur.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Paulan. Sanbl. membr. 45. — 5, 3 Virga florens. — 15, 1 vita. — 16, 4 Labe. — 17, 3 Per quam divi. — 26, 3 Et sanctorum. — 29, 2 Illustrati. — 33, 2 tu largire. — 35, 3 Veri. — 39, 2 Da nobis. — 45, 3 Te sperantis. — Vgl. Mone II, 275 ff.

8. Sertum beatae Mariae V.

I.

1. Ave, mitis
oliva gratiae,
Lenis mater
misericordiae,
Tu fomentum,
tu salus populi,
Tu lucerna
totius saeculi,
Virgo serena.

2. Ave, parens
unius filii,
Quem non macu-
lavit faex vitii,
Omnis vivens
peccato paruit,
Solus iste
reatu caruit,
mater amoena.

3. Ave, sacri
verbi puerpera,
Nos in eius
virtute libera,
Deum placa
sacro precamine,
Ut nos salvet
in suo nomine,
Virgo sacrata.

4. Ave, virgo,
quae degens caelitus
Elongasti
mundanos strepitus,
Dum tu sanctum
agebas otium,
Tunc supremum
audisti nuntium,
Sponsa beata.

5. Ave, virgo,
per cuius meritum
Dirae mortis
est ius abolitum,
Ut attingam
lumen viventium,
Pedis mei
rege vestigium,
Iustitiae dux.

6. Ave, virgo,
Christo nos praepara,
Qui factus est
in ligno cithara,
Qui tormentis
astrictus siluit,
Donec surgens,
quis esset, claruit,
Laetitiae lux.

7. Ave, cuius
carnis substantia
Tulit illum,
qui cuncta vitia
Diluit et
promisit gaudia
Sequentibus
ipsum recta via,
Blanda precanti.

8. Ave, per quam
suscepi Dominum,
Qui naturam
suscepit hominum,
Cuius lenis
misericordia
Me suscepit
concessa venia,
Dulcis amanti.

9. Ave, per quam
fit Deo subdita
Gens aeterno
tormento dedita,
Per te gentes
salvavit perditas
Calceata
carne divinitas,
Vas deitatis.

10. Ave, cordis
medela saucii,
Precem audi
clamoris anxii,
Nos in petra
Christo corrobora,
Ne peccando
pereant corpora,
Fons pietatis.

II.

11. Ave, per quam
invenit pretium,
Qui redemit
peccata gentium,
Cum Iudaeus
id a se reppulit,
Se redemptor
ad gentes transtulit,
Dura malignis.

12. Ave, Christi
quae sinu recubas,
Quae precando
pro nobis excubas,
Deum cuius
sitivit anima,
Caro tulit
amara plurima,
Blanda benignis.

13. Ave, sacro
dicata flamini,
Quae coniungis
cor altum homini,
Absque matre
de patre proditus
Sine patre
fit de te genitus,
Sancta propago.

14. Ave, mater,
quae plena gaudio
In caelesti
coruscas atrio,
Ante mundum
cuius electio,
Super omnes
cuius assumptio,
Lucis origo.

15. Ave, parens,
per cuius viscera
Mira fecit
creator opera,
Huius mundi
siccavit pelagus,
Ut transiret
peccator naufragus,
Virgo decoris.

16. Ave, terra
dulcis et fertilis,
De qua fructus
prodiit nobilis,
De se terram
et caelos reficit,
Omnes pascit
nec solus deficit,
Fructus honoris.

17. Ave, sponsa,
cuius in thalamum
Distillavit
caeleste balsamum,
Cum ros sanctus
perfudit uterum,
Concepisti
per aurem puerum,
Cellula mellis.

18. Ave, cuius
Christus in gremio
Se velavit
carnis cilicio,
Cui acetum
gustandum miscuit
Iudaeus, qui
semper fel sapuit,
Nescia fellis.

19. Ave, virgo,
roga pro paupere
Christum, qui nos
venit redimere,
Pro me placa
datorem munerum,
Ut dignetur
beare miserum,
Virgo benigna.

20. Ave, per quam
extendit brachium
Pater, ad nos
cum misit filium,
Illud hostem
contrivit fortiter
Et nos sibi
constrinxit leniter,
Femina digna.

III.

21. Ave, cuius
in vellus floridum
Ros descendit
nec fecit madidum,
Vellus ovis
non laesit tonsio,
Carnem tuam
nulla corruptio,
Virgo pudica.

22. Ave, cuius
tenendo dexteram
Rex levavit
in sedem superam,
Te deduxit
in pompa gaudii,
Te suscepit
in parte solii,
Regis amica.

23. Ave, solis
aurora nuntia,
Veri stella
fulgoris praevia,
Exclusisti
noctem nequitiae,
Produxisti
solem iustitiae,
Ianua solis.

24. Ave, per quam
Christus nos adprobat,
Cum Iudaeos
repellens reprobat,
Nostrum nobis
emolli iudicem,
Ne furoris
effundat calicem,
Filia prolis.

25. Ave, nostrae
tutela patriae
Locus pacis,
palma victoriae,
Per te Deus
cunctis est agnitus,
Solis notus
Iudaeis primitus,
Lucida stella.

26. Ave, mater,
quae paris filium,
Nec apparet
partus vestigium,
Nulla via
patet in aequore,
Nulla tuo
labes in corpore,
Pura puella.

27. Ave, per quam
patris clementia
Misit mundo
caeli cibaria,
Per te pluit
panem angelicum,
Lenem gustu,
fructu mirificum,
Sacra sacrarum.

28. Ave, cuius
pro partu regio
Sunt fideles
dati martyrio,
Templum Dei
pro Dei nomine
Purpuratum
sanctorum sanguine,
Spes animarum.

29. Ave, per quam
summa dilectio
Nos respexit
de caeli solio,
Per te suam
plantavit vineam,
Quae dedisti
nobis aetheream,
Fructificans mons.

30. Ave, petra
mirae dulcedinis.
Mel producens,
pascens cor hominis,
Mel tam dulce
tuus est filius,
Qui tam dulce,
quod nihil dulcius,
Mellificans fons.

IV.

31. Ave, quondam
pauper et humilis,
Cunctis per hoc
exemplum utilis,
Hinc paupertas
et hinc humilitas
Duas monstrant
ad caelum semitas,
Praevia iuris.

32. Ave, per quam
pro certo novimus,
Quod sit homo
Deus altissimus,
Quod ei sit
par nullus Dominus,
Quem locorum
non claudit terminus,
Virgula turis.

33. Ave, grata
latori gratiae,
Bona bonis
addens cotidie,
Quae in Sion
vidisti terrea,
Nunc in Sion
vides aetherea,
Lux tenebrarum.

34. Ave, terra
carens agricola,
De qua prodit
caelestis incola,
De te surgit
exorta veritas,
Exit fructus,
datur benignitas,
Pulchra rosarum.

35. Ave, regis
ancilla libera,
Servitutis
nos iugo libera,
Per te nostrae
parcat miseriae,
Qui se texit
saeculi specie,
Flos sine spina.

36. Ave, de qua
per ora populi
Gloriosi
solvuntur tituli,
De qua natus
est orbis conditor,
Sol de stella,
de nata genitor,
Stella marina.

37. Ave, virgo,
quam servo virgini
Commendavit
dulcedo Domini,
Cum ad crucem
suam accederes,
Natos eius
dispergi cerneres,
Pax odiorum.

38. Ave, virgo
de David germine,
Germen habens,
sed sine semine,
Paris illum,
cui patris unctio
Regnum dedit
cum sacerdotio,
Meta laborum.

39. Ave, per quam
super nos claruit
Ille splendor,
quem pater genuit,
Roga Christum,
ut eius dextera
Plebis tuae
regantur opera,
Consilii ros.

40. Ave, pudor,
quem dena milies
Angelorum
vallavit acies,
Qui timores
nocturnos pellerent,
Hostes tui
a dextris caderent,
Munditiae flos.

V.

41. Ave, palma,
signum victoriae,
Quae vicisti
signa malitiae,
Silvae lignum
cedris excelsior,
Caeli sanctis
tu sola sanctior,
Cedrus odora.

42. Ave, de qua
decorem induit
Rex decorus,
quem nil dedecuit,
Qui te fecit
ex dono gratiae
Speciosam
de sua specie,
Gemma decora.

43. Ave, felix
Dei domestica,
Christi verba
conferens mystica,
Quam de novae
legis mysterio
Erudivit
caelestis unctio,
Regula morum.

44. Ave, cuius
sermo mellifluus
In psallendo
fuit assiduus,
Deum laudans,
non oris sibilo,
Sed affectu
et cordis iubilo,
Forma bonorum.

45. Ave, quae nunc
in laude iubilas,
Coram Deo
prae cunctis rutilas,
Pulchra carne,
sed magis spiritu,
In caelesti
vernas exercitu,
Vera lucerna.

46. Ave, per quam
se mundo reserat
Lux aeterna,
quae lucem fecerat,
Orta iusto
lux noctis nescia
Recto corde
refudit gaudia,
Porta superna.

47. Ave, novi
cantatrix cantici,
Canens ortum
caelestis medici,
Lingua Deum
foris magnificat,
Cum se Deus
in te mirificat,
Pacis alumna.

48. Ave, Christi
scabellum nobile,
Manu Dei
factum mirabile,
In qua pedem
maiestas posuit,
Cum se membris
humanis induit,
Summa columna.

49. Ave, portus
per cuius aditum
Portae caeli
patent post obitum,
Confitentes
excusa servulos,
Qui nunc tuos
frequentant titulos,
Caelica clavis.

50. Ave, virgo
carens illecebris,
Dei semper
servata palpebris,
Nunc regina
cum rege resides,
Dona tuis
ministris provides,
Tota suavis.

Orat. ms. Caelestinorum. saec. 15. Cod. Parisin. 18571.

9. Rosarium beatae Mariae V.

Introductio.

1. Salve, mater, virgo munda,
Semper manens laetabunda
Coram dulci filio,

2. Vellem tibi congaudere
Et cor meum exercere
In tui praeconio.

3. Ad hoc ergo te imploro
Toto cordeque exoro,
Mihi sis praesidio,

4. Cor et linguam pie munda,
Ne in tuae sint immunda
Laudis exercitio.

5. Virgo cunctis semper pia,
Assis mihi nunc, Maria,
Pio cum suffragio.

I.

1. Gaude, virgo, fragrans rosa,
Sine spinis gratiosa,
Sempiterno numini.

2. Gaude, virgo praeelecta,
Ab aeterno ut dilecta
Fias mater Domini.

3. Gaude, quia sub obscuris
Patriarchae te figuris
Monstravere variis.

4. Gaude, dicunt nam prophetae
Dei matrem fore tete
Suis vaticiniis.

5. Gaude, patri nuntiata
Es a Deo nondum nata
Horto matris uteri.

6. Gaude, virgo reverenda,
Es concepta sine menda,
Qua nascuntur ceteri.

7. Gaude, cernis ventre matris
Clausa lucem summi patris,
Qua fruuntur angeli.

8. Gaude, vides mente Deum,
Quando dormis, laudans eum,
Quem laudant archangeli.

9. Gaude, virgo Deo cara,
Ortu tuo nam praeclara
Praestas mundo gaudia.

10. Gaude, caelum iucundatur,
Dum te parvam contemplatur
Natam tali gratia.

11. Pia mater, fac fundati
Simus zelo tui nati
In oboedientia. Amen.

II.

1. Gaude, caelo fuit grata
Tui trimae templo facta
Sancta praesentatio.

2. Gaude, fervens et devota,
Nam exemplar eras tota
Virginum collegio.

3. Gaude, quia te amabant
Et persaepe visitabant
Templo caeli spiritus.

4. Gaude, manus angelorum
Tulit hora vesperorum
Panem tibi caelitus.

5. Gaude, scandis raptu mentis
Super caelos, ubi sentis
Nulli dicibilia.

6. Gaude, totam te dedisti
Deo tuo et novisti
Virginum vestigia.

7. Gaude, Deo sic oblata,
Es regina dedicata
Virginum seraphica.

8. Gaude, tecum fabulantur
Caeli cives et versantur,
Ac si fores caelica.

9. Gaude, Ioseph sponsa pura,
Semper tamen possessura
Virginum insignia.

10. Gaude, linquens templum Dei
Comitata his, qui ei
Serviunt in patria.

11. Pia mater, paupertatis,
Purae quoque castitatis
Sit in nobis gloria.

III.

1. Gaude, rogans summum patrem,
Nam facturus est te matrem
Sui nati nobilem.

2. Gaude, virgo valde fortis,
Quae disruptis caeli portis
Vincis invincibilem.

3. Gaude, prece tua facis
Cogitare Deum pacis
Cogitatus stabiles.

4. Gaude, virgo, ave, munda,
Semper florens et iucunda,
Fovens pie flebiles.

5. Gaude, virgo valde pia,
Dulcis mater, o Maria,
Es tu plena gratia.

6. Gaude, virgo benedicta
Intra omnes, tecum vita
Deus hac et alia.

7. Gaude, cunctis denegatam
Apud Deum peroptatam
Invenisti gratiam.

8. Gaude, iussa Dei sui
Caelo ferens adit tui
Gabriel praesentiam.

9. Gaude, virgo, mater Christi,
Aure Iesum concepisti
Gabriele nuntio.

10. Gaude, ventris tui velum
Paradisus fit et caelum
Dei domicilio.

11. Pia mater, nostra mente
Vivae crescat et non lentae
Fidei devotio.

IV.

1. Gaude. virgo, negas metam
Laudi Dei, cum te laetam
Concepisse cerneres.

2. Gaude, scandis festinanter
Iudae montes, ut laetanter
Sterilem iam viseres.

3. Gaude, virgo, dum laudaris
A cognata, modularis
Canticum Magnificat.

4. Gaude, pater praecursoris,
Dum prophetat laxis loris
Linguae, te laetificat.

5. Gaude, nam quem concepisti,
Ventre sacro tu tulisti
Iesum novem mensibus.

6. Gaude, Ioseph perturbatus
De te restat quietatus
Angeli sermonibus.

7. Gaude, cernis propinquare
Laeta nimis et instare
Partus tui terminum.

8. Gaude, Ioseph comitata
Et in Bethlem deportata
Paritura Dominum.

9. Gaude, virgo, resplendebat
Tuus vultus, dum manebat
Iesus tuo corpore.

10. Gaude, coetus angelorum
Te invisit beatorum
Ortus Iesu tempore.

11. Pia mater, spem ponamus
Morte Iesu, qua fidamus
Rei mortis litore.

V.

1. Gaude, virgo Deo plena,
Peperisti sine poena
Cum supremo gaudio.

2. Gaude, nato salvatore
Caeli cives cum dulcore
Canunt in praesaepio.

3. Gaude, Iesum vagientem
Et in terra tunc iacentem
Colis cum laetitia.

4. Gaude, Iesum reverenter
Terra tollis, quem gaudenter
Tenes inter brachia.

5. Gaude, cernis Iesu visum,
Renidentem paradisum
Grandi cum solacio.

6. Gaude, videns Iesu frontem
Contemplaris ibi fontem
Vitae cum tripudio.

7. Gaude, Iesu cum ocellos
Vides, mente super caelos
Scandis suavissime.

8. Gaude, nares contemplando
Dulcis Iesu iubilando
Gaudes quam dulcissime.

9. Gaude, virgo, nam gaudebas,
Labra tua dum iungebas
Sanctis Iesu labiis.

10. Gaude, David stirpe nata,
Es os Iesu contemplata
Cum immensis gaudiis.

11. Pia mater, diligamus
Fratres Deumque colamus
Intimis praecordiis.

VI.

1. Gaude, genas oscularis
Iesu dulcis et laetaris
Intimis visceribus.

2. Gaude, cernis in praesaepe
Aures Iesu, quas persaepe
Mulces verbis dulcibus.

3. Gaude, pulchro Iesu mento
Laeta nimis in momento
Plura dabas oscula.

4. Gaude, virgo singularis,
Guttur Iesu contemplaris
Cum non parva morula.

5. Gaude, virgo, nam lacertos
Iesu pingues et exsertos,
Tangis ore proprio.

6. Gaude, cernis elegantes
Iesu manus, quas vernantes
Premis dulci basio.

7. Gaude, lacte tuo lotum
Stringis corpus Iesu totum
Dulcibus amplexibus.

8. Gaude, pedes amplexaris
Tui nati, quos adfaris
Amorosis vocibus.

9. Gaude, pannis involvisti
Lacque pium tribuisti
Tuo dulci filio.

10. Gaude, Ioseph amplexatur
Dulcem Iesum et laetatur
Cordiali gaudio.

11. Pia mater, serpentini
Simus atque columbini
Vacuati vitio.

VII.

1. Gaude, Iesum, quem locasti
Super foenum, adorasti
Cinctum stricta fascia.

2. Gaude, Iesum bruta nexa
Ad praesaepe genuflexa
Colunt animalia.

3. Gaude, dixit ad pastores
Caeli civis hos rumores:
Nunc est ortus Dominus.

4. Gaude, laudes Deo vere
Caeli cives cantavere
In excelsis protinus.

5. Gaude, ortu tui nati
Laudes canunt trinitati
Angeli in aethere.

6. Gaude, ruunt caelo statim
Caeli cives catervatim
Natum tuum colere.

7. Gaude, Iesum vagientem
In praesaepi recumbentem
Colit pastor quilibet.

8. Gaude, visa conservabas
Et in corde conferebas
Iesu dicta quaelibet.

9. Gaude, sentis nam dulcorem
Magnum lactans Iesum, florem
Paradisi, saepius.

10. Gaude, saepe tuum natum
Amplexaris, quem lactatum
Oscularis dulcius.

11. Pia mater, esurire
Fac nos semper et sitire
Illud, quod est iustius.

VIII.

1. Gaude, virgo, magi dona
Tuo nato ferunt bona
Grandi cum mysterio.

2. Gaude, mater reverenda,
Membra Iesu sine menda
Lavas dulci gaudio.

3. Gaude, virgo laetabunda,
Iesum portas periucunda
Cum devotis gressibus.

4. Gaude, Iesum induisti
Veste munda, quam fecisti
Sacris tuis manibus.

5. Gaude, virgo, nam gaudebas,
Tuo Iesum cum videbas
Quiescentem gremio.

6. Gaude, ponis tuum natum
Super tuum cor ornatum
Caeli dextrochirio.

7. Gaude, tuum cor gaudebat,
Quando Iesus dependebat
Tuis ab uberibus.

8. Gaude, Iesu ministrarunt
Tuae manus et cibarunt
Dulcibus affectibus.

9. Gaude, virgo te iuvabant
Caeli cives et astabant,
Cum servires filio.

10. Gaude, Iesum osculata
Es, o virgo, et adfata
Ore tuo proprio.

11. Pia mater, in adversis
Fortes simus universis
Huius mundi proelio.

IX.

1. Gaude, virgo, recrearis
Odoratu tuae naris
Odorantis filium.

2. Gaude, figis dum obtutum
Vultu Iesu sic acutum,
Crescit tui gaudium.

3. Gaude, virgo, iuxta legem
Obtulisti mundi regem
Aedis in sacrario.

4. Gaude, mater, exsultavit,
De te quoque prophetavit
Simeon et filio.

5. Gaude, puer quando crescit,
Virgo pia, sic accrescit
Tui cordis gaudium.

6. Gaude, blande complexatur
Et te Iesus osculatur,
Tui puerperium.

7. Gaude, dum te mammam vocat,
Se in sinu tuo locat
Iesus quaerens ubera.

8. Gaude, pio tunc amplexu
Iesum stringis dulci nexu,
O virgo puerpera.

9. Gaude, Iesu lac praebebas
Sacris mammis et gaudebas
Maxima laetitia.

10. Gaude, Iesum retrahebas
A mamillis et figebas
Ori suo basia.

11. Pia mater, moderati
Simus, fac, et temperati
Zeli Iesu gratia.

X.

1. Gaude, Iesum sic adfaris:
Care fili singularis,
Quis te non diligeret?

2. Gaude, Iesum nam pectendo
Gaudes: nate, quis, dicendo,
Te a me divideret?

3. Gaude, Iesum adorabas
Et de eo satiabas
Te Deo et homine.

4. Gaude, Iesum lecto levas,
Membra cuius aqua lavas
Nimia dulcedine.

5. Gaude, Iesum spoliabas
Et in lecto collocabas,
Cordis tui gaudium.

6. Gaude, cunctos propter actus,
Pios sanctosque contactus
Erga tui filium.

7. Gaude, Iesum genitorem
Vocas modo creatorem,
Modo dulcem filium.

8. Gaude, virgo, stella maris,
Tuo nato nam bearis
Pie linguis omnium.

9. Gaude, virgo speciosa,
De te namque gloriosa
Dicta sunt ab omnibus.

10. Gaude, domum es revecta
A Ioseph cum Iesu laeta
Ex Aegypti finibus.

11. Pia mater, pietati
Studeamus tui nati
Collaudare vocibus.

XI.

1. Gaude, Iesum, quem quaesisti,
Laeta nimis invenisti
In doctorum medio.

2. Gaude, nato tu dixisti:
Fili, nobis quid fecisti?
Sic astringens brachio.

3. Gaude, tecum domum redit,
Tibi patrique obedit
Dulcis tui filius.

4. Gaude, tuum cor laetatur,
Quando Iesus fabulatur
Tecum, virgo, dulcius.

5. Gaude, virgo, conversaris
Atque gaudens hospitaris
Cum tam dulci filio.

6. Gaude, virgo, corde tuo,
Te honorat Iesus suo
Humili servitio.

7. Gaude, Ioseph lacrimatur
Ob dulcorem, dum adfatur
Tuum dulcem filium.

8. Gaude, Ioseph, sponsus tui,
Iesu, tibi quoque sui
Praestitit obsequium.

9. Gaude, licet viduata
Morte Ioseph, consolata
Es a dulci filio.

10. Gaude, Iesus aqua merum
Te optante fecit verum
Primo pro prodigio.

11. Pia mater, nos ingratos,
Culpis multis adgravatos
Cruciet contritio.

XII.

1. Gaude, Iesus Magdalenam
Ad se traxit illi poenam
Condonans et gratiam.

2. Gaude, multi convertuntur
A peccatis et sequuntur
Tui nati sophiam.

3. Gaude, vivus dum resurgit
Marthae frater; sic consurgit
Tui nati gloria.

4. Gaude, Iesus pauco pane,
Pisce quoque cibat sane
Viros quinque milia.

5. Gaude, Iesum ultra mare
Plebs devota coronare
Regem sibi voluit.

6. Gaude, lumen caeco nato
Iesus dedit, quo vulgato
Fama sui viguit.

7. Gaude, Iesus hospitatur
Domo Marthae, quae laetatur
De tam dulci hospite.

8. Gaude, zelo Iesu plena
Unxit ipsum Magdalena
Unguento in capite.

9. Gaude, Iesus confirmabat,
Quam doctrinam praedicabat,
Plurimis miraculis.

10. Gaude, Iesu obviatur
Et cum palmis decantatur
Hosanna a populis.

11. Pia mater, non elati
Simus, immo corde strati,
Humiles cum parvulis.

XIII.

1. Gaude, Iesum, quem planxisti,
Suscitatum tu vidisti
Cum fulgenti gloria.

2. Gaude, prima visitata
Es a Iesu, consolata
Cincto caeli curia.

3. Gaude, palpas, oscularis,
Virgo, mater singularis,
Tuum dulcem filium.

4. Gaude, virgo, Iesu data
Caelo, terris et firmata
Potestate omnium.

5. Gaude, cernis suscitatum
Laeta Ioseph, decoratum
Stola sui corporis.

6. Gaude, vides Adae natos
Tunc a Iesu liberatos
Iugo tanto temporis.

7. Gaude, Iesus tecum sedit
Monte Sion et comedit
Tecum grandi gaudio.

8. Gaude Iesu ascendente,
Qui in caelum te vidente
Motu fertur proprio.

9. Gaude, portae nobis per te
Paradisi sunt apertae
Clausae per tot saecula.

10. Gaude, cernis comitantes
Iesum patres, penetrantes
Caeli tabernacula.

11. Pia mater, agnoscamus
Nosmet esse et dicamus
Putrida corpuscula.

XIV.

1. Gaude, Iesus cum ascendit,
Tua quoque mens conscendit
Secum caeli curiam.

2. Gaude, licet ascendisti,
Prius tamen cognovisti
Dandam tibi gloriam.

3. Gaude, quia Iesus misit
Sanctum pneuma, quod promisit,
Fervidis discipulis.

4. Gaude, fides dilatatur
Iesu dulcis et vulgatur
Gentium in populis.

5. Gaude, Iesus visitavit
Saepe te et cumulavit
Causas tui gaudii.

6. Gaude, virgo, cum volebas,
Rapta caelos ascendebas
Ad amplexus filii.

7. Gaude, te non deserebat,
Iesus enim sic volebat,
Gabriel perlucidus.

8. Gaude, venit saepe laetus
Ad te caelo, virgo, coetus
Angelorum nitidus.

9. Gaude, tibi nuntiata
Hora mortis est optata,
Qua ad natum transeas.

10. Gaude, tibi congregati
Iesu Christi sunt legati,
Ut de mundo exeas.

11. Pia mater, fac orare
Nos attente et plorare
Culpas nostri felleas.

XV.

1. Gaude, tuae morti sanctae
Nullus daemon Deo dante
Interesse potuit.

2. Gaude, Iesus, benedictus
Fructus ventris tui dictus,
Morti tuae adfuit.

3. Gaude, virgo tradidisti
Tunc in manus Iesu Christi
Animam innoxiam.

4. Gaude, Iesus suscitavit
Te a morte et portavit
Ad caelestem patriam.

5. Gaude, cunctos praecedebat
Ob te laetus et monebat
Gabriel ad gaudium.

6. Gaude, virgo, obviavit
Et festine salutavit
Caeli te collegium.

7. Gaude, cunctos Adae natos
Pie tuens, quo beatos
Super scandis angelos.

8. Gaude, virgo pia, latum
Iuste regens mundi statum
Transsilis archangelos.

9. Gaude, caeli principatus
Tu excedis cuncti status
Praesidens principibus.

10. Gaude, multis a te signis
Factis omni laude dignis
Scandis prae virtutibus.

11. Pia mater, mortem flentes
Iesu simus patientes
In adversis omnibus.

XVI.

1. Gaude, caeli potestates
Antecellis feritates
Sternens in daemonio.

2. Gaude, praeses caeli digna,
Tibi subest nunc benigna
Caeli dominatio.

3. Gaude, mater Dei, thronos
Transis, cui dulces sonos
Caeli facit curia.

4. Gaude, virgo, praecessisti
Cherub omnem, quem vicisti
Domini notitia.

5. Gaude, vincis in amore
Seraph omnem cum dulcore
Scandens ad principium.

6. Gaude, laeta pervenisti
Ante thronum Iesu Christi
Atque Dei solium.

7. Gaude, coram trinitate,
Virgo plena sanctitate,
Genu flectis humilis.

8. Gaude, Iesus te laudavit,
Post reginam coronavit
Regni caeli stabilis.

9. Gaude, virgo coronata,
Es in caelo collocata
Iuxta dulcem filium.

10. Gaude, plaudunt, iucundantur
Caeli cives ac laetantur
Tuum ob imperium.

11. Pia mater, ut optamus,
Fac, in morte sentiamus
Tui patrocinium.

XVII.

1. Gaude, virgo gloriosa,
Est nam tota luminosa
Per te caeli curia.

2. Gaude, Iesus semper audit
Tuas preces et exaudit
Boni nostri gratia.

3. Gaude, Deo non est gratum
Munus ullum non oblatum
Sacris tuis manibus.

4. Gaude, ullum non habemus
Donum Dei nec tenemus,
Nisi tuis precibus.

5. Gaude, Deum mitigare
Sola potens et placare
Contra nostra vitia.

6. Gaude, virgo, salvat multos
Deus propter te, non ultos
Damnat quos iustitia.

7. Gaude, fugit cum furore
Daemon omnis prae timore
Tuum nomen audiens.

8. Gaude, culpis iam ruisset
Orbis, Deus ni fuisset
Tua prece patiens.

9. Gaude, Iesus bona dabit
Tuis servis, hic praestabit
Quibus caeli gloriam.

10. Gaude, reum nullum spernis,
Quem currentem fide cernis
Tuam ad clementiam.

11. Pia mater, tuus natus
Nobis boni cuncti status
Det perseverantiam.

Conclusio.

1. Gaude, semper venerata
Es a cunctis et laudata
Paradisi civibus.

2. Gaude, virgo, nam gaudebis,
Nos gaudere cum videbis
Tecum in caelestibus.

3. Gaude, splendens vas virtutum,
Tibi paret, en, ad nutum
Tota caeli curia.

4. Gaude, virgo, non decrescent
Nec cessabunt, sed accrescent
Semper tua gaudia.

5. Virgo, mundi reparatrix,
Poli cernas imperatrix
Vultu me propitio.

6. Tibi munus hoc oblatum
A me fiat tibi gratum
Atque tui filio.

7. Hic sum dignus pro peccatis
A me, virgo, perpetratis
Horrido supplicio,

8. Sed tu, Iesum mitigare
Sola potens et placare
In furore nimio,

9. Precor, mei miserere
Et illaesum me tuere
Tuo forti brachio.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525. — „Incipit Rosarium gloriosae virginis Mariae, matris Dei dulcissimae.“ — VI. 4, 3 Tum non. — XIV. 2, 2 Primus tamen. — XVII. 7, 2 pro timore. — Concl. 9, 2 in Iesum me.

10. Corona beatae Mariae V.

Introductio.

1. Pia mater, tecum flere
Mortem Iesu vellem vere,
Sis mihi praesidio.

2. Ne me spernas peccatorem,
Flere namque ad honorem
Tui nati venio.

3. Ploret ignis, fleat terra,
Plangat aether, aqua mera
Grandi cum absinthio.

4. Caelum omne lamentetur
Morte Iesu, nulla detur
Fletui remissio.

5. Ploret omnis res creata
Cum Maria morti data
Iesu culpae nescio.

I.

1. Plange, mater, parvum Iesum
Propter Adae patris esum
Torquet circumcisio.

2. Plange, senex sicut dixit,
Amor tuum cor transfixit
Cum doloris gladio.

3. Plange, Memphim tu fugisti
Cum Iesu, quem peperisti
Sacro diversorio.

4. Plange, Iesum amisisti,
Quem tres dies requisisti
Doloris incendio.

5. Plange, Iesus quarantenam
Fecit magnam habens poenam
Rigido ieiunio.

6. Plange, Iesus sedit lassus
Supra fontem sitim passus:
Potum, dixit, cupio.

7. Plange, scribae volunt dire
Ab in praeceps Iesum ire
Montis supercilio.

8. Plange, mater, dulcem natum
Ita scribis misso captum
Militum collegio.

9. Plange, scribae Iesum tentant,
An vindictam iuste petant
Moechae de flagitio.

10. Plange, falso scribae quaerunt,
Si Augusto rite ferunt
Censum pro homagio.

11. Pia mater, fac fundatos
Nos in fide et ornatos
Spei dextrochirio.

II.

1. Plange, mater, tuum natum,
Sui servi nam vexatum
Dicunt a daemonio.

2. Plange, verba pharisaei
Iesum notant, ut post ei
Detrahant innoxio.

3. Plange, volunt nam Iudaei
Lapidare natum Dei
In gazophylacio.

4. Plange, Iesus flet amare
Fratrem Marthae trahens clare
Mortis a dominio.

5. Plange, Iesus Ephrem tendens
Ibi suos docet cedens
Iudaeorum odio.

6. Plange, scribae, pharisaei
Mori firmant natum Dei
Caiphae concilio.

7. Plange, mater, tuum natum
Iudas tradit comparatum
Deno ter denario.

8. Plange, videns urbem plangit
Iesus, velox cuius angit
Cor sua destructio.

9. Plange, Iesus comeatum
A te petit, quem prostratum
Tuo stringis brachio.

10. Plange, Iesum manducantem,
Sacram cenam celebrantem
Grandi cum mysterio.

11. Pia mater, te amemus
Onus fratrisque portemus
Nullo cum litigio.

III.

1. Plange, Iesus se prostravit
Et sic pedes suis lavit
Et extersit linteo.

2. Plange, Iesus, postquam sedit,
Se in cibum nobis dedit
Ultimo convivio.

3. Plange, mater, Iudas vadit
Et Iudaeis Iesum tradit
Fraudulento basio.

4. Plange Iesum, post cenatum
Suos caros tunc adfatum
Dulci cum eloquio.

5. Plange Iesu duram sortem,
Tristis usque est ad mortem
Zelo nostri nimio.

6. Plange, mater, tuus natus
Suos caros osculatus
Se dat mortis praelio.

7. Plange, Iesus ter oravit,
Cuius vultum deturpavit
Sanguis leti taedio.

8. Plange, Iesus genitori
Se pro nobis offert mori
Velle viridario.

9. Plange, Iesus: nos eamus,
Eia, dixit, occurramus
Iudae desiderio.

10. Plange, Iesus humi stratur,
A Iudaeisque ligatur
Criminum solutio.

11. Pia mater, gloriari
Nos in cruce et laetari
Fac tui suffragio.

IV.

1. Plange, fugam petunt metu
Cari Iesu, quem in coetu
Derelinquunt impio.

2. Plange Iesum reis datum,
Anna coram dire tractum
Sine patrocinio.

3. Plange, mater, maxillatam
Coram Anna dire datam
Iesu, puro lilio.

4. Plange, Iesum pharisaei
Dire trahunt ac Iudaei
Caiphae tam noxio.

5. Plange, clamant mortis reum
Tuum natum, verum Deum,
Caiphae triclinio.

6. Plange, Iesum palmis caedunt,
Vultum spuunt, vilem reddunt
Multo vituperio.

7. Plange, Iesu barbam vellunt,
Collo laedunt ac impellunt
Cum maligno studio.

8. Plange, velant Iesu vultum:
Prophetiza, clamant multum,
Quis te laesit serio?

9. Plange, rei per capillos
Iesum trahunt et sic illos
Vellunt cum opprobrio.

10. Plange, Petrus denegavit
Nosse Iesum et firmavit
Istud ter periurio.

11. Pia mater, Iesum ora,
Nobis detur mortis hora
Summi patris visio.

V.

1. Plange Iesum tam amare
Ad Pilatum properare
Caiphae palatio.

2. Plange, Iesus criminatur
Et a scribis incusatur
Vario mendacio.

3. Plange, mater, tuum natum
Ad Herodem demandatum
A Pilato Pontio.

4. Plange stultum reputatum
Ab Herode tuum natum
Stantem in silentio.

5. Plange Iesum patientem,
Ad Pilatum revertentem
Albo tectum pallio.

6. Plange, Iesus moriatur
Pro latrone, conclamatur
Principum imperio.

7. Plange Iesum adligatum
Ad columnam, flagellatum
Praesidis praetorio.

8. Plange, Iesus coronatur
Spinis, veste purpuratur
Grandi cum ludibrio.

9. Plange, sanguis tui nati
Fluit quaque flagellati
In praetoris atrio.

10. Plange, Iesus speciosus
Nunc est factus ut leprosus
Et plebis abiectio.

11. Pia mater, ut serpentes
Simus semper nos prudentes
Zelo Dei praevio.

VI.

1. Plange, Iesu in derisum
Genu flectunt, cuius visum
Spuunt vilipendio.

2. Plange, caput Iesu laedit
Sic arundo, quod procedit
Sanguinis effusio.

3. Plange, Iesum trahit chamo
Foras praeses, *Ecce homo*
Dicens diro labio.

4. Plange Iesum extra tractum,
Crucifige condemnatum
Voce magna tertio.

5. Plange, quia tuus natus
Morti datur, ut Pilatus
Protulit in solio.

6. Plange, dorso crucem regit
Et ad mortem Iesus pergit
In monte Calvario.

7. Plange, Iesus vetat flere
Suam mortem, sed maerere
Malo iubet proprio.

8. Plange, paene defecisti,
Ferre crucem cum vidisti
Iesum vultu anxio.

9. Plange, mater, crux paratur,
In qua Iesu tribuatur
Mors, nostra redemptio.

10. Plange, clavi sunt parati,
Quibus corpus tui nati
Laedet crucifixio.

11. Pia mater, temperati
In secundis, non elati
Simus hoc exsilio.

VII.

1. Plange, Iesus Nazarenus
Iudaeorum rex, sic plenus
Praeses scripsit vitio.

2. Plange, Iesus bis nudatur
Et sic plebi demonstratur
Satanae confusio.

3. Plange, clavis perforantur
Manus Iesu, cui dantur
Verbera cum iurgio.

4. Plange, pedes Iesu pungunt
Clavo duro, quos coniungunt
Crucis aedificio.

5. Plange, mater, elevatum
Cruce natum, deturpatum
Sanguinis profluvio.

6. Plange, Iesus: parce, dixit,
Pater, omni, qui me fixit
Crucis in supplicio.

7. Plange, mater, crux et terra
Iesu madent in revera
Sanguinis defluvio.

8. Plange, Iesu dantes mortem
Super vestem mittunt sortem
Milites cum gaudio.

9. Plange, Iesus blasphematur
Et a cunctis subsannatur
Crucis in subsellio.

10. Plange, Iesu crucem stringens
Eiulasti, vultum tingens
Sacro stillicidio.

11. Pia mater, fortes stemus
In adversis et levemus
Cor a mundi somnio.

VIII.

1. Plange, Iesus: paradiso
Mecum eris, dixit viso
Crucifixo socio.

2. Plange, mater, cruce dira
Torquet Iesum valde mira
Cordis tui pressio.

3. Plange, Iesus multum plorat,
Nam ingratos reos norat
Crucis beneficio.

4. Plange, Iesum ob honorem,
Quo peccator genitorem
Privat, torquet passio.

5. Plange, deflet tuus natus
Dandos reis cruciatus
Daemonis hospitio.

6. Plange, Iesus contristatur
Cernens, reus quod privatur
Caeli domicilio.

7. Plange, Iesus luget visa
A se membra tot praecisa
Culpae sacrilegio.

8. Plange poenas graves nati,
Quibus sponte cupit pati
Adae pro naufragio.

9. Plange, Iesus cruce dura
Sentit poenas, quas passura
Est iustorum unio.

10. Plange, Iesus morte dolet,
Quae in omnes tantum pollet
Adae maleficio.

11. Pia mater, iusti rei
Nos fiamus et in Dei
Humiles servitio.

IX.

1. Plange Iesum nostra flentem
Caecitate, patientem
Cruciatu vario.

2. Plange, mentem Iesu mordet
Quae imago Dei sordet
Criminum commercio.

3. Plange, natum Zebedaei
Recepisti loco Dei
Pro tui solacio.

4. Plange, plange, pia mater,
Morte Iesu solem pater
Privat lucis radio.

5. Plange Iesum cruce stantem,
In dolore sic clamantem
Voce pia: Sitio.

6. Plange Iesum lacrimantem,
Cum aceto fel potantem
Mortis in confinio.

7. Plange natum querulantem,
Heli cruce geminantem
Vitae pro subsidio.

8. Plange, mater, Iesum flentem,
Consummatum est dicentem
Crucis in martyrio.

9. Plange, stans in cruce caesus
Se pro nobis offert Iesus
Patri sacrificio.

10. Plange, Iesus cum portavit
Culpam nostram commendavit
Spiritum principio.

11. Pia mater, agnoscamus
Nosmet ipsos et canamus
Iesu cum psalterio.

X.

1. Plange, mater, plange natum
Dura cruce consummatum
Mortis exterminio.

2. Plange, morte Iesu visum
Fuit velum templi scissum,
Ut vidit centurio.

3. Plange. terra tremit dolens,
Quando Iesus spirat volens
Crucis in suspendio.

4. Plange, tui morte nati
Petrae scissae sunt, quem pati
Luget caeli contio.

5 Plange, mater, dulcem natum,
A Longino lanceatum
Cordis sui medio.

6. Plange manus, pedes, latus,
Cunctos nati cruciatus,
Quem tenes in gremio.

7. Plange, quia sepelisti
Dulcem natum, quem lavisti
Lacrimarum fluvio.

8. Plange, facis tu lamentum
Iesu linquens monumentum
Debili vestigio.

9. Plange, domum tu revertens,
Saepe tumbae vultum vertens
Genuflectis filio.

10. Plange, cernens revertentes
Morte Iesu missos flentes
Et suo diffugio.

11. Pia mater, peccatorum
Contra Deum commissorum
Purget nos contritio.

Conclusio.

1. Pia mater, nunc oblato
A me gaude corde lato
Vili hoc exennio.

2. Cupit meum cor amare
Et te semper collaudare
Spiritus tripudio.

3. Sponte dico, quod erravi
Et in Iesum, heu, peccavi
Ausu temerario.

4. Quia tamen tibi Iesus
Me commisit cruce laesus
Sine refrigerio,

5. Semper curam gere mei,
Peccatoris atque rei,
Empti magno pretio.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525. — „Incipit devota corona ad honorem virginis Mariae, edita in memoriam passionis sui dulcissimi filii.“ — I. 8, 2 missa. — II. 5, 2 tuos. — III. 7, 2 multum. — X. 9, 2 turbae. — 11, 3 Purgat. — Concl. 5, 2 Peccatores.

II. Rosarium beatae Mariae V.

Auctore Iacobo Merlone Horstio.

I.

Salve, mater pietatis,
Per aeternum trinitatis
Condita consilium,
Ut immensum, increatum
Verbum patris incarnatum
Mater gignas filium.

1. Gaude, caelum, et mirare,
Psalle, terra, plaude, mare,
Deum laudent omnia,
Nam creator potens iure
Novo foetu creaturae
Mundo parat gaudia.

2. O quam felix et praeclara,
Deo grata, nobis cara,
Virginis conceptio,
Quae parentes infecundos
Prole, beat nos immundos
Vitae beneficio.

3. O quam praestans atque pura,
Quae transscendens carnis iura
Nescit improperium,
Eia, clausum plaude caelum,
Recreatur, en, anhelum
Patrum desiderium.

4. O quam felix fulsit hora,
Qua consurgens haec aurora
Mortis umbram dissipat,
Quae, natalem nacta purum,
Tota pulchra iam venturum
Mundo solem nuntiat.

5. O beata, quae futura
Dei mater es natura,
Nobis mater gratiae,
Paradisus voluptatis
Et asylum libertatis
Causaque laetitiae.

6. Novum zeli mox exemplum
Das, tenella, petens templum
Praesentanda Domino
Et ter quinos trima scandis
Gradus, prima casto pandis
Vota libens animo.

7. Hinc devota famularis
Manens templo nec lassaris
Domini servitio,
Psallis, oras et laboras,
Deum laudas et honoras
Proximos officio.

8. Hinc accendunt omnem sexum
Castitatis ad amplexum
Virginis vestigia,
Erat olim laus fecundis,
Sed iam nova profert mundis
Virgo privilegia.

9. Ergo matrem salvatoris
Votum cordis et vox oris
Celebret in iubilo,
Cuius ortus medicinam,
Cuius vita vim divinam
Dat languenti saeculo.

10. Te rogamus voto pari,
Fac, nos portu salutari
Dei sistat gratia,
Da virtutem castae mentis,
Nec, quem calcas tu, serpentis
Perdat nos versutia.

II.

Salve, virgo salutata
Et mox fructu fecundata,
Quo salvantur saecula,
Verbum, virgo, concepisti,
Paranympho dum fuisti
Gabrieli credula.

11. Regi regum quam fuisti
Digna sponsa, quae fulsisti,
Ut in spinis lilium!
Sic consortem iam naturae,
Sed mutato carnis iure
Dei capis filium.

12. Virgo viro desponsaris,
Sed fis mater expers maris,
Virgo gestas uterum;
Ioseph timet, sed securum
Reddit angelus et purum
Promovet coniugium.

13. Rubus olim ardescebat,
Sed nil ignis depascebat,
Quin illaesus viruit,
Sic virtute spiritali
Salvo flore virginali
Virgo Deum genuit.

14. O mirandam novitatem,
Matris ornat castitatem
Filii conceptio,
Eva mortis tulit ictum,
Ave delet maledictum,
Cedit iam deceptio.

15. Prima parens nobis luctum,
Sed secunda vitae fructum
Protulit cum gaudio,
Eva iugo servitutis,
Sed Maria nos salutis
Afficit remedio.

16. Tu naturae contra ritum
Arto praegnans infinitum
Ventre claudis parvula,
Homo Deum, stella solem,
Nata patrem, virgo prolem,
Antiquum iuvencula.

17. Uno sinu capis agnum
Et leonem, parvum, magnum,
Finem et principium
Et mortalem aeternumque
Et caelestem terrenumque,
Servum atque Dominum.

18. Huius nodum sacramenti
Non subtilis arguenti
Pandet indagatio,
Nosse modum non est meum,
Scio tamen posse Deum,
Quod non capit ratio.

19. Quis non laudet et laetetur,
Quis non gaudens admiretur
Opus tantae gratiae?
Ut ascendat homo reus,
Quo descendit potens Deus
Servi tectus specie!

20. Et tu, virgo tam praeclara,
In qua gesta sunt tam rara
Domini mysteria,
Per haec, precor, nos peccatis
Et terrenae pravitatis
Exime miseria.

III.

Salve, virgo, Christi parens,
Virgo, salve, labe carens,
Salve, flos o virginum,
Donum gestans singulare,
Paritura sine pare
Mox ancilla Dominum.

21. Pergens ergo post conceptum
Per montana mox effectum
Tantae monstras gratiae,
Hinc cum matre visitata
Sensit proles nondum nata
Tuae vim praesentiae.

22. Dum se matres amplexantur,
Mox utrimque revelantur
Prolium magnalia;
O quam pium fert amorem,
Quantum praestat et honorem
Virginis praesentia!

23. Ecce, manus prophetarum
Mox percepit iubar clarum
Salutante domina;
Et quis erit peccatorum,
Quem non dives meritorum
Beet tanta femina?

24. Quisquis ergo sis, memento,
Quantum nostri munimento
Favor prosit virginis,
Cui Deus maiestatis
Magna tot vi potestatis
Causa fecit hominis.

25. Caput anguis haec contrivit,
Cuius formam concupivit
Rex aeternae gloriae,
Nihil ira trux serpentis,
Nihil in hanc vis frementis
Potuit invidiae.

26. Haec est virga ferens florem,
Felix terra salvatorem
Germinans fidelibus,
In hac natum caeli rore
Manna grato dans sapore
Robur viatoribus.

27. Haec est ille fons signatus,
Hortus clausus et rigatus
Gratiae fluminibus,
Haec est vellus trahens rorem,
Ager plenus dans odorem
Cunctis terrae finibus.

28. Haec est thronus Salomonis,
Cui nullus par est in donis
Arte vel materia,
Ebur candens castitatis,
Aurum fulgens caritatis
Denotat mysteria.

29. Arca, turris haec vocata
Et castrorum ordinata
Acies terribilis,
Lignum vitae, scala caeli,
Omni patens urbs fideli,
Arx inexpugnabilis.

30. Porta caeli, templum Dei,
Maris portus, ad quem rei
Currunt cum fiducia,
Nec auditum, quod salutis
Implorata destitutis
Deneget auxilia.

IV.

Salve, mater novi moris,
Expers paris quae doloris
Salvatorem gentium,
Nil hic foedum, nil probrosum,
Talem matrem tam formosum
Decet puerperium.

31. Gigas velox, pugil fortis,
Princeps pacis, victor mortis,
Rex immensus gloria
Ad currendam venit viam,
Complens in se prophetiam
Legisque mysteria.

32. Sed o vilis apparatus!
Caeli rex ac terrae natus
Pauper est obsequio,
Ecce, rector angelorum
Boum consors et pastorum
Iacet in praesaepio.

33. Homo suum parit Deum,
Fovet, tractat, nutrit eum,
Fert portantem omnia,
Cibum pani, potum fonti,
Victum vitae, cunas monti,
Soli praebet lumina.

34. Dulce mater os lactavit,
Cuius manus nos formavit
Et dat escas omnium,
Qui se nascens in consortem
Et in lytrum passus mortem,
Regnans dat in praemium.

35. Sed cur, mater summi regis,
Ultro subis iussa legis,
Legi non obnoxia?
Pura tota cur purgari,
Cur vis pauper aestimari
Vulgi portans munera?

36. Pulchra trias o virtutum,
Quibus claret hic imbutum
Matris cor et filii,
Oboedire iam paratis
O quis amor puritatis,
Quae paupertas animi!

37. Quos transgressor necat pomo,
Christus salvat factus homo
Miro prorsus ordine,
Adam primus per consortem
Perdit nos, secundus mortem
Destruit in virgine.

38. Num abhorres peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto clara filio?
Si non essent redimendi,
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.

39. Sed quam prompta sis amore
Pro materni cordis more
Dextram ferre miseris,
Monstras signi spe divini,
Dum pro sponsis curam vini
Supplex nato suggeris.

40. En, o mater pietatis,
Quantam nostris spem rogatis
Tua dent praesidia!
Per te Deum quaerit reus,
Ad quem per te venit Deus,
Sis amborum media.

V.

Salve, mater, quae pendentem
Et pro nobis morientem
Cruce cernis filium;
Heu, quis dolor! perdis natum,
Cuius vice commendatum
Recipis discipulum.

41. Qui surrexit vincens mortem
Caelo locat te consortem
Patris sedens dextera,
Miro gaudes aucta dono,
Dum sublimi fulges throno
Caeli calcans sidera.

42. Sed nec terra fas abscondi
Corpus, ex quo sator mundi
Et salvator prodiit,
Iure carnis vincit iura,
Quae non unquam peritura
Verbum carne vestiit.

43. Exaltatae supra caelos
O quo plausu dulce melos
Caeli canunt agmina!
Quidni caelo, terra, mari
Virgo debet celebrari
Undequaque domina?

44. Ergo, virgo sic promota,
Causa nostri nostra vota
Promovenda suscipe,
Quodsi reos sancta spernis,
Ut quid sis praelata ternis
Hierarchiis, respice.

45. In hac valle lacrimarum
Nihil constans, nihil clarum,
Suspecta sunt omnia;
Quid hic nobis erit tutum,
Cum nec ipsa vel virtutum
Tuta sit victoria?

46. Caro menti reluctatur,
Mundus carni suffragatur
Nobis in perniciem,
Satan instat nos infestans,
Nunc se palam manifestans,
Nunc occultans rabiem.

47. Tot ac tantis lacessiti
Non valemus, heu, reniti
Passi damna virium;
Hinc sagittis tot ferimur,
Hinc diversis irretimur
Laqueis venantium.

48. Sed, Maria, mater Dei,
Tu post natum fida spei
Anchora fidelium,
Tu solatrix miserorum,
Tu patrona peccatorum,
Pressis fer auxilium.

49. Intendentes tuae laudi
Nos attende, nos exaudi,
Nos a morte libera,
Quae post Christum prima sedes,
Inter nati coheredes
Clientes adnumera.

50. Natus patri cruentatum
Cor et corpus vulneratum,
Sed tu monstras ubera;
Et quis possit non audiri,
Ubi constat tot uniri
Amoris insignia?

Pater summae maiestatis,
Iesu, rex clementiae,
Spiritus, fons sanctitatis,
Unius potentiae,
Per tot dona pietatis,
Auctor indulgentiae,
Confer opem desolatis
Et augmenta gratiae.

Merlo Horstius, Paradisus Animae Christianae, Coloniae 1670, p. 673 sqq. — Horstius bekennt sich selbst als Verfasser dieses Rosariums: „sequens rosarium adornavi," l. c. p. 636. Daraus ergiebt sich dann auch seine Autorschaft für Nr. 5. Die Doxologie am Schlusse des Ganzen kehrt nach jeder Dekade wieder. Auf die vielfältigen Entlehnungen aus älteren Hymnen, namentlich aus Adam von St. Viktor, sei aufmerksam gemacht. Ebenso auf den Reim 42, 1 sq.

12. De s. Maria Magdalena.

I.

1. Ave, pia Magdalena,
Spes salutis, vitae vena,
Orta stirpe regia,
Lumen orbis ordinaris,
Dono Dei illustraris
Mali linquens devia.

2. Ave, domum es ingressa,
Vota cordis mox confessa
Iesu iuncta pedibus,
Ipsos pie nam unxisti
Crine tuo et tersisti
Osculando fletibus.

3. Ave, quam fons bonitatis
Sic format vas puritatis
Sui roris gratia,
Te salvatam confirmavit,
Fidem tuam remuneravit
Pacis donans insignia.

4. Ave, nimis felix nata,
Contritio tua grata
Divinae clementiae,
Tu sigillum pietatis,
Speculum humilitatis,
Norma paenitentiae.

5. Ave, conversis lucerna,
Tibi fulsit lux superna
Tribuens incendia;
Spes reorum es, Maria,
Cor contritum affer, pia,
Da maestis solacia.

6. Ave, Iesu praedicanti,
Regna caeli nuntianti
Adhaesisti iugiter,
Eius matri sociata,
Cuius vitam imitata
Coluisti suaviter.

7. Ave, Iesum fatigatum
Et labore anxiatum
Recipis hospitio,
Ipsum benigne tractasti,
Mentis pausam praeparasti
Summi patris filio.

8. Ave, ad pedes sedendo,
Verba Dei audiendo
Epularis intime,
De otio accusata,
Per magistrum defensata
Gloriaris optime.

9. Ave, partis tunc secura,
Qua fruitur in futura
Vita summi spiritus,
In praesenti miseria
Tanta abundas gratia
Concessa divinitus.

10. Ave, discipulis Christi
Quae coniungi meruisti
Talis consors meriti,
Tibi oculi fuerunt,
Qui in carne conspexerunt
Salvatorem saeculi.

II.

11. Ave, unum elegisti,
Huic vacans praetendisti
Contemptum caducibus,
Corda nostra inflammare
Et in bono confortare
Tuis dona precibus.

12. Ave, fratre dum turbaris,
A dilecto visitaris
Amoris ex munere,
Ad pedes mox procidebas,
Hic movetur, quando flebas
Lazari pro funere.

13. Ave, lacrimas fundebat,
Qui te multum diligebat,
Turbatur in spiritu,
Fratrem tumulo vocavit
Et palam laetificavit
Gratiae intuitu.

14. Ave, tempore palmarum
Exsul venit rex turbarum
Ad tuum hospitium,
Refugium tuae spei
Loquendo de regno Dei
Tibi dat solacium.

15. Ave, cenam praeparasti,
In amore tunc flagrasti,
Martha servit dulcius,
Unguentum pie fudisti
Super caput Iesu Christi
Honorando largius.

16. Ave, opus hoc laudavit
Narrandumque praedicavit
In tui memoriam,
Facta tua summe grata,
Nobis miseris placata,
Fer carnis victoriam.

17. Ave, Christum captivatum,
Nocte durius ligatum
Audisti crudeliter,
Ipso probra patienti
Dolore cordis ingenti
Turbaris fideliter.

18. Ave, mane praesentatum
Pilato et iudicatum
Ad clamorem populi
Dolebas male tractari,
Ad columnam flagellari,
Tui flebant oculi.

19. Ave, spinis coronatum,
Vultum sputis maculatum
Et plenum livoribus
Tu planxisti mente pia,
Ora Christi, o Maria,
Salvari vulneribus.

20. Ave, crucem baiulanti
Postcedis fide constanti
Ad locum Calvariae,
Sequeris nimium tristata
Cum Virgine desolata
Particeps iniuriae.

III.

21. Ave, quae tunc aculeo
Cruciabaris intimo
Dilecti gravamine,
Flere tibi prohibuit,
Qui te nunquam deseruit
Paterno salvamine.

22. Ave, cruci astitisti,
Crucifixum aspexisti
Patiens mentaliter,
Sauciaris clamoribus,
Cruentaris vulneribus
Confessa totaliter.

23. Ave, mori cupiebas,
Matrem tristem cum videbas
Crucifigi gladio,
Transfixam nimis amare
Te vis totam conformare
Virgini cum filio.

24. Ave, mater gloriosa,
Morte Christi pretiosa
Probaris certissime,
Crucifixi amatores
Fac nos esse et cultores
Mortis sacratissimae.

25. Ave, Iesum deponenti
Ioseph et sepelienti
Aderas maestissima,
Ad monumentum sedebas,
Consilia non timebas
Impiorum pessima.

26. Ave, dilectum quaesisti,
Quem ungere voluisti
Caritatis studio,
Angeli apparuerunt,
Eum vivere dixerunt,
Langues desiderio.

27. Ave, ardens in amore
Praestolaris cum fervore
Dilecti praesentia,
Quem dum vides vivum stantem,
Te Mariam nominantem,
Percepisti gratiam.

28. Ave, primo digna frui
Visu redemptoris tui
Surgentis in gloria,
Testis verax resurgentis,
Caelum terramque regentis
Sollenni victoria.

29. Ave, vitae praedicatrix,
Sis pro nobis exoratrix
Nobilis apostola,
Laus et decus mulierum,
Te ditavit numen verum
Nos in fide robora.

30. Ave, praesens adfuisti,
Magno gaudio vidisti
Adesse regem gloriae,
Cum dignis tunc benedicta,
A Deo nunquam derelicta
In valle miseriae.

IV.

31. Ave, pie conversata,
Apostolis aggregata
Manens in cenaculo,
Sine taedio orabas
Et donum Dei affectabas
Mundo receptaculo.

32. Ave, plene perlustrata,
Igne sancto consummata
Deitatis numine,
Almum pneuma visitavit,
Sic te sponsus honoravit
Gratiarum lumine.

33. Ave, tota flamigera
Exstas, morum fructifera
Magnis cum virtutibus,
Transitoria sprevisti,
Nam pauperibus dedisti
Praedia cum opibus.

34. Ave, matrona nobilis,
Ad te clamat grex fragilis,
Audi nos, propitia,
Ut a culpa emundemur,
Ne post mortem perturbemur
Arverni tristitia.

35. Ave, probra pertulisti,
Dum proclamas fidem Christi
Electa molestiis,
Tuo sacro collegio
A maris naufragio
Demersa miseriis.

36. Ave, caelitus protecta
Marsiliam es electa
In salutem gentium,
Verba vitae praedicando,
Mentes vanas illustrando
Idola colentium.

37. Ave, natum impetrasti,
Quem et terrae consignasti
Matri dans obsequia,
Hanc a morte suscitando,
Pignus datum educando
Facis mirabilia.

38. Ave, dulcis o Maria,
Da levamen hac in via
Complens desideria,
Protege te diligentes,
Consolare nos gementes
In praesenti miseria.

39. Ave, nimium succensa
Dona praeoptas immensa
Degustare suaviter,
Ex hoc eremum petisti,
Turbas hominum sprevisti
Contemplando iugiter.

40. Ave, quae septenis horis
Es ab antro ducta foris
Angelorum obsequio,
Concentus audis caelicos,
Vultus cernis angelicos,
Pasceris solacio.

V.

41. Ave, triceno tempore
Manes sic in nemore
Ignota hominibus,
Sacerdoti apparuit,
Qualis sit, innotuit
Secretis caelestibus.

42. Ave, mire es transvecta
Christi corpore refecta
Sanguinisque poculo,
Fundis lacrimas fervoris
Ignita dono amoris,
Recensura saeculo.

43. Ave, dulciter prostrata,
Vita prae vi consummata
Spiritus egreditur,
Caeli scandens vestigia
Vocaris ad convivia,
Nova lux suboritur.

44. Ave, mater pietatis,
In abyssum claritatis
Absorpta feliciter,
Ubi digne gloriaris,
Deum trinum contemplaris
Secura perenniter.

45. Ave, sponso praesentata,
Eius matri copulata
Amoris amplexibus,
Collega apostolorum,
Chorum possides victorum
Praelucens virginibus.

46. Ave, meritis ditata,
Parte optima beata
In caeli palatio,
Tot ferens privilegia
Tantae legis insignia
Frueris cum gaudio.

47. Ave, potens advenisti,
Marthae lumen protulisti,
Hostis fugans tenebras,
Novum sidus obcaecatis,
Monstra viam desperatis
Mentis purga latebras.

48. Ave, mitis Magdalena,
Gratia caelesti plena,
Signis fulges sedulis,
Per te capti liberati,
Mortui sunt suscitati,
Caeci vident oculis.

49. Ave, praebens auxilia
Te petenti, naufragia
Nec patitur aequoris,
Sub altare ponit scripta
Reus gemens ob delicta,
Gaudet liber sceleris.

50. Ave, clemens peccatori
Stephano, festi cultori,
Impetrasti gratiam,
Ipsum pie convertisti,
Hora mortis astitisti
Sursum tollens animam.

Conclusio.

51. Ergo, dulcis Magdalena,
Confer pacem, cor serena
Tuorum fidelium,
Auge veram caritatem,
Propter tuam pietatem
Pelle omne noxium.

52. In extremis nos defende,
Quod sis clemens, tunc ostende,
Fac cibari ferculo
Panis vivi, ne tegamur
Morte saeva, sed fruamur
Tecum dulci poculo.

53. Hanc coronam meritorum
Referenti delictorum
Posce pie veniam,
Cum de mundo sit exire,
Da, ut possit invenire
Paradisi gloriam.

Cod. Sangallen. 520. anni 1436. — 3, 5 Lies: muneravit? — 17, 5 ungenti. — 20, 4 Lies: nimis tristata? — 23, 5 confirmare. — 30, 5 Lies: relicta? — 31, 5 Lies: Donum Dei? — 35, 2 proclames. — 35, 5 Ab maris suffragio. — 46, 2 optime. — 47, 6 purga tenebras. — 49, 4 Sub are ponit. — „Haec est corona aurea salutationis beatae Mariae Magdalenae, floribus amoris Christi decorata simulque per ave quinquagena fabricata. Qui(s) eam credens cum affectu salutabit, vitae finem bonum reportabit praestante Dei gratia. Ergo salutemus eam cum laetitia: Ave pia Magdalena.“ Die drei letzten Strophen bilden den Schluſs.

Druckfehler.

Seite 6 Zeile 2 von unten lies Band VI statt VII.
„ 56 „ 8 „ „ „ versus „ versu.
„ 56 „ 9 „ „ „ Quae „ Quas.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

		Seite
I.	Psalterium beatae Mariae V.	11
II.	Psalterium beatae Mariae V.	27
III.	Psalterium beatae Mariae V.	42
IV.	Psalterium beatae Mariae V. Theophili monachi	57
V.	Psalterium beatae Mariae V.	71
VI.	Psalterium beatae Mariae V.	83
VII.	Psalterium Acrostichon B.M.V.	92
VIII.	Psalterium beatae Mariae V. Antonii de Lantsee	100
IX.	Psalterium auctore Guillermo de Deguilevilla	105
X.	Soliloquium sive Psalterium B.M.V.	129

1.	Rosarium de passione Domini	211
2.	Planctus de passione Domini	216
3.	Hymnus de vita Christi	220
4.	Rosarium D. N. Iesu Christi Iacobi Merlonis Hortii	223
5.	Sertum Christi	228
6.	Rosarium beatae Mariae V.	233
7.	Roseum Crinale B.M.V.	237
8.	Sertum beatae Mariae V.	241
9.	Rosarium beatae Mariae V.	247
10.	Corona beatae Mariae V.	257
11.	Rosarium beatae Mariae V. Iacobi Merlonis Horstii	263
12.	De sancta Maria Magdalena	268

II. Verbal-Index.

	Seite
Almiflua pulcherrima	92
Ave caeli lux Maria	71
Ave decus omnium virginum	42
Ave Iesu conditor veritas et vita	228
Ave Iesu fili Dei	211
Ave lignum excelsum gloriae	27
Ave lignum quod suo tempore	11
Ave mitis oliva gratiae	241
Ave pia Magdalena Spes salutis	268
Ave plasma deitatis	100
Beatus vir qui discedit	129
Beatus vir qui erigit	105
Beatus vir qui in lege meditatur	83
Gaude virgo fragrans rosa	247
Gaude virgo mater Christi	56
Memor ero memoria	220
O Maria florens rosa	233
Pia mater tecum flere	257
Plange mater parvum Iesum	257
Quem virgo carens vitio	233
Quoniam virgo Maria	129
Regem Christum deplangamus	216
Salve caeli terrae decus	237
Salve mater pietatis	263
Salve mater virgo munda	247

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.